

V. 50

82.

98

a. 50
V. 53
103
4.4


36
16 A
15
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO BORENSE


ROMA
VITTORIO EMANUELE

1770
J. F. d. R.

Ex dono ... Naki.

K-1.

Non posseduto

PRAECLARA
AC DIVINA
QVAEDAM
QVATVOR DOCTRINA, ET SANCTITATE ILLVSTRIVM ABBATVM,

EPHRAEM, NILI, MARCI, ET Esaiæ opera è Græco in Latinum conuersa,

PETRO FRANCISCO ZINO, Canonico Veronensi, interprete.



VENETIIS, Apud Bologninum Zalterium.
M D LXXIIII.

REVER.^mo ET ILLVST.^mo
VERONAE EPISCOPO,
& Comiti, D. Augustino Valerio
PETRVS FRANCISCVS ZINVS
Canonicus Veronensis S. D.



VATVOR hi sancti viri, Augustine Pontifex humanissime, quos ego è Graeciae tenebris, in quibus multis iam saeculis delituerant, in Latij lucem superioribus annis eduxi, & varijs episcopis commendaui, post eorum obitum incertis sedibus vagabantur, magno cum periculo, ne tenebris rursus inuoluerentur. Quamobrem meo adducti cõsilio nunc ad te simul omnes cõfugiunt. Sperant enim, quam singuli apud alios benignitatem sunt experti, eã cõiunctos, apud te, in quo virtutes, quae in illis singillatim elucebãt, oẽs esse conspiciunt, facilè consecuturos. Quae sanè spes (tanta est humanitas tua) eos minimè fallet. Neq; verò ipsi, episcopatui tuo erunt indecores. Sunt enim hoĩes frugi, exigui sumptus, & magnae vtilitatis. Tacere sciũt in loco, & cùm opus est, loqui. Valẽt ingenio, magno sunt rerũ usu, doctrina, & prudentia praediti singulari. Cũ domesticis tuis propter sanctos suauesq; mores iucundè versabuntur. Si inuisendae tibi erunt ecclesiae tuae, vel in ciui


tate, vel in tota Diœcesi: Quo quidẽ visitationis munere omnium grauissimo, & laboriosissimo diligentissimè fungeris: Si monasteria Virginũ, aut Monachorũ: Si Seminaria tua, vel antiquũ Acolythorum ab Eugenio IIII Summo Pontifice institutũ, & à superioribus Episcopis, & Canonicorũ Capitulo bene semper administratũ, à te verò mirificè auctũ atq; exornatũ: vel nouum incredibili studio, cura, & diligentia tua ex decreto, & institutis Sancti Tridentini Cõcilij erectũ, & locupletatum: Si Derelictorum, aut Derelictarũ loca, in quæ tu summo cum Dei honore, & totius ciuitatis cõmodo, et lætitia oẽs utriusq; sexus pauperes passim antea uagantes ita congessisti, ut nullus amplius inops, & mendicus in vrbe vagari conspiciatur: Si Hospitalia; quorum præcipuam tu curam geris: Si lites, discordiæ, inimicitiæ dirimendæ: Si pax inter ciues concilianda: vbiq; semper dulci quadam seueritate, & eloquentia illa Christiana, quam tu in præclara tua rhetorica Ecclesiastica tam eleganter doctéq; tradis; de timore Dei, de tremendo Iudicio, de pietate, de religione, de uirtutibus omnibus complectendis, deq; uitijs euitandis, de bonis moribus, dę beata uita, ita loquentur, ut magnam, & singulis, et uniuersis tum utilitatem, tum etiã voluptatẽ sint allaturi. Quòd si tibi iter aliquò erit suscipiendũ, non iniucundi, aut inuenusti hærebunt comites. Nam si Magno illi Aloysio Lipomano, ut ipse testatur,

in ardua illa Polonica Legatione vnus aut alter; eorum tantum attulit consolationis: Si Hieronymo Triuisano alius ex illis ad Cõcilium Tridentinum proficiscenti fuit ornamento: Si Petro Contareno in Cyprum, & Paphum nauiganti honori fuit, & iucunditati: quanto tibi solatio, et gaudio erunt omnes te simul prosequentes? Quòd si anno Iubilei iam iam appetente Romam ad reuisenda loca illa sanctissima, & deosculandos beatissimos Gregorij XIII Opt. Max. Pontificis pedes libuerit proficisci, quò undique ex omnibus orbis partibus innumerabiles omnium ætatum, atque ordinum viri mulieresq; confluent, te libentissimè, ac magna, & sancta tua cum lætitia, omniumq; amicorum ac familiarium tuorum te sequentur. Sed quid ego de ipsis, ad te præsertim, tam multa? Ipsi de se loquantur. Mihi satis sit, eis ad te aditum patefecisse, atque eos sic ornasse, & loqui docuisse, vt nec barbari, nec sordidi videantur omnino. Te enim, qua es cùm in omnes, tum in hospites humanitate, eos benignè susscepturum, & omni genere liberalitatis complexurum esse certò scio. Vale, Zinumq; tui amantissimum, atque obseruantissimum dilige.

Venetijs Pridie Idus Maij M D LXXIIII.

OPTIMO AC SA- PIENTISSIMO VERONAE PONTIFICI, D. HIERO- NYMO TRIVISANO

PETRVS FRANCISCVS ZINVS S. D.



IN MAXIMA & incredibili illa lætitia, quam patria mea celebri Ciuium atque ordinum omnium gratulatione, præ se tulit, cũ te sibi à PIO IIII PONTIFICE OPT. MAX. ex lectiſſimo totius Reipub. Venetę nobilitatis flore, datum eſſe ſponſum atq; paſtorem intellexit: ego ſummum animi mei gaudiũ tantiſper celare conſtitui, dum ſanctiſſimum quendã ſenem, qui multis iam ſæculis penè mutus ac ſordidus in tenebris iacebat, excitarem: vt à me Latinè loqui edoctus, & veſtimentis paulò elegantioribus exornatus, tibi meo nomine gratularetur. Hic eſt Ephræm ille, quem Niſibis clara Meſopotamiæ ciuitas genuit: Edeſſa Diaconum habuit, Græcia ſuſpexit, vniuerſa Chriſtiana Reſpub. eſt admirata. Hunc Baſilius Magnus vnicè dilexit. Hunc D. Gregorius Magni Baſilii Frater luculenta ac benè longa oratione ſummis laudibus in cœlum extulit. Huius doctrina tam pia, tam ſyncera, tam dulcis, tam grauis, atque frugifera ab omnibus ſemper eſt habita, vt eius opera mille ducentis iam annis è Syra in Græcam linguam conuerſa poſt ſacrarum ſcripturarũ lectionem Beatus Hieronymus in Eccleſiis legi conſueuiſſe teſtetur. Per hunc ego diuinum ſenem ad te, pater optime, tanquam ad numen aliquod (quandò tu in hac

diœceſi (Dei perſonam ac vicem geris) gratulabundus & ſupplex accedo. Ad Deum autem qui adeunt, & donare, & petere aliquid conſueuerunt. Dono igitur tibi non aurum, non gemmas, aut aromata, cuiuſmodi munera Regina Saba attulit Salomoni: Sed cum vidua illa paupercula veluti minuta duo, quæ tu pro eximia animi tui magnitudine auro, & gemmis, & aromatibus antepones: nempè præclara ac diuina quædam huius viri ſanctiſſimi Ephræm monumenta, quibus & tu non mediocriter delecteris, & gregis filiorumq; tuorum animi ac corda, quæ viua veri Dei ſunt templa, decorêtur, & bonus, ac ſuauis odor fiant Deo, & Angelis, & hominibus. Atque hoc quidem eſt munuſculum noſtrum. Quod ſi tibi, vt ſpero, & opto, non ingratum accidiſſe, & prodeſſe cæteris intellexero: alia complura tum eiuſdem auctoris, tùm aliorum Sanctorum opera, quæ Græcè ſcripta apud me conſeruantur, labore ac ſtudio noſtro in lucem Latina prodibunt. Quod autem abs te peto, eiuſmodi eſt, vt & tibi largienti, & accipienti mihi, patriæque meæ, atque ipſi Deo ſit futurum longè gratiſſimum: nimirum, vt ſponſam ipſam tuã, quæ & pulcherrima eſt, & tui, in quo vno virtutes omnes amabili quodam manſuetudinis ac morum ſuauiſſimorum vinculo coniunctas cernit, amantiſſima, quemadmodum amas, conſtanter ames: vt eam nullo vnquam tempore deſeras: ſed præſens omni officio, ac pietate, & amore perpetuo complectare. Vale.

INDEX EORVM, QVAE hoc volumine continentur.

Ex lib. B. Hieronymi de scriptoribus Ecclesiasticis.



EPHRAEM Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, multa Syro sermone composuit, & ad tantam venit claritudinem, vt post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis eius scripta recitentur. Legi eius de Spiritu Sancto Græcū volumen, quod Quidam de Syriaca lingua verterat, & acumen sublimis ingenij etiam in translatione cognoui. Decessit sub Valente Principe.




DIVINA QVAEDAM S. EPHRAEM OPERA,

MILLE DVCENTIS IAM ANNIS E SYRA IN Græcam Linguam.

NVNC AVTEM E GRAECA in Latinam verſa,

PETRO FRANCISCO ZINO, Canonico Veronenſi, interprete.



Animi ſui timorem explicat



EGO EPHREM peccator, & in certamine ſpirituali, in quo propter negligẽtiam meam aſſiduè vincor, ignauus ac piger, vobis, ſtrenui pugiles, & Dei amantiſſimi fratres, ingentem animi mei timorem, qui me miſerum, & ſuperbum, atque inſipientem, ac deſidem die quodam inuaſit, volo commemorare. Sedebam ſolus, tuto, & amœno, ac ſublimi quodam in loco: & inanes huiuſce mundi ſollicitudines, tumultus, perturbationesq́ue

mecum ipse tacitus reputabam: considerans, quomodò vita nostra velut vmbra pertranseat, & tanquã cursor velocissimus fugiat, ac matutini floris instar marcescat. Et cum dolore ac gemitu dicebam: Ignauia, & negotiis, atque cogitationibus inutilibus distracti, quomodò sæculũ hoc prætereat, ignoramus. Hæc mecum ipse cogitans, oculos in cœlum sustuli. & stupore quodam affectus, tanquam extra me attonitus hæsi, magnaq; formidiné totus horrescens, cordis oculis Dominum summa in gloria sedentem vidi, & animam meam sic alloquentem: Cur ò anima cœlestem thalamum tuum immensa lucis & gloriæ pulchritudine illustrem contemnis? Cur sponsa mea, odio prosequeris me purissimum sponsum tuũ atque immortalem? Cur ea despicis bona, quæ ego tibi, in lumine vitæ præparaui? Cur te à me per occupationes vanas, & turpes cogitationes alienasti? Cur ò anima, cum omni studio & gaudio aduentum meum sedula non expectas? Cur cum lampade tua non vigilas, anima, vocem illã vt audias, Ecce spon-
Matt. 25 sus venit, exite obuiam ei cum lætitia? O anima, cur decoram vestem ad nuptias tibi parare nõ festinasti? Cur cum gaudio in cœlestem & sanctum thalamum non ingrederis? Cur odisti me, qui bonus sum, teq; à morte in vitam vindicaui? Ego, anima, mortem obii, vt te mihi sponsam asciscerem. Ego, amplissimum tibi regnum hæreditarium acquisiui. Ego, anima, omnia mea bona tibi, vt Rex præbui. Ego propter te factus sum homo, vt vitam tuam liberarem à corruptione. Ego, anima, cunctis operibus meis salutem tuam anteposui. Ego thalamum tibi in cœlis instruxi, Angelisq; præcepi, vt in eo coram te ministrarent. Tu autem, anima, me cœlestem sponsum, & incredibilia, quæ tibi paraui, bona contempsisti. Quem porrò prætulisti mihi, qui miserationibus meis genus humanum seruaui? Quis pater vitã lar-

gitur,vt ego, quem tu, anima, reliquisti? Tu, anima, tu pro me inimicum tuum omni odio dignissimum adamasti. His ego verbis, fratres, coram Domino constitutus, magna animæ meæ turpidine animaduersa, vehementer expaui, & præ timore deficiens contremui. Et quia tantum dedecus ferre non poteram,vbi me absconderem, cogitabam, dicebamq́; O mótes,me peccatorem & impium operite. Et demisso capite,præ pudore lugebam,magnaq́; voce lamentabar, Cur ego, inquiens, ex vtero matris egressus sum, vt Dominum meum sanctum, & bonum, & misericordem ad indignationem prouocarem? Tu Domine,in vtero matris me coagulasti. Tu corporis incrementum dedisti. At ego ingratus fui, & dona tua cœlestia,sanctaq́; gratiæ tuæ remedia cótempsi. Flés tamé procidi,& cum dolore ac gemitu cordis mei lacrimans exclamaui: Exaudi, Domine, clamorem meum, & verba suscipe deprecationis meę, quæ ego peccator timore perterritus loquor. Domine clemens,& mitis, atque misericors, ne tractes me, vt meritus sum pro cunctis operibus meis. Nec memineris iniquitatum mearum,quibus ego gratiam tuã, benigne Domine,irritaui. Tantum mihi spatii concede, clementissime Domine, & humani generis amantissime, vt resipiscã, & vt pœnitentiam agam. Gratia tua,quæ pertulit adolescentiæ meæ iniquitates,& senectutis meę delicta ferat. Memini,benignissime Domine, iusiurandum tuum, quod iurasti per temetipsum,dicens: Viuo ego, dicit Dominus, quia nolo mortem peccatoris & impii,sed magis vt conuertatur ab omnibus iniquitatibus suis,& viuat. Humanissime Domine & clementissime, pro tuis miserationibus iurasti, te nolle mortem peccatoris, sed magis vt conuerteretur, & viueret. Ignosce igitur mihi peccatori,qui adiuro te per viscera misericordiæ tuæ, vt mihi propitius sis & placatus. Miserere Ez. 18.

mei, Domine, & noli supplicis obtestationem ac preces aspernari. Tu, Domine, qui hominũ corda scrutaris & renes, & nostras omnes perspicis cogitationes, nosti, me acerbo animi dolore compulsum, hæc ausum esse loqui in conspectu tuo. Respice, Christe saluator, fontes lacrymarum mearum, & contritionem, atque suspiria indignę animæ meę. Adueniat misericordia tua, & protegat me, antequam terribili iussu tuo imparatus ac fœdus deprehendar. Gratia tua mihi exiguum verę pœnitentiæ tempus elargiatur. Nequit, mitissime Domine, gratia tua peccatorem despicere lacrymantem. Ignoscit omni animæ, quę supplex ad te confugit, & peccatorum, quæ commisit, veniam petit. Exaudiuit sanctus & bonus Dominus vocem meam, & clamorem lacrymarum mearum, & misertus est mei, vt ego quoque fructum pœnitentiæ feram. Obsecro, Domine, vt mihi veræ pœnitentiæ spatium concedas. Doce me Domine, & duc per viam vitæ, vt saluus fiam. Quoties mihi, fratres charissimi, venit in mentem illius diei, & illius horæ, in qua me repentè hic timor inuasit, horreo, & lacrymor, & ingemisco. Rursus omnia simul obliuiscor, & preces, & lacrymas, & timorem, & pœnitentiæ tempus mihi gratię diuinæ munere concessum. Vnde mihi hæc duritia? hęc negligentia? hæc obliuio? Cur tam repentè impudens fio, timoris expers, superbus, & iracundus? Cur mihi ante oculos nec timor Dei, nec iudicium futurum versatur? Num iniustus Deus? Num dissimulat, aut non perspicit opera mea? Absit. Quæso obtestorq; vos, amici Dei, & fratres mei charissimi, vt pro me homine inutili & peccatore Deum benignum & misericordem deprecemini. Quæ mihi contigerint, ideò vobis patefeci, vt per vos à Deo misericordiam impetrem. Non dubito, si volueritis, quin mihi apud Deũ precibus, & supplicationibus vestris auxiliũ ferre valeatis. Scio

multorum obsecrationem potuisse etiã Apostolos è carcere & vinculis & morte liberare. Quantò magis me peccatorem & impium à morte liberabitis? Accurrite, qui timetis Deum, pro me preces vestras effundite, vt in anima mea luceat diuina gratia, mentemq; meam tenebris circumfusam illustret. Ego autem vestræ supplicationis auxilio dignus efficiar, qui pœnitentiam agam, & veniam obtineam. Et adueniente diuina gratia dulcescat amaritudo mea. Gratiæ enim presentia simul cum animi resipiscentis dolore dulcedinem affert & tranquillitatẽ. Exhilarat Spiritus Sancti gratia, facitq;, vt anima rerum omnium caducarum & inutilium obliuiscatur. Gratia Dei in anima nostra similis est horto regio pulchris arboribus referto & fructibus bonis, qui & sapore, & odore, & pulchritudine mirificam omnibus sensibus afferunt delectationem. Eiusmodi sunt diuinæ gratiæ fructus. Splẽdorem, dulcedinem, letitiam præbent. O beata illa anima, quæ gratiæ diuinæ presentia fruitur. Quanto illustratur splendore. Quanta afficitur suauitate. Quanto contẽplationis gaudio perfunditur. Iterum dico: O beata illa anima, quæ diuinæ gratiæ muneribus decoratur. Nihil anima illa cernit in terra. Tota hæret in Deo. Neque enim illã sponsi suauitas & gratiã discedere permittit. Ecce rursum ad fores Domini mei supplex accedo, obsecrans, adorans, ac dicens: Ignosce mihi, clementissime Domine, delicta mea. Expedit enim supplici seruo, posteaquã peccauit, non effugere manus Domini sui, sed potius cum omni summissione & humilitate cordis permanere. Sic enim & homines seruis delinquentibus parcere consueuerunt. Quòd si homines mortales & improbi cõseruis ignoscunt suis: quantò magis Dominus sanctus & bonus, cuius misericordia, & mansuetudo, & clemẽtia est infinita, iniquitates, & crimina remittet illis, qui ad be-

Act. 12.

nignitatem ipſius ſupplices confugiunt? Theſaurus enim miſericordiæ eius promptū reſipiſcētis ac dolentis animum requirit, ſtatimq; profundit diuitias ſuas. Nam theſaurus ille vberrimo fonti videtur ſimilis, qui aquam hauriētibus abundè tribuit. Facilè cuiuis eſt explicare, quomodo fons diuinę miſericordiæ comparetur. Sicut enim fons ab aqua ſua neminem arcet, ſic gratiæ theſaurus nullum hominem prohibet, quo minus particeps illius fiat. Modò voluntas adſit, ſtatim totus gratiæ theſaurus patebit tibi. Haurite ex hoc fonte, fratres chariſſimi, fluenta munerum diuinorum, dum licet. Tēpus enim adueniet, cùm inde ſitim extinguere nō licebit. Obſecro vos, hæredes Dei, & Chriſti fratres, vt mei ne obliuiſcamini, ſed pro me Domino ſupplicetis, vt eripiar ab hoſte, qui me ſingulis horis oppugnat. Sanctæ Trinitati ſit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

dú tp̃s habemus operem̃ bonũ

Preces.

PECCAVI in cœlum & coram te, Domine Deus omnipotens, nec iam ſum dignus, qui vocer filius tuus, aut oculos in cœlum tollam præ multitudine peccatorum meorum, aut labiis meis impuris glorioſum inuocem nomen tuum. Me enim & cœlo & terra indignum reddidi, quia te, mitiſſime Domine, ad iracundiā prouocaui. Obſecro, Domine, obſecro, ne me proiicias à facie tua, néue recedas à me, ne miſer peream. Niſi enim gratia tua me protegat, perii, ero tāquam puluis ante faciem venti, & propè in nihilum redigar. Ex quo viam tuam deſerui, nullus mihi lętus illuxit dies. Nam ſiquis fortè iucundior dies viſus eſt, is omnium fuit acerbiſſimus. Verùm gratia tua confiſus ſpero te mihi robur & vires largiturum, vt conſulam ſaluti meæ. Et nūc ſupplex ad te confugio, & quæſo, vt me à iuſtitiæ ſemita pro-

cul aberrantem in viam reducas. Ostende in me misericordiæ tuæ magnitudinē, vt olim in filium prodigum ostendisti. Ego gratiæ tuę diuitias profundēs ac perdens, vitam meam coinquinaui Miserere mei, Deus, & ne memineris iniquitates meas. Miserere mei, vt peccatricis, & latronis, & publicani misertus es. Isti enim cùm versarentur in terra, ab omnibus vt perditi ac desperati despiciebantur. Tu autem illos suscipiens Paradisi deliciarum incolas effecisti. Suscipe igitur & pœnitentiam meam, inutilis serui tui, quoniā apud omnes despectus sum, & perditus, ac desperatus. Venisti enim, Domine, non vt iustos, sed peccatores vocares ad pœnitentiam. Tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

De virtutibus, & vitÿs.

EGO, fratres Christi amantissimi, vitam vestram beatam existimo, quia frugi est: meam uerò miseram duco, quia inutilis. Vos ego felices iudico, quos recta viuendi ratio Deo, & Angelis amicos reddidit: vicem autem meam quis dignè lugebit, qui prauis operibus meis Deum ad iram prouocaui: Vos beati estis, qui casto vitæ instituto, & eximia charitate paradisi hæreditatem acquiritis. Quis studium vestrum & animi alacritatem non admiretur, qui tam longi itineris laborē virtutis causa suscepistis? Quanquam id mihi maiori admiratione dignum videtur, quòd abiectum peccatorem conuenitis, vt ex eius sermone fructum aliquem percipiatis. Mirum profectò, eos, qui saturi sunt, ad fame cōfectum accedere. Qui rore abundant spiritali, ad eum, qui siti aridus est, proficisci. Qui virtutum dulcedinem gustant, eū petere, qui versatur in amaritudine peccatorum. Cur diuites ad pauperem? Cur sapientes ad imperitum? Cur mundi ad coinquinatum? Cur

valentes ad ægrotum? Cur amici Domini ad eius inimicum? Cur ſtudioſi ad ignauum acceſſiſtis? Vos enim eſtis virtutibus conſpicui: ego mendicus ac ſtultus. Vos temperantia veſtra placetis Deo; ego nequitia mea illi diſpliceo. Vos bonis operibus & laudabili caſtitate ſuauis odor eſtis in Chriſto: ego inertia, & pigritia mea totus fœteo. Valde igitur mirãdum eſt, vos, qui tam multis commodis affluitis, ad me veniſſe, qui ne mihi quidem prodeſſe valeo. Sed vos vtique voluiſtis à me deſidiam expellere, & animum ignauum excitare, imbecillitatique meæ vires adiungere. Cùm enim perfecti ſitis, nulla in re deficitis. Quandò igitur, quæ veſtra humilitas eſt, à me homine inutili ſermonem aliquem frugiferum exigitis, ego, licèt iuſſu veſtro vita mea coarguatur, vt obediẽtiæ fructum capiam, loquar equidem, ſed cum rubore. Quomodò enim vobis conſulam, quin meipſum reprehendam? Quomodò alios admonebo, quin meipſum condemnem? Iure profectò in me dici poterunt verba illa Domini ſaluatoris: Medice, cura teipſum. Verùm, quoniam idem Dominus & ſaluator ait: Quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundùm autem opera eorum nolite facere: quanuis immundus ego ſim, rectè tamen aliis conabor conſulere. Cùm angelicam vitæ chriſtianæ rationem cõſidero, ſingula ipſius inſtituta afferre beatitudinem perſpicio. Quis enim ex virtute rectè, caſteq; viuentem nõ beatiſſimum putet? Quis contrà non miſerrimum arbitretur illum, qui negligentia ſua & prauis operibus regnum cœlorum amittit, & à diuino illo ſponſo repudiatur? Quæ cùm ita ſint, fratres chariſſimi, omni ſtudio debemus in hoc angelico viuendi inſtituto cùm Dei timore verſari, & veram humilitatem amplectentes ſanctis Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti mandatis obedire.

Lu. 14.
Matt. 23

De

De timore Dei.

BEATVS vir, in quo timor eſt Dei. Is enim
apertè beatus appellatus eſt a ſpiritu ſancto: Beatus, Pſal.3.
inquit, vir, qui timet Dominum. Verè enim, verè qui
timet Dominum ab omni fraude inimici tutus eſt, &
omnes illius inſidias vitat. Is, in quo Dei timor ineſt,
omnibus aſtutiſſimi hoſtis fallaciis ac dolis ſuperior
eſt. Nam qui Dei timorem obtinet, carnis non ſequi
tur voluptatem. Qui Deum timet, huc illuc minimè
vagatur, ſed Dominum ſuum expectat, ne veniat re-
pentè, ſeq; imparatum offendat, ac diuidat. Qui Deũ
timet, cum cura viuit & ſollicitudine: ſemper enim
vigil ac ſobrius eſt. Qui Deum timet, inertiæ &
ſommo immodico non indulget. Vigilat enim, &
aduentum Domini ſui præſtolatur. Qui Deum ti-
met, nihil negligit, ſed minima quæq; perpendit,
ne Dominum ſuum offendat. Qui Deum timet,
non eſt deſidiæ deditus, ſed omnia diligenter cu-
rat, ne à Domino ſuo plectatur. Qui Deum timet,
cuncta diligenter explorat, & quæ Domino ſuo pla-
cere intelligit, ea complectitur & perficit, vt ab eo,
cùm aduenerit, laudetur. Innumerabilium igitur bo
norum cauſa eſt timor Dei. Initium enim ſapientię Pſal.
timor Domini. Intellectus bonus omnibus facienti- 110.
bus eum. Et ad quem, inquit, reſpiciam, niſi ad pau- Eſa.66.
perculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſer-
mones meos?

De illo, qui expers eſt timoris Dei.

QVI Deum non timet, omnibus inimici dolis
& inſidiis patet. Is, à quo Dei timor abeſt, ſuperbia
extollitur, nullum in rebus delectum habet, ſine vl-
la cura & ſollicitudine ſomno indulget, ocio & deſi-

diæ vacat, in actionibus suis negligens est, voluptates, & quæcunque sensibus iucunda sunt, aucupatur. Neque enim aduentum Domini reformidat. Itaq; præceps ruit in omnia vitia, solatia, & consolationes conquirit. Ab afflictionibus & rebus asperis abhorret. Despicit humilitatem. Arrogātiam amplectitur. Quamobrem illum Dominus imparatum offendet, & diuidet eum, & proiiciet in tenebras sempiternas. Quis hominem eiusmodi miserum non arbitretur?

De Charitate.

BEATVS ille vir, in quo Dei charitas inest: quoniam in se Deũ gerit. Deus enim charitas est, &
1.Io.4. qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus ĩ eo. Qui charitate præditus est, cum Deo omnibus antecellit. Timor nõ est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Qui charitatem habet, inuidet nemini: Neminem vnq̃ contemnit, non paruum, non magnum, non gloriosum, non inglorium: non pauperem, non diuitem: sed omnium se infimũ putat, omnes diligit, omnia substinet. Qui charitatẽ habet, non extollitur aduersus quenq̃. Non inflatur. Nemini detrahit, sed detrahentes auersatur. Qui charitatem habet, fraude non vtitur, nec fratrem supplantat suum. Qui charitatem habet ab æmulatione, inuidia, & odio alienus est. Non lætatur, cùm aliquis cadit, nec cadentem opprimit, sed potius afflictos consolatur, & iacentes excitat. Non despicit fratrem in necessitate, sed illum defendit, & pro salute eius mortem oppetit. Qui charitatem habet, diuinę obtemperat voluntati, & verus Dei discipulus fit. In hoc, inquit bonus præceptor noster, cognoscent
oI.13. omnes, vos meos esse discipulos, si mutuã inter vos habueritis charitatem. Qui charitatem habet, sibi nihil arrogat, nihil suum esse propriũ dicit, sed quæ-

cunque habet, omnium putat esse communia. Qui charitatem habet, aliena non negligit, sed tanq̃ propria curat. Qui charitatem habet, non irritatur, non intumescit, non ardet iracundia, iniustitia non delectatur, nõ gaudet mendacio, neminem existimat inimicum, præter Diabolum. Qui charitatem habet, omnia sustinet, benignus est, & mansuetus. Beatus igitur, qui charitate ornatus ad Deum tendit, quoniam in sinu eius excipietur, cum Angelis versabitur, & regnabit cum Christo. Charitas fecit, vt Deus Verbum in terram descẽderet. Charitas fecit, vt paradisus nobis pateferet, & reditus omnibus in cœlum ostenderetur. Charitas Deo nos, cùm inimici eius essemus, conciliauit. Itaque meritò scriptum est: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1.Io.4.

De homine non habente charitatem.

MISER & infelix, qui procul abest a charitate Is enim somnians, dies suos consumit. Quis non doleat vicem illius, qui est alienus a Deo? Qui lucis est expers, & in tenebris versatur? Is, in quo non est charitas, fratres, inimicus est Dei. Qui fratrem suum odit, homicida est, & in tenebris ambulat, & facilè incidit in omne peccatum. Nam qui charitate caret, facilè irascitur, facilè indignatur, facilè in odiũ labitur. Qui à charitate remotus est ex aliorum iniquitate lætitiam percipit. Cadẽtium non miseretur. Iacentibus non porrigit manũ. Errantes non corrigit. Labantes non fulcit, neque confirmat. Qui charitate caret, mentis oculis captus est, amicus est Diaboli, totius inuentor improbitatis, rixarum studiosus, auctor contumeliarum, detractorum socius, comes maledicorum, inuidorum sectator, vas arrogãtiæ, & Satanæ (vt verbo cuncta complectar) instrumentũ. 1.Io.3.

In omni errore cæcus versatur, nec agnoscit miser,
1.Io.4 se in tenebris ambulare. Quamobrem perfectionis parentem, fratres charissimi, charitatem, quæ verus est Deus & Dominus noster Iesus Christus, amplectamur.

De longanimitate.

VERE beatus ille, qui possidet lõganimitatem.
Pro.14. Hunc enim & scriptura sancta collaudat, Vir longanimus, inquiens, multa prudentia gurbernatur. Hoc autem quid præstantius? Longanimus semper in gaudio, in lętitia, in consolatione versatur. suas in Domino spes sitas habet. Procul abest ab iracundia, procul ab indignatione, procul a contumelia. Haud facilè verbis inanibus mouetur, iniuria affectus non dolet. Aduersantibus non contradicit. In omni negotio firmus constansq; manet. Nullis fallaciis decipitur. Abhorret ab irritatione. Gaudet in rebus aduersis. Omnibus operibus bonis delectatur. Calumniatores & inuidos penitus fugit. Nihil respondet lacessitus. Si pungatur, non dolet, sed cunctis vulneribus longanimitate medetur.

De virtutis huius experte.

QVI longanimitate caret, caret & patiẽtia. Qui enim longanimis non est, facilè perturbatur. Ad iracundiam promptus est. Celeriter ad rixas impellitur. Affectus contumelia maledicit. iniuria se lacessitus vlciscitur. Verbis inanibus altercatur. Illius actiones & opera tanq̃ a vento folia iactantur. In sermone sibi ipse non constat. Citò vna ex re ad aliam transilit. Qui longanimitatem non obtinet, constantiæ caret firmitate, iudicio caret, & celeriter immutatur. Cum improbis, & maledicis, & facinorosis ho-

minibus viuit. Mysteria non tegit, sed arcana omnia temerè patefacit. Eiusmodi homine quid infœlicius?

De patientia.

BEATVS ille, fratres charissimi, qui possidet patientiam. Patientia enim spe innititur, spes autem non confundit. Itaque beatus, ter, inquam, beatus ille, qui patientiam possidet. Nam qui ad finem vsque patiētiam retinet, salutem assequetur. Christus dux est patientium ac princeps. Quousque autem pateat patiētia, etsi probè scitis, tamen ad vtilitatem nostrā hac item de re aliquid dicam. Patientia non manet sola, sed multis cum virtutibus coniuncta est. Patiēs enim omnibus virtutibus exornatur. Gaudet in rebus aduersis, in calamitatibus probatur, exultat in tentationibus. Ad obedientiā promptus est. In longanimitate stabilis. In charitate perfectus. Maledicentibus benedicit. In bello pace perfruitur. In pace non est dissolutus. In psalmis impiger decantandis. Alacer in ieiuniis. Frequēs in orationibus. In actionibus integer, compositus in respōsionibus. Obediens in mandatis exequendis. Diligens in vitæ ratione instituenda. Gratiosus in muneribus suis obeundis. In reditu tempestiuus. In mutua consuetudine iucundus. In consilio dulcis. In vigilia lætus. In hospitum cura studiosus. In ægrotantium ministerio sedulus. Velox ad subueniendum. Sobrius ad cogitandū. Ad omne denique negotium expeditus. Ad cūcta enim opera bona est paratissimus. Quamobrem magna cum fiducia ad Dominum exclamat, dicens: Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas.

Rom. 5.

Psal. 39.

De impatientia.

MISER, & infœlix, qui patientia spoliatus est.

Nam eiuſmodi homines miſeros appellat ſcriptura, Væ, inquiens, illis, qui patientiam perdiderunt. Væ illi nimirum, qui caret patientia. Qui enim virtutis huius eſt expers, vt folium à vento proiicitur. Hic contumeliam ferre non poteſt. Animo puſillo eſt in calamitatibus. In bello facilè ſuperatur. In rebus aduerſis conqueritur. Præcipientibus aduerſatur. Ignauus in oratione. In vigilia diſſolutus. In ieiunio triſtis. In continentia negligens. In reſponſiooibus arrogans. Improbus in actionibus. Inuictus in malitia. In mandatis ſuperbus. In altercationibus ſtrenuus. In negotio non bonus. In otio malus. Deliberantibus contradicit. Proficientibus inuidet. Qui patientia caret, multis afficitur detrimentis. Qui patientia caret, ad virtutem peruenire non poteſt. Per patientiam enim, vt inquit Apoſtolus, ad propoſitum nobis certamen currimus. Qui patientia caret, ab hac ſpe alienus eſt. Quapropter, omnes, qui ſunt impatientes, vt ego ſum, ad patiētiam omni ſtudio capeſſendam cohortor, vt ſalui ſimus in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Ecc. 2.

Heb. 12.

De benignitate.

BEATVS vir, qui benignus eſt, nec facilè ad iram & indignationem cōmouetur. Is ſemper in pace degit. Qui iræ & indignationis ſpiritum a ſe propellit, à bello & tumultu procul exiſtens in perpetua animi tranquillitate verſatur. Semper hilaritatem in fronte gerit. Vanis ſermonibus non concitatur. Iuſtitiæ & veritatis ſtudioſus eſt. Garrulos facilè tum cohibet, tum etiam ſuſtinet. Abhortet a cōtentionibns. Omnes enim amore beneuolentiaque cōplectitur. Rixas & altercationes odit. Nemini iniuriam facit. Morbis nō afficitur, qui talis eſt, ſed commoda ſemper fruitur valetudine. Quietem & patien

tiam diligit. Qui ab iracundiæ ſpiritu non vincitur, domicilium fit Spiritus ſancti. Non irritat Spiritum ſanctum, qui ab iracundiæ ſpiritu liber eſt. Hic ad humanitatem, ad charitatem, ad patientiam, ad humilitatem propenſus eſt, & omnibus operibus bonis ornatus a Chriſto diligitur. O terq;, quaterq; beatos, qui ſpiritum iracundiæ & indignationis a ſe propulſant quàm longiſſimè. Horum & corpus, & anima, & mens perpetua fruitur ſanitate.

De iracundia.

HOMO iracundus, qui ſæpe & celeriter quauis de cauſa iraſcitur & indignatur, audiat Apoſtolũ Iacobum ita dicentem: Ira viri iuſtitiam Dei nõ operatur. Verè miſer & infœlix, qui hac animi perturbatione vincitur. Iracundus enim occidit animam ſuã. Quænam illius eſt vita, qui perturbationibus aſſiduis excruciatur? Iracundus & animi tranquillitate caret, & cõmoda corporis valetudine: ſemper enim & animus illius moleſtia angitur, & corpus morbo vexatur. Iracundia caro marceſſit, pallor inuadit, cogitatio diſtrahitur, mens ipſa turbatur, ratio fluminis inſtar errore confunditur. Iracũdus omnibus eſt inuiſus. A patientia & charitate remotus eſt. Vanis rumuſculis permouetur. Leuicula de cauſa rixas prouocat. Vbi non requiritur, eò ſe ſe ingerit, & vbique relinquit odium ſui. Multiloquio, & rebus inanibus & conuiciis oblectatur. Ad humanitatem infirmus eſt, ſtrenuus ad improbitatem. Quis hominem eiuſmodi non deploret & commiſeretur? Apud Deum certè & apud homines deſpectus eſt & nullius pretii. Nam omni in re inutilis & nequam eſt iracundus. Quod cùm ita ſit, iracundiam fugite. Iac. 1.

De manſuetudine.

BEATVS, ter, inquã, beatus ille vir, qui mitis

est & mansuetus. Quandoquidem hunc etiã Salua-
Matt. 5. tor & Dominus beatum appellat, dicés: Beati mites,
quoniam ipsi possidebũt terram. Quid hac præstan-
tius beatitudine? Quid hac promissione optabilius?
Quid hac lætitia melius, cùm quis Paradisi obtinet
possessionem? Proinde cùm immensa huic virtuti
præmia sint proposita, fratres charissimi, ad eam to-
tis viribus contendite. Nemo illius se expertem esse
permittat, ne mox a paradisi possessione reiectus fru
stra doleat & cõqueratur. Mansuetudini propositam
esse beatitudinem intelligitis. Ad eam igitur omni
studio festinate. Auditè quid de illa Spiritũ sancto
Esa. 66. afflatus loquatur Esaias Propheta: Super quem re-
quiescã, dicit Dominus, nisi super mansuetũ & quie-
tum & trementem sermones meos? Quid hoc pro-
misso admirabilius? Quid hoc honore præclarius?
Videte, fratres, ne quis a tali excidat fœlicitate. Ne
quis hoc infinito gaudio & lætitia incredibili spolie
tur. Mansuetudinem excolite & amplectimini. Vir
mansuetus ornamentis omnibus decoratur. Gaudet
in contumelia. Deũ laudat in calamitate. Iratos mi-
tigat dulcedine sua. In afflictione fortis est. In pugna
tranquillus. Sub alterius imperio lætus. Superbiæ sti
mulo non premitur. Sub iugo triumphat humilita-
tis. Rectè factis minimè extollitur. Pacificè cum om-
nibus viuit. Cum omnibus submissè se gerit. Ad om-
ne opus bonum promptus est. Omnibus in rebus
probatur. Laudatur ab vniuersis. A malitia remotus
est. Abhorret à simulatione. A fraude, ab inuidia, à
detractione, à garrulitate est alienissimus. Maledi-
cos fugit. Calumniatores auersatur. O præclaras di
uitias mansuetudinis, quæ a cunctis collaudatur, &
apud omnes est admirabilis. Demus operam, fratres
charissimi, vt virtutem hanc obtineamus, quo præ-
mia illi proposita consequamur a saluatore no-
stro Deo.

De improbitate.

EOS verò lacrymis & commiſeratione proſequi debemus, qui manſuetudine vacui improbitati ſunt addicti. Grauis enim in illos ſententia lata eſt. Matth.
Improbi, inquit, perdentur. Hos etiam ſanctus Deus 12.
noſter coarguit, malus, inquiens, homo de malo the Pſal. 91.
ſauro cordis ſui profert mala. Et propheta, inſurgentibus, inquit, in me malignantibus audiet auris mea. Graue improbitatis Dæmoniũ eſt, fratres. Quamobrem, orate, nequis in ipſum incurrat. Improbus enim nunquã eſt in pace. Semper in perturbationibus verſatur. Semper bile, & dolo, & ira plenus eſt. Semper deſpicit proximũ ſuũ. Sẽper murmurat. Semper detrahit. Semper inuidet. Semper æmulatur. Sẽper moleſtus eſt. Semper aduerſatur. Semper contradicit. Iuſſa contemnit. Conſilia deſpicit. Inſtituta diſſoluit. Diligentes ſe ludit. Laudantes ſpernit. Proficientes odit. Admonẽtes paruifacit. Fratres dirimit. Iuuantes lædit. Mites expellit. Patiẽtes irridet. Hoſpites auerſatur. Alios alibi calumniatur. Inter omnes diſſidia ſeminat. Rixas prouocat. Iracundiam inflammat, ad vltionem impellit. Contumeliis, conuiciis, detractionibus delectatur. Ad loquacitatem, ad petulantiam, ad tumultus promptiſſimus eſt. In pſalmis decantandis eſt imbecillus, in ieiuniis debilis, in omni opere bono infirmus & inutilis, in ſermonibus ſpiritualibus ſegnis ac languidus. Omnis enim iniquitas os eius occludit. Magna profectò commiſeratione digni ſunt hoĩes eiuſmodi. Quocirca vos, fratres, cohortor & moneo, vt a maligna improbitatis peſte caueatis.

De veritate.

BEATVS qui veritate vitam ſuã exornauit,

Io. 14. & nullo in mendacio deprehensus est. Beatissimus, qui veritatem colit & obseruat, quoniam Deus veritas est, & mendacium non est in eo. Quis veritatis amantem non admiretur? Deus enim imitatur qui talis est. Veritatis studiosus Deo charus est, & hominibus vtilis. Homo verax inter amicos iucundus, & in omni officio & munere rectus est. Personā hominis non respicit, nec iniquè iudicat. Dignitates & honores nō admiratur. Pauperes & inopes nequaquā despicit. In respōsionibus simplex est, in iudiciis syncerus, in omni actione diligens, in mutua consuetudine gratiosus. Dolum ignorat, odit simulationē, omnia, quæ recta bonaq; sunt, diligit, & cunctas virtutes amplexatur. Beatus igitur & fœlix, qui sine simulatione semper inseruit veritati.

De mendacio.

INFOELIX ac miser, qui mēdacio delectat̄. Ab initio enim Diabolus mendax est. Qui autem assuescit mentiri, nullam in verbis suis obtinet auctoritatē. Inuisus etiam est Deo pariter & hominibus. Quis hominis mendacis miseriam non lugeat? Hic nullo in negotio probatur, & in omni respōsione suspectus est. Mendax inter amicos rixas prouocat, iurgia suscitat, & in mutua familiaritate idem est, quod rubigo ferro. Cor habet audax, sed pertusum. Cupide audit arcana, sed ea retegit. Facilè domos rectè institutas euertit. Facinora aggreditur, seq; auctorē esse dissimulat. Sine iureiurando nihil loquitur. Verborum multitudine conatur persuadere. Homo mēdax callidus est & versipellis. Magnum animi vulnus hoc vitium est. Nullum maius est dedecus. Mendax ab omnibus despicitur, ab omnibus irridetur. Quod cùm ita se habeat, fratres, ab omni abstineamus mendacio, ne cum mendacii parente Diabolo in æter-

num ignem coniecti calamitatem nostram frustra doleamus.

De obedientia.

BEATVS, qui veræ & non simulatæ obedientiæ fruitur possessione, quoniam imitator est optimi præceptoris Domini nostri Iesu Christi, qui factus est obediens vsque ad mortem. Verè igitur beatus est, quippe q cùm filii Dei sit imitator, cohæres etiã illius efficitur. Qui colit obedientiam, charitatis vinculo cum omnibus coniunctus est. Qui obedientiæ virtute ornatus est, pretiosam habet possessionẽ, & magnas diuitias obtinet. Vir obediens iucundus est omnibus. Ab omnibus laudatur. Probatur ab omnibus. Vir obediẽs celeriter exaltatur. Magnos in omni virtute & pietate progressus facit. Vir obediens præcipientibus non contradicit. Iubentibus non aduersatur. Reprehendentibus non irascitur. Ad omne opus bonum promptissimus est. Haud facilè capitur ab iracundia. Si castigetur, a bono proposito non recedit. Si contumelia afficiatur, non excandescit. In ærumnis & molestiis gaudet. In afflictionibus Deo gratias agit. Non migrat ex vno in alium locum. Nec sedem & habitationem frequẽter mutat. Correctionibus non indignatur. Vbi vocatus est, manet. Neminem lædit. Patrem non despicit. Fratrem minimè cõtemnit. Eorum, quibus cum viuit, non carpit viuendi rationem & institutum. Ocium fugit. Aeris & locorum non quærit amœnitates, sed, vt sanctus Apostolus iubet, in qua vocatione vocatus est, in ea manet. Multi sunt igitur fructus obedientiæ. Quare qui possidet eam, beatus est.

Phil. 2.

1. Cor. 7.

De inobedientia & murmuratione.

DETESTANDVS ac miser est homo cõtu-

max,& ſuſurro. Magna enim in quauis familia plaga eſt inobedientia,& murmuratio. Vbique parit offen diculum. Charitatem euertit.Cõcordiam diſtrahit. Pacem diſturbat. Contumax & murmurator repugnat præcipiẽtibus. Ad omne negotium & opus ineptus eſt. Nihil enim vlla in re habet gratiæ,nihil venuſtatis.Inobediẽs & piger idem ſunt. Pigritia enim ſuſurrationis eſt ſoror coniunctiſſima. Itaque in eadem incidit mala, quæ pigro tribuit ſacra ſcriptura.
Pro.10. Sicut acetum,inquit,dentibus,& fumus oculis,ſic pi-
Pro.20. ger iis,qui miſerunt eum. Siquò enim mittatur, dicit:Leo eſt in via,in medio platearũ occidẽdus ſum.
Pro.26. Item ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo. Denique ſapientior ſibi videtur ſeptẽ viris loquentibus ſententias.Homini inobedienti & ſuſurroni ſemper excuſationes in promptu ſunt. Si quod illi opus imponitur, murmurat, & alios etiam peruertit,& auocat ab incœpto.Quorſum,inquiens, hoc? Cur non illud potius? Fruſtra labor hic ſumitur. Si aliquò delegetur,Damnum,inquit,ex hoc iti nere prouenict. Si vocetur ad pſalmos decantãdos, dicit ſe ſtomachi,aut capitis dolore torqueri. Si illũ admones Admone,inquit teipſum:de me erit,quod placuerit Deo. Si quid cũ docere vis, Vtinã,inquit, iſtuc ſcires, quemadmodum ego. Nullum vnq̃ opus ipſe ſolus aggreditur. Socios ſibi ſemper adiungit. Quidquid facit homo contumax & murmurator, ingratum eſt,& inuenuſtum,& a veritate ſciunctum. Conuiuiis delectatur. Ieiunia contemnit. Rumores confingit. Dolos ac fraudes comminiſcitur. Loquax eſt, & verborum multitudine inuictus. Modò hunc, modò alium calumniatur. In actionibus rectis triſtis eſt. In ſuſcipiendis hoſpitibus inhumanus. In amici tia ſimulaor. In odio vehemens. Quamobrem cauendum eſt,fratres,ne ſimus inobedientes, & cõtumaces, aut in exequẽdis mandatis queruli, & ſuſur-

rones, neve nos exquisitis & argutis responsionibus tanquàm peritiores imperantibus defendamus.

De homine ab inuidia & æmulatione alieno.

BEATVS, qui ab inuidia & æmulatione liber est. Aemulatio & inuidia coniunctæ sunt. Qui vnam habet, habet & alteram. Verè igitur beatus, qui in hæc vitia non incidit, nec ab eorum altero vulneratus est. Qui æmulatur fratrem in rebus iniustis, cum Diabolo condemnatur. Vincitur æmulator, odio laborat, & inimicitia. Bonis aliorum progressibus angitur. At qui ab hoc alienus est vitio, alienis virtutibus non cruciatur. Siquis honorem, aut dignitatem assequitur, minimè dolet. Sibi enim omnes præfert. Sibi cũctos anteponit. Se indignum, se omnium infimum arbitratur. Omnes meliores se iudicat, omnes præstantiores. Honores nõ quærit. Non ambit magistratus. Non appetit dignitates. Gloriam non arrogat sibi. Gaudet cum gaudentibus, cum proficientibus proficit. In virtutis semita progredientes approbat. Rectè viuentes laudibus extollit. Siquem laudabiliter viuentem aspexerit, eum non impedit, ab instituto non deterret, sed adiuuat, & ad meliora cohortatur. Si quem repulsum aut deiectum viderit, eum nõ mordet, sed consolatur. Si fratrem cecidisse animaduertit, eũ non lacerat & affligit, sed excitat ac sustentat. Cùm aliquem iratum cernit, ardentem illius animum mitigat, non inflammat. Cum charitate ad pacem & concordiam dirigit. Mœstos & calamitosos non despicit, sed dulci oratione subleuat & confirmat. Errantes, & imperitos non spernit, sed amanter instituit, & in rectam reducit viam. Quos tempore precationis dormientes offendit, sedulus excitat, & ad orationem inuitat. Nulla denique in re

deludit aut irridet fratrem suum, sed omnibus aliorum virtutibus & rebus secundis lætatur.

De inuidis, & æmulatoribus.

QVI autem laborat his vitiis, infœlix est, & socius Diaboli, cuius inuidia mors in mundum introiuit. Inuidus & æmulus omnibus est inimicus & aduersarius. Neminem sibi in honore vult anteferri. Probos & laudatos viros insectatur. Rectè incedentibus ponit offendicula. Bene honestéq; viuentes vituperat. Pios & religiosos cõtemnit. Ieiunantes appellat gloriæ cupidos. Diligentes in psalmis canendis, ambitiosos. Sedulos in ministerio, gulæ deditos. Alacres in bonis operib9, simulatores. Occupatos in studio sacrarum literarũ, inertes & otiosos. Modestos in responsionibus, ignauos. Omnia denique peruertit, dicẽs bonum malum, & malum bonum: tenebras lucem, & lucem tenebras. Rebus aliorum secũdis ac prosperis affligitur. Quem negligentem videt, non corrigit, sed ad malum impellit. Quẽ orationis tempore dormientem aspicit, nõ excitat, sed torpentem fouet. Siquem necessaria quiete se recreãtem cernit, calumniatur. Siquem in errorem collapsum audit, vbique prædicat. Væ homini inuido, quia perpetuo cordis cruciatu laniatur. Facies eius liuida nube palloris semper obducta est. Corpus virib9 destitutum languescit. Omnibus se acerbum præbet. Omnibus est inuisus & inimicus. Omnibus insidias struit. Hodie huius, cras illius se partibus adiungit. Fingit se obsequi cuiuslibet voluntati, & omnes carpit, omnes deserit. Hunc apud illum, illum apud alium rodit, ac vellicat. Ex hoc pestifero inuidiæ & æmulationis veneno detractio, odium, cædes, & innumerabilia mala proficiscuntur. Vos ergo qui ciues estis Sanctorũ & domestici Dei hæc deterrima vitia pro-

Sap. 2.
Es. 5.

cul a vobis expellite, ne ad numerum Diaboli satel litum ascribamini.

De homine abhorrente à maledictis & contumelia.

BEATVS, & fœlix, qui maledictis & contumeliis non maculat linguam suam, nec lingua maledica cor suum contaminat. sed cum omnes sciat aliquo vitio laborare, a cõuiciis abstinet, & neminem afficit ignominia, sed ab hoc petulantiæ crimine q̃ maximè abhorret. Qui alii non maledicit, seipsum se ruat inculpatum. Is nihil offendit, nusq̃ incurrit, innullum incidit offendiculum. Huius conscientia non inquinatur. Qui procacitatis & contumeliæ spiritum vitat, is a malorum concursu tutus est, & Dæmonum exercitum profligat ac superat. Qui linguã in aliorum ignominiam non exacuit, thesaurum possidet, quo nequit spoliari. Qui maledictis alios non incessit, is fratricidio non obstringitur, & à nemine malè audiet. Qui contumeliæ spiritu nõ succumbit, his planè nouit, se ex carne cõstare, & seipsum purũ integrumq; conseruat. Qui recedit a familiaritate maledicorum, is cum Angelis versabitur. Cuius aures & lingua contumeliæ veneno non sunt imbutæ, in cibo pascitur charitatis. Cuius labia maledictis nõ sunt infecta, eius os fructum redolet Spiritus sancti. Beatus igitur, verè, inquam, beatus est ille, qui à contumeliis & maledictis abstinet, quoniam in eo Spiritus sanctus habitabit.

De maledicis & contumeliosis.

QVI pergit alios maledictis insectari, iis, quæ in alios confert, se obnoxium esse declarat. Nam qui in alterum contumeliosus est, seipsum cõdemnat. Carni enim addictus est, & mundi laqueis implicatus.

Maledicus & odii & susurrationis morbo laborat. Et qui eiusmodi est, fratricida, & crudelis, atq; humanitatis expers iudicatur. At cui timor Dei semper ante oculos versatur, & qui mundo corde præditus est, alterius non gaudet ignominia, nec tectã cuiusquam aperit turpidinem, neque in proximi labentis casu ruinave conquiescit. Quamobrem miser ac deplorandus est ille, qui conuiciis & maledictis in alios conferendis assuescit. Itaque sanctus Apostolus inter eos, qui excludentur e Paradiso, maledicos etiã
1. Co.6. numerat. Neque maledici, inquiens, neque rapaces regnum Dei possidebunt.

De temperantia & continentia.

BEATVS, & verè fœlix, qui temperantiæ virtute ornatus est. Præclara profectò & ampla virtus est temperantia. Quàm latè autem pateat, & quibus in rebus sita sit, benignè, quæso, fratres, attendite. Temperatus & continens in lingua dicitur, qui nec pluribus verbis vtitur, q̃ necesse est, nec inutilibus: Qui prudentiæ freno linguam moderatur: Qui a contumeliis, & execrationibus abstinet: Qui nec vaniloquio, nec calũnia, nec obtrectatione delectatur: Qui mysteria cœlat, & silentio contegit arcana. Temperatus autem & continens in auditu is intelligitur, qui sic auribus imperat suis, vt eas nec verbis inanibus, nec turpibus, nec impiis patefaciat, nec maledicis, aut mendacibus, aut detractoribus accommodet. Oculis verò temperans appellatur, qui eos cõtinet, nec sinit passim impudentes vagari, aut omnia prospicere, quę iucunda sunt, aut quæ nefas est intueri, quæve possunt ad libidinẽ incitare. Iam animo temperatus vocatur, qui sic eum regit, vt iracundia non efferatur. In gloria cernitur hominis temperantia, cùm nec honores, nec dignitates, nec laudes aucupatur, nec

tur, nec, si vltrò deferātur, superbia extollitur & intumescit. In cogitationibus etiam temperantia cōsideratur, cùm quis timore Dei frenat & cohibet blādas atque ardentes cogitationes, nec illis nisi bonæ honestæq; sint, assentitur. In cibis verò temperantia seruat, cū nec delicatas aut sumptuosas epulas reqris: nec præfinitum vescendi tempus aut horam anteuertis: nec dapium pulchritudine aut varietate delectaris. In potu item est temperantia, cùm sobrietatem colis, nec compotationibus gaudes, nec temerè merum hauris, nec poculis variis & suauibus oblectaris, nec plus non solùm vini, sed ne aquæ quidem sumis, q̃ necessitas postulat. In cupiditatibus autē & voluptatibus temperantia maximè perspicitur, cū sensibus nostris imperamus, nec ipsis cupiditatibus indulgemus, nec, quæ iucunda suauiaq; sunt, cogitationibus venamur, nec odores conquirimus, vt ad libidinem incitemur, nec voluntati carnis obsequimur, sed eam simul cum vitiis Dei timore coercemus. Ille enim verè continens est & temperatus, qui bonorum cœlestium & immortalium cupidine incēsus, ad eaq; rectis animi studiis & totis viribus contendens, caducam & breuē carnis voluptatem vt vmbram despicit, & ab omnibus abhorret libidinibus, nec vlla corporis specie, aut fœminarum consuetudine delectatur. Nullis blanditiis capitur, assiduas mulierum etiam probarum familiaritates fugit. Vir verè temperās, & fortis, seque ad immensam illam cœlestem quietem ac beatitudinem seruans, omnem libidinem & cupiditatē venturi seculi formidine propellit, ac superat.

De intemperantia.

HOMO intēperans ab omni vitio facilè superatur. Intemperatus est voluptatis studiosus. Intē-

peratus multiloquio gaudet, & sermonibus iucũdis; inanibus, otiosisq; delectatur, suauitate capitur epularum. Ad vescendum, & bibendum strenuus est. Stulta incēditur voluptate. Impuris cogitationibus oblectatur. Libidine corrumpitur. Gloriæ studio torquetur. Ambitione insanit. Falsa, quasi iam adeptus dignitatem: imagine luditur. Fœminarum consuetudine detinetur. Suaui corporum colore & pulchritudine irretitur. Præstigiis vtitur. Mulierum obtutu & risu liquescit. Eorum, quæ vigilans, aut in somno vidit, recordatione lætatur. Vultus fœmineos pingit in mente sua, manuum contrectationes, complexus corporum, implicationes membrorum, dulcedinem sermonum, risus oblectamenta, nutus oculorum, ornamenta vestium, cutis colores, blanditias adulationũ, motionum ac gestuum illecebras, cotractiones labiorum, totius corporis iucunditatem, loca & tempora congressionum, omnia denique, quæ ad cupiditates ac libidines explendas pertinẽt, intemperatus in animo suo tanq̃ pictura exprimit & effingit, ĩ eaq; cogitatione fixus hæret, atq; immoratur. Quòd si sacram aliquam tabulam modestè pictam, & ad pietatē & pudicitiam excitātem aspexerit, mæret. Si librum aliquem de virtute, de pudore, de continentia dispu tantem audiuerit, tristis est. Si grauem seniorum de rebus vtilibus & honestis colloquentium cœtum viderit, aliò se conuertit. Patrum seueritatē fugit. De ieiunio sermones auersatur. Fratrum cōsuetudinem congressumq; declinat. At si fœminas cōspexerit, statim exhilaratur, frontem exporrigit, sursum deorsum cursitat ad ministrandum. Tunc in psallendo vocalis est. Tunc strenuus, & vrbanus, atque argutus, vt fœminis illis se gratum iucundumque præbeat. In quiete & silentio mœstus est, & imbecillus. Quàm miser igitur infœlixque sit, qui temperantia spoliatus est, facilè apparet. Itaque, fratres charissi-

mi,cùm temperantiæ fructus & pulchritudinem, intemperantiæ dãnum ac dedecus perſpexerimus, hãc fugiamus,illam totis viribus complectamur. Magna ſunt temperantiæ præmia, & amplitudinis eius non eſt finis.O beatos ac fęlices homines illos, qui temperantiæ ſplendore decorantur.Beatiſſimos verò ac fęliciſſimos,qui virtutibus ſunt omnibus ornati.Qui iuſtitiæ operibus excellunt. Qui nihil gerunt occultè,quod Deo diſplicet. Qui ſemper inſeruiunt veritati.Quorum actiones omnes rectæ ſunt. Qui nulli conſentiunt improbæ cogitationi.Ego verò, qui virtutes omnes laudibus effero,cùm earum nullam coluerim,ſed in omnibus vitiis annos meos tranſegerim,quid faciam miſer? Nonne quadrabit in me illud,quod ſcriptum eſt: Væ vobis,qui oneratis homines oneribus,quæ portare non poſſunt,& ipſi vno digito veſtro non tangitis ſarcinas? Luc.2. Quamobrem obſecro,obteſtorq; vos oẽs,fratres,Chriſti amiciſſimi, & Paradiſi ciues, vt Deũ pro me infelici peccatore deprecemini.Hortor autem vos,vt Chriſto, qui militiæ ſuæ vos aſcripſit,placere ſtudeatis . Nemo veſtrũ,ꝗ Dei gratia,iugum Chriſti ſubire voluiſtis, vt ignauus ac negligens reiiciatur. Nolite obſequi carnis voluntati,ne ſine defenſione deprehẽdamini ante horrendum tribunal ipſius, vbi pro ſuis quiſque virtutibus ornabitur,& eorum,quæ geſſerit, ſiue bona,ſiue mala, mercedem accipiet. Me miſerum, qui nullam eo tempore fiduciam ſum habiturus. Quid faciam infœlix in eo neceſſitatis,quæ vitari non poteſt,articulo? Beati,qui cum fiducia tunc ante iudicẽ ſiſtentur,& de manu Domini præmia percipient. Vę illis,qui tunc minimis propè ac leuibus de cauſis cõfundentur. Quam enim afferet excuſationem, qui vel inanis gloriæ,vel arrogantiæ,vel cõtumaciæ, vel inobedientiæ,vel gulæ,vel petulãtiæ, vel loquacitatis,vel ſuperbiæ,vel inhumanitatis,vel iactantiæ, vel

inuidentiæ,vel contentionis,vel iracundiæ,vel contumeliæ,vel calumniæ,vel detractionis,vel incontinentiæ condemnabitur? Quod nobis in præſentia lucrũ aut voluptas ex his,quæ tã leuia caducaq; ſunt,eſſe poteſt? At quæ ſupplicia , qui cruciatus tunc inde conſequentur? Proinde,fratres chariſſimi,nequis noſtrum eo tempore grauiſſimam & acerbiſſimã damnationis ſententiam audiat,omni ſtudio vigilãdum eſt,vt non ſolùm à magnis & grauibus vitiis & criminibus temperemus, quod mihi quidem de vobis exploratum eſt,verùm etiam ab iis,quæ parua vidétur & leuia. Callidus enim hoſtis noſter Diabolus per hæc, quæ homines vt minimi ac nullius momenti ferè negligunt,eos in maxima & grauiſſima præcipites trahit.Omni igitur diligentia minimis etiam in rebus aſtutiſſimi aduerſarii dolos & inſidias cauete, vt beati cum Chriſto gloria fruamini ſempiterna. Amen.

De gratia Dei.

DA operam,vt diuinam gratiam habeas in mente tua,ne irridearis. Obſerua illam,vt cuſtodẽ tuam, ne moleſtia affecta deſerat te. Honora illam, vt magiſtram tuam,ne ſi abs te diſceſſerit, in tenebris ambules: Sine præſidio ipſius,præliũ ineas,caue,ne turpiter pereas. Virtutis iter ſine illa duce & comite ne ingrediare,draco enim inſidiabitur tibi. Sine conſilio eius,ne tractes ea , quæ ad aĩam pertinent , ſunt enĩ multa,quæ ſub ſpecie boni mẽtẽ diſtrahunt. Hæc ſi tibi nauiganti nõ affuerit,inanes erũt labores tui. Niſi ab hac aduerſus inimicos vnctus fueris, cũ ignominia victus lugebis. Hæc niſi tibi præſtò fuerit , ſerpentis dolos ignorabis . Prompto igitur animo illi obtempera,& omnia tibi perſpicuè demonſtrabit. Studioſè audi pcepta eius,& celeriter ab omni ſol-

licitudine liberaberis. Adhibe illam tibi cõtubernalem, & familiaritatem eius honorificam experiere. Assume illam sororem tibi, vt inquit scriptura, & patris tui semitam ostendet tibi. Efficiet te filiũ Altissimi, si tu ĩ sororem illam acceperis. Tanq̃ mater vbera sua porriget tibi, & ab insidiis te velut infantem custodiet. Te paruulum incautum gubernabit, & virum perfectum reddet. Crede illius beneuolentiæ, est enim principium omnis creaturæ. Ignoras adhuc ipsius erga te amorem, quoniam & lactentes filioli matris ignorant sollicitudinem. Illius te consilio trade, atque ita beneficia eius intelliges. Ignorant & pueri, quomodo nutriantur. At vbi paulatim crescendo euaserint viri, naturæ vim admirãtur. Tu itidem, si in Dei gratia perstiteris, peruenies ad perfectionem. Id ex Ioseph facilè poteris intelligere, cũ oues pasceret. Neque enim statim ad summũ peruenit, sed multis exercitationis gradibus permittés ab ea se gubernari, cùm quid fieret, vt puer, penitus ignoraret, tum demum, ad quãtum dignitatis fastigium prouectus esset, animaduertit, cùm illi tanquã Regi coronam imposuit. Tunc vtilitatem ipsius intellexit, cùm in regio est ab ea solio collocatus. Túc ideò se fuisse captiuum cognouit, vt exploraretur. Quemadmodum mater filio artem tradit, sic illum gratia Dei per patientiam docuit pietaté. Sicut magister proprium instruit filium, sic illum gratia exercuit in seruitute. Sicut mater filium verberat, vt sapiens fiat, sic eum laboribus obiecit. Ille bonis eius consiliis paruit, & ab ea tanq̃ filius primogenitus honoratus est. Ostendit illi gratia cuius esset naturæ, & filium effectum, regem constituit. Simul cum ipsa regnauit, & iccirco ad finem vsque rectè se gessit. Non deseruit eũ in principatu, quia nec ipse ab ea discesserat, cùm tentaretur. Honoris ac dignitatis eius studiosa fuit, quoniam & ipse in rebus aduersis eam di-

lexerat. Illius veluti matris cupidus atque amans fuit,& pulchritudinis eius hæres extitit. Ipsius tanq̃ magistræ pertulit reprehensionem, & ab ea rerum, quæ oculis cerni non possunt,didicit sapientiam. Singularia,& quæ sua erant propria,nesciebat,& illi obtemperãs percepit ea,quæ ad homines pertinẽt vniuersos. Quid faceret,ignorabat,& ad extremum Regibus,quæ facerent consuluit. Vbi nam esset, vix intelligebat,& quid omnibus esset hominibus euenturum prænuntiauit. Quãdiu alieno sibi parendum esset imperio,nesciebat,& quàm acerba,& longa futura essent tempora,prædixit. Nam quòd sine gratia nemo videt ea, quę sub aspectum non cadunt, ex iis, quæ ab illo gesta sunt,planè intelligi potest. Sapientes appellabantur Aegyptii, sed cùm essent sine gratia,erant insipientes. Videbantur & rerum,quæ oculis cerni nequeunt,vt incantatores, tenere scientiã, sed ipsorum scientia erat inscitiæ plena & tenebra-
Eph.6. rũ. Dixit & Paulus esse spiritalia nequitiæ, vt intelligamus eos habere scientiam inuisibilium,sed impropriam & incertam,quippe qui nihil planè norunt. Illud præterea patet ex Ioseph, ꝙ gratia diuina rebus omnibus inuisibilibus antecellit. Hanc nihil latet, ideò qui illam possidet, tentationibus non succũbet. Ipsa verò latere non potest. Est enim lux, quæ à tene-
1. Cor.2 bris cõprehendi non põt. Spiritalis homo, vt inquit Paulus,de illis,qui Ioseph sunt similes,loquens, omnia iudicat,ipse autem a nemine iudicatur. Qui Dei iudicium nouit,mundi iudicia contemnit. Magistri stultorum erãt Aegyptii,quos Ioseph ne bonos quidem esse discipulos demõstrauit. Si magistri sunt insipientes & imperiti,multo magis tales erunt ipsi discipuli. Qui nullam habent vim, verbis vtuntur bene sonantibus. Et meretrices ad decipiendos homines fucum adhibent. Ioseph iuuenis sine literis adiuuante gratia senes Aegyptios superauit. Apostoli

quoque sine literis erant & idiotæ, sed tamē Pharisæos, qui multa loquebantur, vicerunt, dicētes: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, q̄ Deū, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, nō loqui. Eadem gratia in Sanctis fuit. Spiritus sanctus docebit vos, inquit Christus, omnia quæ ventura sunt. Et Apostolus habere nos, ait, Spiritum Dei, per quem omnia scimus. Nō habemus spiritum mundi, quo quidem spiritu Aegypti sapientes edocti nihil sciebant. Nec mirum, q & mundi spiritum appellarit. Quandoquidem & homines & bestiæ habere animam dicuntur. Nomen, nullum gratiæ Dei præiudicium facit. Neque enim ex nominibus actiones, sed ex actionibus nomina cēsentur. Ex iusto Ioseph intelligite, per tentationes oportere nos ad pulchritudinis gratiæ cognitionem peruenire. Gratiæ filii cupiunt esse permulti. Verùm quid ꝓdest voluntas, nisi opera accedant? Multi per fidem gratiæ filii sunt appellati, qui tamen illam præ negligentia non assequentur. Non omnes, cùm viri euaserint, matres suas obseruant & colunt. Itidem gratia quāuis vbera sua multa præbuerit, à paucis tamen vt mater honoratur. Pariendi dolores & labores educationis nō omnes considerant. Sic & in nobis pauci sunt, q gratiæ beneficia perpendāt. Si, quid agat gratia, scire cupitis, id vobis ipse Ioseph declarabit. Omnium & bonorum & malorum vt mater curam gerit. Quamobrem & Aegyptios sustentauit. Paucos habet hæredes, quorū cōsuetudine delectatur. Hos, si ab officio recesserint, auersatur. Nec tamē claudit viscera sua, ne moriātur. Quòd si aduersus ingratos talis est, cur eius amicitiam fugimus? Si aduersus contumaces benigna est, nonne totas bonitatis suæ diuitias in amicos effundet? Si quando latet, inertiæ ac desidiæ ne succumbamus. Cùm permittit nos tētari, animos ne despondeamus. Quid nobis expediat, non ignorat.

Act. 4.

Io. 16.


Naturam & mensuram cuiusque cognitam habet. Quātum cuique satis est, tribuit. Benignitatem videtur aliquando supprimere, quia nobis ita conducit. Sinit nos cōqueri, vt solent medici, cùm ægrotantibus vinum aut cibum subtrahunt. Intelligite, quæ dico, ne perspicuis in rebus tempus consumam. Quæ sit gratia, quæ natura, quę cognitio, quę electio, quę induratio, quæ cōmunicatio, non ignoratis. Et Paulus affirmat esse gratiarum diuisiones, easq; ad vtilitatem tribui. Quando non accipimus, ne desistam⁹. Cùm accipimus, similia ne requiramus. Varietas nō debet efficere, vt quod nobis datur, gratiam nō putemus. Tempora, & naturas hominum, & mores perpendamus. Nec copia diffluit Aegyptius, nec fame conficitur Chananæus. Nonne Iacob iustus est? Nōne genus Israel egressurum erat ex Aegypto, vt terræ Chanaam susciperet hæreditaté? Nonne fratres pastores? Mercatores Madianitæ? Ioseph coniector somniorū? Et hāc ex scriptura grām esse credimus, & fidem ipsam. Si oīa essent eiusdé generis & similia, res non prouidentia, sed natura disponi arbitraremur. Abel assecutus est gratiam, qui per proprium sanguiné moriens adiunctus est Deo. Enoch trāslatus est, ne videret morté. Noe in gratia seruatus à diluuio. Magna in præsenti vitæ statu varietas est, qa diuersa etiam est electio. Ex gratia, probationis quoque discrimen intelligemus. Non eisdem omnes tētationibus subiecti sunt, qa nec eodem sunt oés ingenio præditi. Vna quidé est omnibus corona ꝓposita, sed variis ad eam certaminibus cōtendimus. Id quod ex nauigantibus possumus intelligere. Vnum est mare, sed nauigationum cursus est varius. Naues sunt similes: attamen aliæ prosperis etiam vētorū flatibus vtentes submerguntur: aliæ summis periculis iactatæ conseruantur. Multæ ab vno eodēq; vento variæ cōmouentur. Scopuli enim, & promonto-

1. Cor. 12.

ria, ventos, fluctusque mouēt, & gubernatorum artē nunc adiuuant, nunc impediunt. Magni etiā refert, quæ nauis sit forma, quæ vela, q̄ gubernacula. Huc, si quid deest, vosmet adiungite. Ego enim vt artifex imperitus parendi cupiditate adductus protuli, quæ sciebam, paulò fortasse arrogantius, quod tamen vos boni consuletis. Imbecillitatem meā veritus excusare, quæstionis partem aggressus sum, quam cùm accuratius vellē exponere, succubui. Vos errores meos emēdate. Quæ desunt orationi nostræ, quæ vitæ speculum esse debuerat, ea vos bonis operibus explete. Bonam suscipite voluntatē, & imperitiæ facilè ignoscetis Et quoniam ego vobis ex paupertate mea, qđ potui, libenter exhibui, vos ex diuitiis vestris precationis & paternæ charitatis munus nobis impertite. Pauper ego diuitibus mutuum dedi. Non sortē, sed fœnus exigo. Non laudes, sed preces requiro. Non mercedē, sed amorē exposco. Onus hoc mihi imposuistis, non quòd admonitione indigeretis, sed vt in me essetis liberales. Gutta non egent, qui fontem habent. Lacte non indigent, qui gregem pascunt. Qui mel conficiunt, iis nō est opus, vt quærant, quis mellis sit sapor. Qui possident margaritam, iis obolum vt acquirant, non est laborandum. Vos ex agro, quē colitis, fructum nobis aliquem præbete. Animæ cibū largimini, qui vitæ lignum possidetis. Vt quæ videntur, caduca sunt, ita verba sunt nostra: sed ea vos operibus implentes reddite sempiterna.

De linguæ morbo & cæteris vitiis.

VARIAE in omnibus hominibus sparsæ sunt cupiditates, vt aliquod vnusquisq; certamē habeat, in quo mentem assiduè suam exerceat. Sunt qui gula delectentur, ab adulterio abhorreant. Quidā arrogātia tumēt, à furto sunt alieni. Alius auaritia deti-



rietur, corporis ſpernit voluptates. Nonnulli luxuriæ diffluunt, elegantiam negligunt veſtimentorum. Sunt alii vino dediti, à ſuperbia remoti. Quidam à libidine procul abſunt, ſed conditam in animo ſimulationem gerunt. Delitias aliqui ſpernũt, ſed obtrectatione capiuntur. Eſt qui vitio aliquo ſuperior exiſtit, cú in alio miſerè volutetur. Hic ab vna eſt reprehenſione remotiſſimus, in alia aũt turpiter verſatur. Qui laqueum vnum euadit, in alium ſe ſe penitus induit. Vitia quippe ſunt innumerabilia. Porrò paulatim homines decipiuntur, & ex paruis principiis in magna crimina præcipites ruunt. Cùm in ſeruitutem redigere ſtudet aliquem inimicus, conſiderat, in quod vitium pronior inclinet natura ipſius, vt cùm vinculis propriis oblectetur, perpetuò maneat in ſeruitute. Scit enĩ verſutus & callidus aduerſarius, ſi nos ingratis vinculis obſtrinxerit, fore, vt illis celeriter cõfractis, in libertatem nos vindicemus. Quamobrem iucunda cuique iniicit vincula, vt in illis libentius conquieſcat. Poteſt enim adiuuante diuina gr͞a mens ex inimici retibus ſe ſe explicare. Nunc autem obſtricti vincula noſtra diligimus, atque oſculamur, & ſeruitute ipſa ſuperbi ſumus, & tãquã liberi gaudemus. Qui enim inuidiæ vitio contabeſcit, quoniam á libidine remotus eſt, ſe liberũ putat. Et calumniator, q͞a rapinas odit, ſe bonum exiſtimat. Sua plerique vincula ignorant, nec quomodo vincti teneantur, animaduertunt, ebriorum inſtar, qui vino oppreſſi nec vinciri ſe ſentiunt, nec vincula ipſa perſpiciunt. Neq; tamen Dei benignitas ſinit, vt maiora nobis onera tẽtationis imponant, q̃ poſſimus ſuſtinere, ſed virium, quas nobis tribuit, rationem habet. Itaque pro ſua quiſque virili niti debet. Quo tempore tabernaculũ ab Hebręis conſtructum fuit, ab omnibus tam diuitibus q̃ pauperibus aliquid offerebatur. Pro ſuis quiſque copiis afferebat, alius aurum, alius margaritas,

alius lapides pretiosos. pauper pilos, aut pelles: fœminæ locupletes sericum: inopes viduæ tincta vellera. Atque ita totus tabernaculi apparatus ex omniū muneribus constans omnes commēdauit. Dominus enim vota singulorum tam pauperum q̃ diuitum suscipiebat. Volebat enim ostendere se, quemadmodū accipiebat ea, quæ pro suis quisque facultatibus ad tabernaculi constructionem offerebat: sic etiam pro cuiusque actione preces & vota singulorū nulla personarū habita ratione suscipere. Vt enim inimicus noster variis nos occasionibus ad perniciem trahere conatur, sic diuersis Dominus occasionib⁹ studet ad salutem perducere. Et quemadmodum latro vnico confessionis verbo Paradisi factus est ciuis, sic vno blasphemiæ verbo aliquis fit obnoxius gehennæ. In vno obtrectationis verbo deprehēsa Maria, niuis instar facta est leprosa. Quòd si Maria, quæ erat prophetissa, tales linguæ maledicæ pœnas dedit, q̃uo puniuntur ii, qui tot blasphemiis & maledictis incūbūt? Nu. 12.
Et quemadmodum Maria quāuis id, quod erat, diceret, tamē: quia obtrectando loquebatur, damnata est, sic etiam si verè cuipiam maledixeris, tamen veritas illa tua iniustitiæ condemnabitur. Si meritò reprehendis, ne clam maledicas. Aut liberè & apertè fratrem argue, aut tace, nec illi in occulto detrahe. Inutilis enim euadit iustitia, cū illi dolus & improbitas admiscetur. Sanctitas improbatur, quæ cum immunditia coniuncta est. Inanis est illa castitas, quæ in deliciis versatur. Et fides ea negligitur, quæ præstigiis & diuinationibus vacat. Vana est illa cōfessio, in qua cernitur simulatio. Despicitur liberalitas, cuius est superbia comes. Inutile ieiunium redditur, si detractionē adiunctā habeat. Inanis redditur & dilectio, quæ zelo cōfusa est & rerum naturalium affectione. Deformis efficitur veritatis pulchritudo, quando super improbitate versatur. Interficit cibus, in quo la-

titat aconitum. Caro, quæ munda est, cõmunis immundaque ducitur, ꝓpterea quòd sacrificiis & immolationibus inquinatur. Ex iis, quæ manifesta sunt, occulta debét intelligi. Apertè lepra Mariæ corpus occupauit, quia clam tota illius anima peccato erat infecta. Ex perspicuo eius supplicio, crimen patuit, quod latebat. Per fœtidam ipsius lepram didicimus, q̃ graue vitium ac detestabile sit obtrectatio. Corpus lepra infectum veluti speculum, animæ, quæ non perspicitur, maculam indicauit. Ex carnis corruptiõne patefactum est, q̃uo detractoris animus corrumpatur. Ex homine exteriore interiorem suum hominem intellexit. Quemadmodũ enim ipsa defecerat à fratre suo, ita corpus eius ab ea defecit, vt ex semet ipsa disceret charitatem. Discamus & nos, q̃ grata Deo sit concordia & mutua beneuolẽtia. Sicut enim Maria doluit ob corporis mutationẽ, sic indignatus erat Deus, quòd ipsa à fratre proprio esset abalienata. Ideò corpus hominis ob diuersa vitia variis morbis afficitur & immutatur. Membra enim corporis nobis fiunt inimica, quia nos á Deo & proximis nostris alienamur. Mutuam igitur inter nos cõcordiam & pacem complectamur. Totis castris vulgatum est, Mariam repentè lepra correptam esse, quòd linguã in fratrem mitissimum, qui pro ipsa Dominum deprecabatur, exacuisset. Iustus igitur iudex de Prophetissa propter eius obtrectationẽ meritas pœnas sumpsit. Detestatur enim linguæ petulantiam, qua insipientes homines delectantur. Plurima Moses ipse signa & miracula ediderat, & tamen modico linguæ lapsu excidit è terra promissionis. Ingens & horrendũ mare iter illi prohibere nõ potuit. At verbum vnum iniquè prolatum ei tanq̃ murus obstitit, ne ꝓgrederetur. Si Mosem, qui quasi Deus extitit Pharaoni, vnica vox exclusit à terræ promissæ possessione, quanto magis petulantia linguæ, quam in Deũ atque homi-

nes exacuimus, à Paradiso nos arcebit? Ignis sanctos deuorauit sacerdotes, qui cùm factis essent iusti, verbis erant coinquinati. Si tales ac tanti viri talia perpessi sunt, quæ nos manent supplicia, nisi ab hoc linguæ vitio temperauerimus? Fratres igitur nostros contumeliis afficere desinamus. Impiis & impuris omissis, maledicos terra deuorauit. Aegyptios mare deglutiuit. Dux exercitus verbum protulit, & meritas pœnas luit, cùm populi pedibus in porta conculcaretur. Quòd si, vt Dñs ait, de omni verbo otioso reddenda est ratio, quid fiet de cõtumelioso? Varios igitur occasionum laqueos miseris mortalibus tẽdit inimicus. Alius vt ære alieno obrutus detinet. Alius vt spõsor pro altero trahitur. Videmus quotidie aliorum noïe alios interire. Et qui nihil debent, nõ minus, quàm debitores decoquere. Quo quidem exemplo iustorum & iniustorum crimina patefiunt. Iustus in rebus propriis insons est, in alienis autẽ obnoxius inuenitur. Siquis enim eo præsente veritatem oppugnet atque irrideat, aut bonum aliquem maledictis insectetur, ipse autem taceat, nonne taciturnitas illi vertetur in crimen? Silentio enim suo maledicta cõprobat tanq̃ vera. Id magnorum ex Principum licet intelligi potestate. Siquis enim in Regẽ, iure an iniuria nihil refert, inuehatur, qui adsunt, ea, quæ ĩ Regẽ dicuntur, renuunt audire. Quòd siquis interesse pergit & audire, idem in vtrunque supplicium constituitur. Interit vnus propter linguam, alter propter auditum. Narrat aliquid calumniator, tu verò illi te præbes auditorem. Et quam ille ore suo molit̃ cędẽ, tu eam excipis aurium sinu. Et acerbũ mẽdacii fermentum in animo tuo committes. Vnde mors principium reperit? Nonne per aures Euæ, dum illam serpens alloqueretur, sibi aditũ patefecit? Potest enim hostis noster loquentis oratione tacentes occidere. Et quos proprio ipsorum ore nunq̃ læderet, eos per

Leu. 10.
4. Reg. 7
Matth. 12.

aures interimit. Et quos actione insontes videt, eos occid.t cogitatione. Dæmones clamoribus confiten-
Luc. 4. tes veritatem, Dominus iussit obmutescere. Neque enim ipse, qui erat veritas, opera ipsorum sibi fidem haberi voluit, sed quæ vera sunt, per veros nuntios
Act. 16. promulgari. Cur Dæmonē, à quo collaudabâtur, audire Apostoli recusarunt? ne aures mundæ impuris eorum vocibus contaminarentur. Si Diaboli laudes vt maxima probra vitauerunt homines sancti, quantopere calumniæ & maledicta vitanda sunt? Veritatis specie decipere audientes versipellis Diabolus
Mar. 1. consueuit. Iccircò Dominus ne vera quidē à Dæmonibus audire voluit. Eadem pluuia irrigātur herbæ, tam bonæ, q̃ malæ. Forsitan & pluuia, quæ natura bona est, in herbarum malitia agit. Et serpens, licet dulcissima comedat, ea protinus vertit in amaritudinē, quā si cuipiam asperserit, væ illi. Sic ex veritate mendacium confingitur vti cicuta mortiferum. Sub eius sermonib⁹ suauissimis exitiosa latet amaritudo. Ad simplices decipiendos linguæ dulcedinem adhibet serpens antiquus. Huiusce rei sit exēplū Iudas Iscariotes, qui sub oris osculo, & lingua pacem assimulāte dolum cœlans, in Dominum, qui cordis intima penetrat, struxit proditionem. Quòd si in ipsum creatorem talis deprehensus est mendax, qualis in te erit? Quis mendace sceleratior, nisi is, qui verbis eius aures accommodat? Morti vltrò se obtulit Saluator, & orationi mēdaci noluit aurē præbere. Os suum aperuit & acetum cum felle suscepit, qui scelesti verbū aure suscipere recusauit. Os proditori exhibuit osculandum, & mendaci noluit respōdere. Præbe tu quoque os tuum maledicis osculandum, aures autem minimè. Nam si os illis tuum præbueris, osculum eos condemnabit. Sin autem illis accommodaueris, te verborum gustus occidet. Satius autē erit, si veneni & odorem & gustum euitaris. Cur fumum celeriter

fugis,mendacem autem libenter audis? Abhorres à fœtore,& iuxta maledicum ſedes. Singula corporis membra à rebus,quæ nocere poſſunt, ſeruanda ſunt. Si corpus à libidine remotum eſt, à detractione linguam cuſtodi. Qui enim libidini nequit indulgere, mentiri poteſt & calumniari. Si tuis è membris vnũ valeat,aliud ægrotet,totum corpus dicitur ægrotare. A militibus exemplum ſume.Nonne totum militis corpus munitur ferro? At ſi per tenuem aliquam rimulam iaculum ingrediatur, ſtrenuo militi mortẽ affert.Quanto magis per apertas aurium fores mors ingredi poterit?Ingens eſt enim auris feneſtra. per eam quippe mors in mundum ingreſſa cunctas gentes & nationes deuorauit, & adhuc inſatiabilis manet.Clauſtris igitur ac vectibus obſtruendæ ſunt aurium fores,ne calumnia & obtrectatio valeat introire.Magna vis eſt huius vitii, nec ideo contemnenda, tanq̃ interficere nequeat. Ex volucrum aucupio diſce, quæ parua videntur, haudquaq̃ eſſe ſpernenda. Contingit enim,vt auis in laqueum incidẽs paruula capiatur vnguicula,nec illi quicq̃ proſint alarum vires.Summa vnguicula, quæ nullius momenti videt̃, capulo eſt comprehenſa, totum autem corpus reliquũ extra laqueum eſt,& tamen totum detinetur.Et Diuus Apoſtolus vnam & eandẽ in fures, adulteros, & maledicos ſententiam tulit.Nemo, inquiens, iſtorum regnum Dei poſſidebit, ſed pariter iuſto Dei iudicio omnes cœleſti hæreditate priuabuntur.Iam vt par omnibus ſupplicium deberi ſcias, qua de cauſa Chanaam in execrationem æternam incurrit? Nonne quia iuſtum irriſit?Neque vllo alio grauiore facinore damnatus eſt, ſed ob leuem irriſionẽ in horrendã illam ſententiam incidit. Et propter linguæ petulantiam tã acerbas pœnas dedit.Non aliud ſcelus,ſed os ipſius,hominem miſerum perdidit. Si propter riſum exiguum in tantam ille decidit calamitatẽ, quis

1.Cor.6

Gen.9.

non contremiſcat, & irriſiones ac ludibria fugiat, ex quibus tales execrationes proficiſcūtur? Iuſtus enim ille à benedictionibus excludens Chanaam, & maledictionibus tradens, iudicium deſcripſit, quod ſubituri ſunt illi, qui ludibriis vacant, & irriſionibus delectantur. Si calumniator ſub amici perſona fingit ſe hilaritatem amplecti ac riſu gaudere, & Chanaam, dū hilaris eſt, ac riſu ſe ſe oblectat, maledictioné inuenit. Sapiētiſſimum audi Salomonem, quid in irriſione & calumnia latitet, enarrantem: Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius. Hominis enim deriſio tēdit in creatorem. Tu quod in riſu cernitur, ſimpliciter animaduertis. Quid autem in illo fraudis ac doli ſit cōditum, ignoras. Iuſtus ille Noe dolū agnouit, eumq; minimè aperiens ignorāti Chanaam exclusit a benedictione, vt cognita riſus pernicie, fratré

2. Reg. 16. deſinas irridere. Semei in virum innocentem maledicta coniecit. Et Apoſtolus terribilé in maledicos

1. Cor. 16. ſententiam tulit. Nos, quid lucri maledici faciant, vi

3. Re. 2. deamus. Non in adulterio, aut furto deprehenſus eſt Semei, ſed maledictis vſus eſt, ex quibus calumnia cōſuitur, qua facta infectaq; pronuntiantur. Animus enim dolore ſtimulatus parit contumeliam. Sic animo affectus Semei, conuiciis Regem innoxium onerauit, eum accuſans vt Saulis interfectorem, qui ſæpius à morte Saulé eripuerat. Et quoniam falſo crimine Regem incuſabat, meritò à iuſto damnatus eſt iudice. Cùm enim terminos ſibi á Salomone præſcriptos tranſiliiſſet calumniator, pœnas luit, & qui linguam iuſtum in hominé exacuerat, acutum in ſe gladium expertus eſt, atque ita tum in hoc ſeculo, tum etiam in futuro ſupplicium pertulit. Quis igitur à petulantia nō abſtineat, ne duplici ſupplicio afficiatur?

1. Co. 6. Eodé iudicio Paulus molles, adulteros, fures, & ma-

Gen. 25. ledicos condemnauit. Eſau propter intemperantiam vendidit primogenita. Habes & tu primogenita tua.

Vide,

Vide, ne illa perdas. Magnum enim quiddam est homo. Qui superat omnes pretium, re minima & vili se ipsum prodit. Etenim si veritatem abieceris, stultus fies & similis Esau. Audi rem admirandam, quomodo verba factis præstiterint, & fides naturam superauerit. Primogenituræ munus, quod videtur eripi nõ posse, oratio sese insinuans ademit. Quod Esau naturaliter possidebat, id Iacob fidei studio est assecutus. Fides & iusiurandum mutuo cõsensu generationis vim declararũt. Et primogenita, quæ p carnẽ tribuuntur, p spiritum accepta sunt. Quæ iusiurandum exuit, ea fides suscepit. O rem admirabilẽ, quę inter primogenituræ venditorem & emptorẽ est cõsecuta. Ille damnum neglexit, hic autem innocẽs pmansit. At quomodo Esau primogenita exuit, quæ deponi non possunt? aut quomodo induit illa Iacob, quæ adiungi nequeũt? Quòd si mercatura, quam isti pueri exercuerunt, adeò naturã superat, vt nequeat explicari: quis audeat aggredi quæstionem illam, qua ineffabilis Vnigeniti generatio cõtinetur? Dic mihi rursum, cur Iacob à Manasse in Ephraim trãstulerit primogenita? Nonne vt illi gloria & decus accresceret? Primogenitura muneribus eximiis & innumerabilibus cumulata est. In hac baptisma descriptum est. In hac fides est obsignata. Hęc fortitudinẽ significat. Hæc gloriosæ virginitatis figuram gerit. Hãc pretio Iacob mercatus fuerat, & eã gratis tribuit Ephraim. Qua quidem in re nec Manasses culpandus est, nec largientis auctoritas vituperanda. Quis igitur gẽtiũ primogenituram reprehẽdat? Quòd si Iudæi audeãt id facere, reprehendant prius, quòd Manasse adempta fuerit. Qui enim abstulit illã ab eo, nõ peccauit. Quòd si iure accusari non potest Iacob, quamuis à Manasse, qui erat innocens, primogenituram trãstulerit: quomodo quisq; ausit illum reprehendere, qui vt iustus iudex, primogenituram à Iudæis abstulit,

qui Dominum interfecerant? Si iurisiurandi vis tanta fuit, vt ab Esau auferret primogenita: cùm enim iureiurando se se obstrinxisset, noluit sese periurio cõtaminare: quibus afficientur suppliciis, qui frangunt fidem, & periurio violant iusiurandum? Esau ab iis, quæ cum detrimẽto suo pepigerat, recedere noluit: & tu fœdera, quæ pro salute tua pepigisti, audes violare? Herodes quod in perniciẽ suã promiserat, obseruauit: & tu quod æternæ vitæ gratia promisisti, nõ obseruabis? Cædis instar est contumelia. Et lingua nõ minus nocet, q̃ gladius. Cogitatio & sermo impudicus inquinat, vt adulterium. Occulta simulatio tanquam laqueus tendit insidias. Prauum consilium veneno perniciosius est accipientibus. Improba deliberatio perinde atq; opus malum damnatur. Iracũdia, vt gladius ferit. Inuidia telo grauius vulnerat. Exitii foueam calumnia struit. Malas cogitationes fugiamus. Cogitata non aliter ac facta censentur. Bonis igitur cogitationibus incumbamus, quibus operum merces proposita est apud eum, qui consilia cordiũ explorat. Operis instar cõsilium est, in eo enim arbitrii nostri ratio nititur. Suum quæq; res contrarium habet. Lux tenebris contraria est, amaritudini dulcedo, vigilia somno. Qui fecit hæc omnia, nihil reliq̃t, cui non adiunxerit aduersarium. Si mortalis homo arte sua contraria inter se componit, & aduersus laborem quietem admouet, remediaq; & medicamenta terra mariq; conquirit, ac suam cuique morbo, vt res tempusq; postulat, prudenter adhibet curationẽ: quantò magis immortalis ille rerum oĩum procreator ordine suo cuncta disposuit, atq; ita moderatus est, vt in promptu sint, quibus se quisque ab inimicis defendat? Habes igitur arma, ò homo, quibus aduersus oẽs hostes & aduersarios tuos vtaris. Hæc tibi ad salutem data si spreueris, victus, in iudicii die, quomodo te excuses, non habebis. Adsunt nobis contra

illius machinas varia armorum genera. In nos ille ſi tela ignita contorſerit, habemus & nos orationis clypeum inexpugnabilem. Si libidinis bellum intulerit, ſociam in pugna animi dilectionem aſſumemus. Si nos iniqtate captiuos ducere conabitur, ad iuſtitiã confugientes ſaluti noſtræ conſulemus. Si te per malitiam vulnerare ſtuduerit, ad fraternam accurrito charitatem. Si te per arrogantiam oppugnabit, humilitatem opponito. Si aduerſus te corporis cupiditaté incitarit, temperantiæ thoracé induito. Si te laſciuiæ ſagittis petiuerit, ſume galeam caſtitatis. Si nos diuitiarum cupidine ſtimulauerit, paupertatis habemus beatitudiné. Si gulæ vitio nos adoriatur, ieiunii alas aſſumemus. Et quoniam inuidia euerſionis eſt cauſa, præſto aderit charitas, ſi volemus, quæ corrigere poſſit & ędificare. Vt enim illi ſua ſunt arma ad oppugnandum, ſic noſtra nobis adſunt ad defendendum. Si nos Pharao perſequatur, adeſt mare, quod eũ ſubmerget. Si, vt Siſara, elatus intumuerit, per eccleſiã è medio tollet. Si vt Senacherib bello nos premet, ſacco & cinere ſuperabitur. Si tyrannũ Babylonicum fuerit imitatus, ſanctus non deerit Daniel. Si luxuriæ flãmam accenderit, aderunt qui caſtum Ioſeph imitentur. Nullus eius conatus à nobis non diſſoluetur. Nulli ſunt morbi, nulla vulnera, quibus ſua nõ adſint remedia & medicamenta. Quam ille rubiginem obducet, cui diſcutiendæ non ſit fornax præparata? Ecquod ille dãnum intendet, cui repellendo non adſit auxilium? Quas parabit inſidias, quæ nobis non ſint manifeſtæ? Quam machinam molietur, cui euertendæ non ſint idonei vel idiotæ? Quas afferet vires, vt eas nequeant vel fœminæ ſuperare? Fornaces inſtruxit, at pueri illas extinxerunt. Lacum effodit, at eum Daniel contempſit. Epulas parauit, at eas neglexit Ananias. Superbiam ſeuit, at illam Moſis humilitas cõculcauit. Auro Naaman adulatus eſt,

at illud ſpreuit Eliſæus. Simõ pecuniam obtulit,ſed meritam in illum Petrus ſententiam pronũtiauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & imperiũ in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deflet peccata ſua, & Dei miſericordiam implorat.

EDESSENORVM ex vrbe,quodam die diluculo duobus cum fratribus egreſſus ſum. Et ſublatis in cœlum oculis,ſtellarum ſplendorẽ ac pulchritudinem,& cœlum ipſum ſideribus ornatũ, quod veluti ſpeculum nitidiſſimum ſuper terram cũ gloria fulgebat,tacitus contemplabar. Mox cum admiratione:Si hæc,inquam,tanto cum decore ſplendent, quãto magis homines iuſti & ſancti,qui Dei obtẽperant voluntati,in illa hora, cùm Dominus ad iudicãdum venerit,incredibili luce fulgebunt in gloria Saluatoris?Repentè verò cùm mihi terribilis illius aduẽtus in mẽtem veniſſet,animo & corpore totus exhorrui, & contremuerunt omnia oſſa mea, atque ita fractus ac perturbatus magno cum dolore cordis, vim lacrymarum effudit, & cũ gemitu : Quomodo,inquã,ego peccator in illa hora formidanda cõſiſtam? Quomodo ad horribile incorrupti iudicis tribunal aſtabo? Quomodo miſer hœdus cũ ouibus ad Chriſti dexteram collocabor? Ego ne arbor infructuoſa ſiſti potero cum iuſtis illis,qui in hac vita iuſtitiæ fructus tulerunt ? Cùm ſeſe in aula cœli viciſſim agnoſcent iuſti,& ingenti cum gloria mutuò cõplectẽtur, quid faciam infœlix? Quis me cognoſcet? In cœli regia iuſti gaudebunt. Aeterno in igne impii cruciabuntur. Cùm ſua Martyres oſtendent tormẽta, virtutes ſuas Cõfeſſores :quid ego oſtendam, niſi pigritiam & negligentiam meam ? O anima ſuperba . O peccatrix anima. O anima ſtupida. O anima, quæ vitam tuam odio ſemper es proſecuta, quãdiu humi te affligẽnt

vanæ cupiditates? Quandiu malæ te opprimēt cogitationes? Quādiu improba consuetudo dominabitur tibi? Nonne intelligis prauis cogitationibus fieri, vt ignorantiæ tenebris & cæca quadam caligine circumfusa viam reperire non queas, qua te conuertas ad Dominum Deum tuum? An ea te spes fortasse sustentat, quòd cœlestem sponsum haud ita celeriter credis esse venturum? Noli errare, in ocio noli propterea marcescere. Appropinquat sponsus, iam iamq; aderit. Vt fulgur horribile, è cœlo subito improuisus adueniet. Quamobrē vigila, nec te in illa hora formidāda imparatam offendat. alioquin in luctu versaberis sempiterno. Aliena peccata ne respice, sed tua luge. Cur in fratris oculo festucam cernis, ac nō potius trabem eiicis è tuo? Cùm ex oculo tuo trabem exemeris, tunc ex fratris etiam oculo festucam eripito. Quòd si tibi mederi non potes, defle cęcitatem tuam. Quomodo potes alis, cùm cæca sis, lumen afferre? Prius ægritudinem tuā cura, postea medicam alienis morbis manum adhibe. Negligentiæ tuæ nullam excusationem inuenies. Iudicium enim tibi, & prudentiam, & spiritalem cognitionē, & alia dona largitus est Deus. Ea, quæ tibi prosunt, amplectere. Tum fratres illi duo, qui mecū erant, cùm me sic affectum conspicerent. Lacrymentes & ipsi his verbis interpellarūt: Cur tā acerbe luges, o pater? Quibus ego respōdens: Propter desidiam meam, inquā, o filii charissimi, lugeo. Cū enim benignissimus Deus mihi cognitionis lumen accenderit, ego quotidie conor illud extinguere. Nam si ea, quæ Dominus vult, opere implessem, beatus profectò forem in illa hora. Neque ego solùm, sed omnes qui re ipsa perficiunt quæ Deo placent. Nunc autē omnes ferè, charissimi fratres, sponte peccamus. Itaq; nullam illic defensionem sumus habituri. Dei prouidentiam & liberalitatem erga nos consideremus, & q̄ multa nobis quoti-

die ꝓ bonitate sua largiatur. Gratia illius corda nostra semper inuisit. Quòd si locum inuenerit, ingreditur, & in anima nostra cõquiescit. At si cor immundum offendat, statim aufugit. Sed rursum misericordia cogit eam introire, & nos peccatores inuisere. Siquidem omnes sumus non vi, sed voluntate mutabiles. Spõtè superbi sumus, & arrogantes, inuidi & improbi. Assiduè mala vicissim cogitamus. Prauis, & lasciuis, atq; impudicis cogitationibus oblectamur, & in fœdo vitiorum luto iacemus. Ex quo fit, vt cùm gratia nos inuisit, turpium cogitationũ in cordibus nostris fœtorẽ inueniẽs, auersetur, & ilicò discedat. Quandoquidem locum, vbi quiescat, non habet, attamen luminis sui dulcedine cor nostrum stimulat, vt resipiscat, sibiq; adueniẽti aditum patefaciat. Neque enim gratia põt nos penitus derelinquere. Cogitur à propria ipsius benignitate, vt nostri misereatur. Vides prouidentiam Dei? Vides misericordiæ viscera? Quanto salutis nostræ desiderio teneať? Quantopere nos esse saluos atq; integros cupiat? O beatũ illum, qui puram cord s sedem diuinæ gratiæ parare studet, vt in eo suauem virtutum odorem, atque animæ sanctitatem inueniens sæculis omnibus acquiescat. Quid nos Dei benignitati pro omnibus eius muneribus rependemus? Quam illi gratiam referemus, quòd è cœlo descendit è sinu Patris? Quòd pro nobis in Virginis vtero carnem assumpsit? Quòd pro salute nostra tot ꝑtulit cruciatus? Si mille annos in terra viueremus ne pro vno quidem colapho, ne dũ pro morte, qua pro nobis fœdissima fuit affectus, illi vnq̃ vllo modo posset à nobis satisfieri. Hoc ego, filii mei charissimi, pertimesco, planè enim noui negligentiam meam, ne omnes, qui me nunc beatum existimant, qui fictam religionem meam collaudãt, illic me derideant, cùm in igni me excruciatum videbũt. Ignosce, ignosce clementissime fili vnigenite, mihi

inutili seruo tuo, ne cum tremore & ignominia ma-
gna coram te iudice deprehēdar, & ludibrio sim om
nibus spectantibus,& Angelis,& hominibus.In hac vi
ta, Saluator meus, vt humanissimus pater & filiorū
amantissimus,erudi me, castiga me.Illic autē vt om-
nium Deus & solus sine peccato me suscipe.Nisi mi-
serum peccatorem hic feceris resipiscere, & pœnite-
re,nisi lumine tuo cor illustraueris,vt flagitia & pec-
cata sua lacrymis abluat, quomodo poterit ante tri-
bunal tuum sine defensione consistere? Fuit iam,
cùm ego nō essem. Pro infinita misericordia tua pla-
cuit tibi, Domine, formare me in vtero matris meæ
peccatricis. In lucem editus indignus ego, pro tua
summa bonitate factus sum dignus,vt essem vas gra-
tiæ tuæ,& tanq̃ cithara, quæ salutis verba cunctis au
dientibus concineret.Hęc ego ignauus & flagitiosus
munera accepi, & gratiæ tuæ me per inertiam ingra
tum prębui.Tu,Domine,ex ore inutilis serui tui piū
suauitatis cantū exprome. Tu mentis meæ tenebras
discute,vt gratiæ tuæ lucem aspiciam.Ad te supplex
confugio, o fili vnigenite, o vnica animarum salus.
Fac,vt, quemadmodum hic gratia tua mihi fuit om-
nibus horis lux,custodia,perfugium, propugnaculū,
consolatio: sic in horrēdo illo iudicii die sub alas cle
mentiæ tuæ susceptum protegar,vt ad dexteram tuā
collocatus, & in regnum tuum per misericordiā ad-
missus,immensam bonitatem tuā semper collaudem
& celebrē,creator omnipotens, & saluator benignis
sime,qui serui tui inutilis lacrymas non despexisti.

De pœnitentia, & confessione.

DISCAMVS, ò peccatores,qūo misericordia
se se habeat.Disce ò auare,quo pacto misicordiā ob-
tineas.Anteq̃ improbus veniat inimicus, qui aĩas no
stras corripiat,mutuā inter nos misericordiam,quæ

bonis operibus,& omni humanitate, ac beneuolētia plena sit,exerceamus.Operæpretium est,vt quæ mihi à Spiritu sancto nuntiata sunt, oībus significem. Si stultus ego sum,& eorum,quæ didici,nihil obseruaui,alius ea à nobis accipiens obseruabit. Ne maneat igitur apud nos vitæ semen mortuum & infructuosum. Neq; Regis talentum abscondamus.Si à recta via deflexero,noli me ducem sequi. Si labentem me videris,eandem in foueam ne incidas,caue.Deū & scripturas sacras contéplare.In his enim animæ cibū inuenies. Quæ tibi præcipiunt,re perfice.Et à diuinis mandatis ne recede. Ego discere cupio,docédi munere haud libenter fungor. Iniquitatibus scateo. Meipsum exploro.Obligo vulnera mea.Zizania,quę sunt in me,conor euellere.Bona spe vtcunq; sustentor.Ne te debilitet discendi labor. Ego quoq; magister tuus affligor. Cur, ò fili inani dolore cruciaris? Cur frustra cōquereris? Improbus ille semper exuit mentem tuā,vt hæreditatis partem eripiat. Satanas enim per dolum multos tristitia conatur afficere,vt eos per desperationé in gehennam detrudat. Thesauro spoliatus es tuo? Via tamen adhuc patet præclaræ mercaturæ:nec deest tpis spatium,quo thesaurum tuum recuperes.Vide tu modò desperationi ne succūbas,& illum diligenter collige. Vulneratus es? animo ne concidas. Ad mortem vsque fortiter pugna: vulnus ipsum ne reformida.In eo curādo ostende virtutem tuam, vt præclara gloriæ corona texatur tibi.Si te latro spoliauerit,ne deseras cursum institutum. In prælio contingit vt & feriamus & vulneremur. Si pruina læserit agrum tuum, tu tamen illum sedulus cole,& diligēter sere.Iam nubes adueniunt, & pluuiam è cœlo demittunt. Iter tuum fur tibi non intercludet,ne verearis.Onus sustulisti?Per viam regiam incede. Ex prælio,in quo vulnus accepisti,stude victoriā reportare.In loco vbi thesauro ante spo-

liatus es, potes eundem recuperare. Vbi fudit Acab 3. Reg.
sanguinem Naboth, ibi linxerunt canes sanguinem 21.
impiæ Iezabel. Acab, vt scriptum est, eiecit Naboth 4. Re. 9.
è propria vinea. Et te peccatũ vult è Christi mandatis dimouere. Acab Satanæ typum gerit: & Iezabel figuram iniquitatis. Vterque sitit sanguinem tuum: sicut iniquus Acab sanguinem Naboth expetebat. Quemadmodum dolo iustum hominem interfecit, sic iusto Dei iudicio periit. Virum probum perdere festinauit, vt vltor illius statim cerneretur Deus. Pugna nostra nunc oculis non perspicitur. Neq; enim,
vt inquit Apostolus, est nobis colluctatio aduersus Ephe. 6.
carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harũ. Clam Satanas homines oppugnat. At Christus apertè dissipat eius insidias, nosq; docet, quomodo illi resistamus. Certamen tuum, ò frater, non est leue nec risu dignum. Omnes angelos, & angelorum Dominum in lucta, quæ tibi cum Diabolo est, habes spectatores. Vincente te, & aduersarium prosternente plaudunt Angeli, & Deum plaudentes collaudant, qui tibi tribuerit improbum hostem vincendi facultatem. Bellũ augetur, vt & ipse proberis, & magis laudetur Deus, & homines exemplum habeant, quod imitentur. Quamobrem, vt antè diximus, si vulnus aliquod ab improbo accipis inimico, ne despõdeas animum, neve desperes. Si vinceris, ne iaceas vt victus, sed protinus surgens in aduersariũ tẽde. Præsto enim adest adiutor Deus, vt manum porrigat, & subleuet laborantem. Simulac enim manum tuam extẽderis, offeret dexteram suam, vt exciteris. Omne studiũ & curam adhibet scelestus aduersarius, vt te cùm cecideris, ad desperationem impellat. Tu illi, frater charissime, ne vtiq; crede, sed si septies in die cecideris, septies cõsurge, tibiq; Deum per pœnitentiã propitiũ redde. Quis nummum explorans ignoto crumenam

tradit? Quis mercator relictis nundinis in mare collectas reliquias abiicit? Caue, ne abiectis armis, quę tibi Christus dedit, hosti cum ignominia principis tui terga vertas. Exemplum tibi perspicuum propono. Vani huiusce mundi pugiles, licèt ab aduersariis grauissimè verberentur, non concidunt animis, nec fugam arripientes, certamen deserũt. Sępe enim fit, vt qui vinci videbatur, tandem è certamine victor discedat. Diem ex die ne differas, frater charissime, sed q̃ celerrimè ad Dominum te cõuerte, anteq̃ seuerissimi Iudicis sententia pronuntietur, quę te vocet ad reddendã rationem talentorum, quę tibi ille dedit, ne laudis loco damneris, & vinctis manibus, ac pedibus in tenebras exteriores extrudaris. Dum tempus patitur, ad iudicis pedes supplex accede, vt placatus ignoscat, & debita remittat tibi. Nos autem tecum pariter Deum collaudantes gaudeamus.

Seipsum reprehendit, & peccata sua confitetur.

QVI multis in rebus, fratres charissimi, vobis prodesse videor, animæ quoq; meæ prodesse debeo. Absurdum enim sit, cum fame cõfici, qui cibum aliis distribuit. Et turpe si ego, qui potum aliis suggero, siti ipse peream. Id autem fiet, nisi meam ipsius conscĩetiam coarguero. Quod si fecero, vtile mihi in iudicio venturo futurum spero. Cùm enim in populo versarer, inimicus expugnauit me in iuuentute, quæ mihi propè persuaserat, ea, quæ fiunt in hac vita, temerè casuq; fieri. Quamobrẽ accidit mihi, quod naui contingit gubernaculis spoliatæ, rectore in prora consistente. Vt enim illa vel retrocedit, vel cõsistit, vel etiam euertitur, nisi aliquod illi aut per angelũ, aut per hominem adsit auxilium. Sic ego in tẽpestatis errore versabar, nec periculum agnoscebam, cùm diuina benignitas me in interiori Mesopotamiæ re-

gione peragrantem fecit in paſtorem quendam inci derc,qui cùm ex me quęſiuiſſet quò nam mihi iter eſ ſet,& ego reſpõd ſſem,quò me pedes ferrẽt:Si me,in quit ille,audiueritis,adoleſcẽs, cùm ad veſp :rum inclinet iam dies,longius nõ diſcedes. His ego verbis commotus apud eum mãſi. Media verò nocte cũ paſtor profundo ſomno propter ebrietatẽ teneretur, lupi gregem adorti oues diſsiparũt. Domini autem aduenientes me quoque tanq̃ reum in iudicium ad duxerunt.Ego verò,rem vti contigerat, narrãs apud iudicem me defendebã. Interim adductus eſt quidã in adulterio,vt dicebant,deprehenſus,ſed mulier au fugerat. Iudex autem re dilata vtrũq; noſtrum eundem in carcerem coniici iuſſit,vbi quendam agricolam homicidii cauſa incluſum inuenimus. Quanq̃ neq; ille,qui mecum ducebatur adulter,neque agricola ipſe erat homicida, neq; ego gregis abactor fue ram,cadauer autem propter agricolã,& paſtor propter me,& maritus propter adulterum in alia cuſto dia ſeruabãtur.Illic igitur ſeptem diebus tranſactis, octauo die ſecundùm quietem vidi quendam me ſic alloquentem:Pius eſto,& Dei prouidentiam intelliges.Conſidera,quæ cogitaueris,& feceris, & cogno ſces,vobis iniuſtè nihil accidiſſe.Neque verò ipſi ſce lerũ auctores effugient. Somno ſolutus,quæ viderã, memoria repetebam. Et peccata mea cogitãs memini me cùm eodem in agro , vbi captus fueram, apud pauperem quendam diuertiſſem,improbitate quadã incitatum è cubili ſuo pardum exegiſſe,qui a feris i laniatus eſt. Cùm igitur ſomnium meum,& cauſam ſociis explicaſſem,ipſi ad me cõuerſi ita locuti ſunt. Agricola autem prior incipiẽs: Ego,inquit,cùm vide rem quendam in flumine ſuffocari, poſſemq́ue auxilium ferre,neglexi. At alter:Et ego,inquit, cùm mulier quædam vidua falsò in adulterii crimen vocaretur,illã oppugnaui. Qua de cauſa fratres eius,adem-

ptam illi, paternam hæreditatem lucrati, mihi prę-
mium, quod inter nos conuenerat, tribuerunt. His
ego dictis cœpi resipiscere, atq; intelligere nos meri
tò plecti. Quòd si solus fuissem, putassem fortasse, id
temerè & casu contigisse. Sed eramus tres pariter in
fraude deprehensi. Accedebat & quartus vindex ille,
qui nec genere cum illis, qui iniuria fuerant affecti,
coniunctus erat, neque conscius, aut testis extiterat.
Etenim nec mihi, nec sociis, quibus speciem & for-
mam eius descripserã, notus erat. Somno igitur rur-
sum captus, eundem vidi sic dicentem: Cras videbitis
& illos quos læsistis, & calumnię culpęque vestrę re
numerationem. Experrectus stabam cogitabundus.
Tum socii ad me, quid inquiunt, tristis es? Quibus
ego causam cùm exposuissem, exitum metuebam. Et
cogitationes illas de fortuna & casu tradideram obli
uioni. Atque illi mecum magna sollicitudine ange-
bantur. Cùm igitur nox illa transisset, adducimur,
quo quidem tempore, quinque vincti ad principem
pertracti sunt. Itaque illi, qui mecum erant, multis
affecti verberibus in carcerem reuersi sunt, meq; illic
reliquerunt. Tum adducti sunt duo in primis. Hi au
tem erant fratres illius viduæ, quæ calumnia ab ipsis
paterna hæreditate fuerat spoliata. Vnus eorũ in ho
micidio, alter in adulterio deprehẽsus erat. Sed cùm
hæc crimina confessi essent tormentis cogebãtur &
alia scelera confiteri. Homicida igitur confessus est,
se cùm in ciuitate negotiaretur, cum muliere quędã
consuetudinem habuisse. Hęc autẽ erat illa, propter
quam vnus ex iis, qui mecum erant in carcere custo
diebatur. Rogatus quomodo effugisset, Accidit, in-
quit, vt cùm obseruaremur, vicinus quidam alia via
accedens, nescio quid mutuò peteret: quod illa cùm
dedisset, me iam per fenestram demisso, orauit eum,
vt se quoque per eandem fenestram demitteret, quo
niam fœneratores ad se capiendam aduentarent. Id

ille, cũ faceret, à mulieris marito captus est. Nos autem elapsi sumus. Vbi nam, iudex inquit, est mulier? Et cùm indicasset locum, iussus est, vsque ad mulieris aduentum custodiri. Frater verò damnatus adulterii, se hoĩem etiam occidisse confessus est, cum nimirum, quem agricola, qui mecum erat, accusabatur interfecisse. Dicebat autem maritum illius esse fœminæ, quam adulterio corruperat. Cũ enim, inquit, diluculo prædium suũ inuiseret, fictæ salutationis gratia accedẽs illum statim interfeci, & aufugi. Familiares autem exaudito clamore, cùm essent egressi, hominẽ quendam agrestem, qui magno labore fessus illic dormiebat, comprehenderunt. Hæc ille cũ dixisset, locumq; & nomen mulieris indicasset, in carcerẽ perductus est. At reliqui tres constiterunt, quorum vnus in crimen vocabatur, ꝙ segetem combussisset, alii duo quòd se in cæde facienda socios exhibuissent, sed cùm paucis verberibus affecti, nihil confiterentur, in carcerem adducti sunt. Audiuerat enim iudex successorem suũ aduentare. Et ego, nulla de me habita quæstione, cum illis discessi. In eadem igitur oẽs custodia tenebamur. Iudex, autem, qui succedebat, è patria nostra erat, sed ego diu quis, & vnde esset, ignoraui. Interim, cùm magnum nobis dareẽ spatium quiescendi, amicitiam iniuimus. Cumq; priores mei iam essent studiosi, & reliquis ea, quæ contigerant, enarrassent, in me oẽs tanquam in hominem piũ intendebant. Et fratres illius viduæ, homine, qui aduersus eam testimonium dixerat perspecto, obstupuerunt. Rogabant autẽ me, vt sibi aliquid boni nuntiarem. Verùm ego multis ibi diebus cõmoratus, cũ, qui mihi in somnis apparuerat, nunquã vidi. In fine autem dierum rursùs illũ aspexi, me verbis eiusmodi compellantem: Cernis hos tres aliorum scelerum rei nunc pœnas pendent. Quod illis cùm retulissem, confessi sunt duo quidem se furis conscios extitisse.

Cum enim vicinum,inquiunt,vt vineam eius interuerteret,necauisset,testificati sumus,cũ de rupe pręcipitem cecidisse, & vineã ipsius esse. Tertius autem se ira cõmotum è tecto quendam deturbasse, qui casu illo interierit. Postea vidi rursus in somnis hæc mihi pręnuntiantẽ:Tu cras liberaberis,reliqui iustũ iudiciũ subibũt.Fac igitur,vt fidelis sis,& Dei prouidẽtiã prædices.Postridie iudex sedẽs in tribunali,de nobis omnibus quæstionem habuit.Et cognitis,quæ acta iam erant,cùm & fœminis,quæ aderãt, interrogatis,& æquis testibus adhibitis,veritatem cognouisset,innocentes absoluit, agricolam dico, & cum qui falsò adulterii fuerat accusatus,(fœminas verò iussit torqueri,vt exquireret,an aliis se se flagitiis cõtaminassent.Comperit igitur vnam earũ,odio illius, qui adulterum suũ detulerat, incitatã bona ipsius combussisse.Quo quidem ex incendio cùm quidam propius fugeret,tanq̃ auctor cõprehensus est.Et hic erat nobiscum,quem iudex,quæstione habita, innoxium cùm reperisset,dimisit.At altera adultera, cũ in eodem esset vico,vbi capti fuerant illi duo,qui in cæde facienda socii fuisse dicebantur, rem, vti gesta erit, confessa est. Qui occisus est, inquit,cùm domi meæ ab altero illius viduæ fratre,qui meus amator erat, mecum rem habere deprehensus esset,interemptus ab illo est,& in biuium proiectus.Cõcursu autem facto cũ duo viri quẽdam, a quo sibi hædus surreptus fuerat,persequerentur,eos alii conspicati,putãtesq; ideò fugere, quòd homicidium perpetrassent, comprehenderunt. Iudex igitur cùm nomen,& genus,& qui nã,& quales essent, explorasset, innoxios liberauit.Hi fuerunt quicunq;,agricola,& qui falsò adulterii insimulabatur,& tres vltimi. Porrò duos fratres, & flagitiosas illas mulierculas a feris iussit dilaniari. Tunc ego in medium adductus imperio iudicis, qui & si mihi beneuolentia coniunctus erat,tamen scire

voluit,quomodo res illa ouiũ gesta eẽt. Cumq; ego id,quod erat,exposuissem,meq; ille & voce & nomine cognouisset,familiaritas enim illi cum parẽtibus meis intercesserat,quęstione habita de pastore,& veritate cõperta,liberauit me post dies circiter septuaginta. Ea verò,quæ secuta est,nocte vidi virũ dicentem mihi: Reuertere in locum tuum,& age pœnitentiam,& scito,vnum esse oculum omnia perlustrantẽ: mihiq; grauiter comminatus recessit, neque ego eũ ad hunç vsque diem amplius cõspexi. Anxius igitur, & multis lacrymis plenus discessi, vtrum Deo satisfecerim ignarus, quamobrem omniũ precibus adiuuari me flagito. Vulnus enim erat grauissimum. Visis ego non efferor,sed ob impias illas angor cogitationes. Vidit & Pharao Angelum futura prænuntiantem,sed verba eius & prophetiam non mutauit. Dicit & Christus illis, qui in nomine suo prophetauerunt: Non noui vos,operarii iniquitatis. Me vera vidisse scio, & expertus sum, sed excruciat me mea in Deum contumelia. Qui enim asserit omnia temerè casuq; fieri,is diuinitatem tollit. Id cogitaui,non nego. Resipui,sed ignoro,vtrum mihi Deũ placauerim. De ipso apertè locutus sum,sed nescio vtrum verba illi mea fuerint grata. De prouidẽtia scripsi,sed ignoro,an illi placuerint scripta mea. Domum vidi, & patrem familiàs cogitaui. Mundũ aspexi, & noui prouidentiam Dei. Vidi nauem sine gubernatore mergi,& aĩaduerti sine Dei gubernatione inanes esse hominum labores. Vidi varias respublicas bene cõstitutas & intellexi Dei ordine atque præscripto cuncta consistere. Per pastorem grex viget,& per Deum omnia coalescunt. Inter triticum & spinas discernit agricola : & Deus omnibus in terra degentibus prudentiã adhibet & intelligentiã. Ab imperatore pendet exercitus ordo,& a Deo vera rerum omnium dispositio. Nihil in terra sine capite & origine. Quia rerũ om-

nium principium est Deus. Flumina è fontibus manant, & leges à diuina sapientia. Fructus fert terra, si tamen è cœlo fuerit irrigata. Adeò nihil per se fieri potest. Dies suggerit lucis copiam, sed tamē indiget radiis Solis. Sic & ab hominibus bona proueniūt, sed Dei gratia perficiuntur. Sol lumen cōtinet, sed cœlo indiget, in quo requiescat. Pariter & homines sancti indigent Deo, in quo consistant. Neq; splendor sine igne, neque sine tenebris nox. Mutuo enim omnia indigent auxilio. Atq; ita suum indicant moderatorem. Hoc eget illius ope, illud alterius. Nihil sponte sua est in rerum natura. Nemo enim seipsum potest facere. Nam si quis seipsum faceret, is esset anteq̄ fieret. Quomodo igitur postea factus esset? Quod enim est, anteq̄ fiat, non eget, vt fiat id, quod est, neq; alienum requirit auxilium ad eius, quod est, constitutionem. Solus igitur Deus non factus. Sponte enim & à seipso fieri secum pugnat. Neq; ignorat Deus se nō esse factum. Neque enim, vt nos, infantiæ principiū habuit. Non est ignarus essentiæ suæ. Neq; enim eā illi quisquā tribuit. Nouit id, q̄d est, & superat oēm hominum cogitationem. Non inuidet, sed parcit nobis. Neq; enim audire possumus principium rei, quæ non est facta, quoniam ne dici quidē potest. Rei principio carentis principium intelligere non valemus.
Exo.20. Neque enim tantā habemus intelligendi facultatē. Terrena Deus è mōte Sina locutus est, & populi cōtremuit multitudo. Quid igitur, si cœlestia loquatur faciemus? E terra locutus est, & homines innumerabiles exhorruerunt. Quid faciemus, si è cœlo nos al-
Exō.20. loquatur? Orauit populus, ne Dei vocem audiret, & Deus id illi concessit, quod petebat. Deū orauit Moses, vt cum populo permaneret, & perierunt multi, quia nō poterant ad naturam diuinam appropinquare. Ostendit igitur Deus fieri propter iustitiam suā, vt peccantes immedicabilē plagam acciperent. Itaq;
peperčit

pepercit nobis,ſubduxitq́; ſe,vt viueremus.Sic etiam arcana tegit, quæ capere non valemus. Acceſſit ad Aaron,& cum filios eius reos inueniſſet,occidit eos. Acceſſit ad populũ, & multos peccatores interemit. Quamobrem ſi diuina nobis dixerit,& non crediderimus,nos omnes interficiet. Iccircò nobis ea nõ dicit,quia præuidet,nos non eſſe credituros. Rectè igitur facit conſulens nobis,ne moriamur. Non tribuit nobis tantam intelligentiã, vt liberæ extinguat propoſitum voluntatis.Maiores nõ exhibet vires, ne naturam confundat.Benignitatem non exhaurit, ne ab improbitate ſuperetur. Non facit hoĩes Angelos,ne poteſtates peruertat. Non facit Angelos Cherubin, ne miniſteria perturbet.Tantum cuique largitus eſt, quantum natura quælibet creata capiebat. Naturas conſtituit,& reperit eas miſericordiæ, vtpote mutabiles,indigere.Eis ſeipſum ſic impertiuit, vt ſubſiſterent,quod amplius erat,condidit, habita imbecillitatis earum ratione.Congruentem item dedit intelligendi facultatẽ,ne ſuperbiæ cauſam præberet. Quẽadmodum qui pueros ad malum exercent,ipſi magis ſunt reprehendendi.Dedit,quod capere poterant,& ignouit,quod nõ poterant.A nemine enim, quod vires eius ſuperet,exigit.Nolite igitur,ò mortales,potentiam ipſius incuſare, ꝙ naturam veſtram nequiuerit facere capaciorem. Non opifex in cauſa, ſed ipſa natura. Aurifex habet artem,qua dirigit opus ſuum, eiq́; tantum tribuit,quantum capit, & non amplius, quamuis multũ illi auri ſuperſit.Sic & Deus, quãuis omnia poſsit,non tamen plus tribuit, q̃ rei cuiuſque natura patiatur. At materiam ipſe fecit. Ideo ipſum laudate,qui tantam varietatem conſtituit.Nemo aurifex,vt auri materiã adaugeat,ſeipſum auro adiungit.Nec Deus,cùm omnia miracula excogitaſſet, fecit vt materia naturæ ſuæ ſimilis eſſet.Magnas rebus procreãdis diuitias effudit. At quòd factum eſſet in-

fectum,nec cogitauit,nec inuenit,nec fecit. Vultis videre facilitatem eius immensam? Cœlos,& quæ in cœlis sunt,verbo procreauit. Ex quo patet,eũ multò plus posse, sed natura ipsa procreata plus non capit. Quantò verbis præstantiora sunt opera, tantò sine comparatione rebus creatis Deus antecellit. Fecit igitur omnia ad cuiusque vtilitatem. Nulla coactus necessitate tot differentias inuenit,quoniam de primis experimentum dedit in secundis.Non tantæ pulchritudinis causa necessitas extitit,alioquin opus al-

Psalm. 142. terius esset,non autem Dei. Necessitas enim liberã excludit voluntatem. Omnia,quæ voluit,fecit in cœ

Gen. 1. lis & in terra,sicut diuina scriptura testatur. Rerum ordo Dei laudem celebrat.Malum nõ est boni causa, neq; ad pietatem adducit. Si malum prius extitisset, bonum fieri non permisisset, alioqui non fuisset malum,sed bonum. Si materia cõstitisset aduersus Deũ, cùm esset inanimata, cum illo pugnare nõ potuisset. Sin dixeris materiæ aĩam esse cõfusionis actionem, absurdum est existimare, animam esse actionis motum.Nihil enim eorum,quod quisquã nostrum facit, anima est.Materiæ actio,inquies, ex quodam collaudante consistit.Magna stultitia sit, ęternum aliquid inesse existimare in materia, quæ in continua alteratione mutationeq; versatur. Quicquid enim mutatur,caducũ est. Quomodo ergo quod est mutabile, sit æternum?Nihil igitur semper fuit, nisi solus De⁹, quo egent omnia.Ipse enim sponte sua fecit illa, nõ autem vlla adductus necessitate. Et singula fecit, quemadmodum voluit. Et voluntas eius nulli subiecta est necessitati.Ideoq; ea, quæ fecit, non sunt illi coæterna. Si enim voluntas eius necessitati coniuncta esset,coæterna illi forent ea,quæ procreauit. Et procreatio voluntati congrueret.Verùm procreatio non erat necessaria,nam coæterna illi fuissent, quæ sunt procreata.Et sic esset affectionum expers,vt vo-

luntas eius, atq; adoratio. Iccircò non ex necessitate sibi constituit adorationem, alioqui, vt adoraretur, ea, quæ fecit, fecisset sibi coæterna. Neq; enim quicq̃ ex eo patitur, quòd à gentilibus non adoratur, neque pro adorationum varietate commouetur, neque ad indignationẽ impellitur, quod imperfectè à Iudæis adoratur. Neq; propter hæreses perturbatur, ꝙ sibi ex parte tantùm exhibent adorationem. In omnibus enim sine perturbatione idẽ ipse manet, qui erat anteq̃ omnia procrearet, ad hunc vsque diem, & deinceps in sempiternum. Rerum est omniũ causa bonitas eius. Et naturæ terminus iustitia ipsius. Sapientia verò rerum ordine & varietate declaratur. Dedit igitur nobis, ò mortales, vt dixi, quod capere possumus, habita virium nostrarum ratione. Cæterum, & si nihil eorum, quæ fecit, ipsum capit, genuit tamen sine principio ex substantia sua filium suum, non ex necessitate, aut causa aliqua, quemadmodum diximus, cùm de Verbo loqueremur, vt bonitatis eius acciperet plenitudinẽ, quoniam naturaliter ipsum ex substantia genuit. Omnis autẽ eius natura à necessitate, & causa seiuncta est. præsertim quia voluntati naturam miscuit, & vtraq; cũ bonitate coniunxit. Bonitas enim plenitudinem ostendit, quia genuit, à quo naturaliter caperetur. Natura autem dignitatem, quia nõ indignus, qui capit, vtpote filius, non factus. Porrò voluntas necessitatem exclusit quia nõ propter aliquid genitus est, sed vt semper perfectum esset mysteriũ æternitatis. Et vt non dicamus voluntate necessitati subiecta naturaliter Dei filium esse genitũ. Iam Spiritus sanctus nõ genitus, sed processit ex substãtia Patris, non imperfectus, neq; promiscuus. Neque enim aliàs Pater est, aliàs Filius, sed Spiritus sanctus plenitudinem habens bonitatis, & in diuinitatis testimoniũ procedens, qm̃ Pater nõ vlla perturbatione, aut tẽpore, aut necessitate, aut mutatione, aliave causa

filium genuit, sed natura ab omni remota necessitate, aliumq; consortem volens non genuit, sed produxit Spiritum sanctum, nõ ante filium, ne dicamus necessitati voluntatem eius esse subiectã. Neq; timuit hominum dubitationem, ꝙ quodãmodo impatibilis existens genuit, habens demonstrationẽ Spiritũ sanctum, quia non generans secundùm seipsum produxit, sic & generans filium secundùm seipsum genuit sine perturbatione. Neque enim imminutus est procedente Spiritu sancto, vt filii generationem perturbationi cuipiam obnoxiam possimus suspicari. Quòd autem post filium dicimus Spiritum sanctum. Id nõ tempus, sed personam significat. Spiritus enim & verbi eadem est æternitas. Nam & nos in verbo pronuntiando spiritum nostrum mouemus, & cum verbo spiritum producimus. Pater igitur nec tempore indiguit in Verbi generatione, nec vllo temporis spatio post Verbum produxit Spiritũ sanctum. Quamobrẽ & Sanctæ Trinitati diuinitas est coæterna. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ sunt, sed vna substantia, atque vna diuinitas. Quapropter & Deus vnus est sancta consubstantialisque trinitas. Et quòd sit Verbum in spiritu, dicit de nobis Dauid, quia spiritus est in ore nostro. non ꝙ similis sit compositio in ipsa diuinitate, sed vt exemplo, quæ dicta sunt, intelligantur. Quantum igitur capimus, intelligimus de Deo. & quantum ferre possumus, tantum ab eo accipimus. Quòd si plus audiuerimus, non credemus. Et si plura acceperimus, extollemur. Meritò igitur plura non dicit, neque dat. Iccircò autem hæc recẽsui, vt etiam in ipsa cognitionis distributione diuinam eius prouidentiam declararem. Dicit enim &
Io.3. ipse Christus: Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si vobis cœlestia dixero, credetis? Ego verò sermonẽ ita conuerto: Si cœlestia capere nõ possumus, quomodo quæ ad diuinam naturam pertinent,

audientes, percipiemus. Si iudæi temporaria manda ta non obseruantes perierunt, quantò magis nos peribimus, si quæ de Deo audiuimus, nō custodiemus? Quantò autem corporis morte mors animæ formidabilior? Quātò, inquit Apostolus, putatis deteriora mereri supplicia, qui conculcauerit filium Dei? Hæc omnia, quæ dicta sunt, fratres, scripsi propter me. Vereor, ne deteriore illa morte afficiar. De cognitione enim disserui, vt me in Dei cognitione peccasse demonstrarem. Potentes, inquit ille in libro sapientiæ, potenter tormenta patiētur. Cognitio est virtus ac donum diuinæ gratiæ. Et ego post Christi cognitionē in cogitationib⁹ de fortuna & casu versatus sum. Timeo igitur, ne mea, sicut Esau pœnitētia repudiet. Scio Esau in malitia permansisse, & ideo fuisse reiectum. Sed vereor, ne mea pœnitentia peccato similis iudicetur. Audiuistis infinitam esse diuinæ potentiæ magnitudinem? Illuc vsq; dicendo prouectus sum, vt quibus ego miseriis detinear, cognoscatis? Audiuistis diuinæ pelagus sapientiȩ? Cur igit̄ pro me apud Deum fontes nō effunditis lacrymarum Audiuistis immensam diuinæ iustitiæ vim? Cur ergo viscera vestra pro me non ostenditis? Scio Deum multis, qui pœnitentiam egerunt, ignouisse, sed maior eorū pars peccauerat per ignorātiam. Eum multis veniam dedisse non ignoro, sed multos habebāt adiutores. Quȩ de Chore & Dathan scripta sunt, lego, & perhorresco, quoniā illis Deus ꝑpter Mosem iratus est. Quæ Mariæ Mosis sorori contigerint, considero, propter verbum enim, quod aduersus illum dixerat, eam lepra totam operuit. Si tanta propter virum sanctum exarsit indignatio, quid fiet propter Deum immortalem? Si Cain ob fraternam cædem tam diuturno supplicio afficitur, quid illis fiet, qui Deum offendunt? Concurrite, fratres, & mihi veniam impetrate. Vt vobis quoque Sancti, siquid peccatis, opitulentur. Qui

Heb. 10. Sap. 6. Heb. 12. Nu. 16. Nu. 12. Gen. 4.

enim casu fortunaq; putat cuncta cõtingere, is essentiam negat diuinitatis. In ea ego sententia fui? Non mentior. Resipui & egi pœnitentiã, sed nescio, vtrum mihi Deus placatus sit. Precor & Sanctos, vt intercedant pro me, sed ignoro, an eorũ preces suscipiãtur.
Ca. 14. Lego enim apud Ezechielem, neque Noe, neq; Iob, neque Danielem, si orauerint, exoraturos. Obsecro prophetas omnes, sed metuo, ne reiiciar, quemadmodum impius Israel. Sic enim loquitur Deus ad Hieremiã: Noli orare pro populo isto. Quid igitur? Donis placabo Dominum? At vereor, ne mihi idẽ, quod
Esa. 58. Pharisæis dicat, me vtilitatis meæ causa id efficere.
Ps. 140. Si ieiuno: Hoc non est, inquiet fortasse, ieiuniũ, quod elegi. Si pauperũ miserebor: Oleum, forsitan dicet, peccatoris non impinguet caput meũ. Si sacerdotes ei[9] amplectar, fortè dicet mihi: Quia Nazaræis meis vinum præbuisti, detestabilis eris. At offeram illi munera. Timeo, ne mihi dicat: Si obtuleris similaginẽ, sacrificium tuum inuisum est mihi. Quid? quòd & in Ecclesiis sedere vereor, ne me item eiiciat: Aulam, inquiens, meam calcare ne audeas. Vndique igitur premor, fratres, & ad conscientiã meam redeo. Si impiè rursum egero, væ mihi. Si arrogans fuero, vereor, ne me caligine opprimat. Et Nabuchodonosor, cùm pœnitentiã egisset, susceptus est. Sed eum defendit tum ignorantia, tum principatus. Hac ego careo defensione. Eram iam gratiæ particeps, eram in Christi disciplina à patribus institutus. Illi, à quibus secundùm carnem genitus fueram, timorem Domini mihi tradiderant. Vicinos videram pietatis studiosos. Multos audiuerã pro Christo cruciatus, mortéq; perpessos. Parentes mei in iudicio Christum professi fuerant. Martyribus sanguine cõiunctus sum. Nullam habeo excusationem. Si cõmune carnis genus dixero, nihil ab illis differam, quos beatus Iob cõmemorauit. Maiores mei peregrini, opera & manu victum quærita-

runt,aui fuerunt agricolæ, parentes non admodum abiecti ciues.Quo igitur nomine me Nabuchodono ſor ſimilem exiſtimabo?Quæ in pueritia geſſerim pi get commemorare, ne vilem me vobis abiectumque conſtituam. Cùm adhuc eſſem iuuenis,me Chriſtianum profeſſus ſum. Attamen paucis illis annis contu meliosus,percuſſor,ſeditioſusq; fui,& cum vicinis litigioſus,atque inuidus,in hoſpites inhumanus, in amicos durus,acerbus in pauperes, immodeſtus, malis vacans cogitationibus,ac voluptatibus vel præter tempus. Quæ tamen omnia ſcio mihi fuiſſe cõdonata.Sed quid poſtea geſſi?quid poſt veritatis cognitio nem commiſi?Auxilio veſtro,amici, vehementer indigeo.Succurrite mihi.Me vel tanq̃ mortuum deflete,vel tanq̃ ſpirantem adhuc,ſed ſemimortuum com miſeramini.Super me veluti ſuper captiuum effundi te miſericordiam veſtram.Mihi tanq̃ putridis vulne ribus ſcatenti ſubuenite. Plenus enim plagarum ego ſum.Iudæos ego ſupero. Illis non erat locus ad vincula.Mihi verò & anima ipſa corrupta eſt.Illi à capite vſq; ad pedes miſeriis premebantur. Mihi viſcera quoque computruerunt. Vltrò aduerſus Deum ego contumeliam cogitaui,ſolum Diabolum, qui mentẽ meam excæcauit,ſocium habeo. Timeo,fratres mei, ne ſicut illi,ſic etiam mihi adſit impœnitẽtia. Vnam hanc habeo excuſationem, ꝙ ille mihi ſuggeſſerit tentationem. Verùm hæc excuſatio Adæ nihil profuit,nihil profuit Euæ,nihil Eſau. Vt intelligamus, eos Diabolum habere ſimiles, quos Paulus vaſa iræ appellat,qui ſunt ex parte eius.Vereor,ne me quoq; vnum ex illis Deus eſſe ꝑmittat.Eos propter cõtemptum tradidit in poſſeſsiones ignominiæ. Itaq; metuo,ne in me quoque eandem ferat ſententiam.Sed & nunc item multùm in ſordidis verſor cogitationi bus,in inuidia,in maleuolentia,in iracundia, in arro gãtia,in gula,in malitia,in odio paupertatis,in egen- Rom. 9.

tium perſecutione.Cùm ipſe nihil ſim,me tamen aliquid eſſe arbitror.Cùm tot vitiis laborem,tamen aucupor nomen ſanctitatis.Cùm tot ſim peccatis obnoxius,tamen volo me iuſtum exiſtimari. Mentior, & mẽdaces redarguo. Animo ſordidus, libidinoſos inſector.Pauperes lædo,& fures reprehẽndo. Cõtumelioſos damno,cùm eidem affinis ſim vitio.Splendidè incedo,cùm totus ſim impuriſſimus. Primum in Eccleſia locum teneo, cùm ne poſtremò quidem ſim dignus.Honorem appeto,cùm ignominiam merear.Salutationes capto, cùm ab omnibus ſim conſpuendus. Homines video ſæculares,& glorior. Monachos aſpicio,& efferor inſolẽtia,Mulieribus videri cupio gratioſus, diuitibus pius, hoſpitibus grauis, domeſticis cogitabundus & prudens, propinquis honoratus, & prudentibus perfectus. Inter homines pios verſor vt ſapientior.Simpliciores vti pecudes contẽno.Siquis me afficit contumelia,vlciſcor. Siquis me arguit,illi ſuccẽſco.Siquis quid repetit,in iudicio me defendo, Vera dicẽtibus,vt inimicis indignor. Admonentibus iraſcor.Non adulantes odio proſequor. Fratrem calamitatibus oppreſſum nõn agnoſco.Ad fœlicem accurro.Aegrotantes auerſor.Si æger ipſe ſim,ab omnibus inuiſi volo.Maiores deſpicio. Abſentibus detraho,præſentibus adulor.Honorare,q honore ſunt digni,recuſo,& indign⁹ ipſe honores exigo.Prętereo animi mei cogitationes,de lege,de ꝓphetis,de euangelio,de Apoſtolis,de Eccleſiæ doctoribus, de concionatoribus,de ſacerdotibus,de lectoribus,de diſpẽſatoribus,de Epiſcopis.Omitto quas quotidie nouas curas inuenio,vanitatis meæ ſollicitudines, deſidiã in orationibus,conſtantiã in vaniloquiis. Si quis de nugis loquitur,oblector. Sin de tẽperantia, mœreo. Diuinã legentes ſcripturam fugio, de quæſtionibus concertantes libẽter audio. Omitto fictas aſſentationes,artificioſos in ecclesias greſſus, ex induſtria cõ-

quiſitas in inceſſu tarditates, futiles in congreſſibus ſermones, nimiam in parandis epulis diligētiam, mala in locis ſacris colloquia, inertiam in precando, in pſallendo negligentiam, ſtudium in decipiendo, artē in lucrando, ſimulatas cum piis mulierculis familiaritates, frequentes compellationes, inopum contemptum, diuitum obſeruantiam, inexplebilem accipiendorum munerum cupiditatem, cum alienis peccatis coniunctionē, inutilia conſilia, ſpe maioris lucri adulationes, cōtentiones, ſupplicationes, ſtultas commemorationes, rixas pernicioſas, inutiles pugnas, ineptas cōſuetudines. Hæc eſt vita mea, fratres, hæ ſunt infirmitates meę. Si aduerſus tantam peccatorū multitudinem mihi poteſtis opitulari, mei, quæſo, miſeremini. Si vobis adſunt vires, quibus tātam malarum cogitationum phalāgem poſſitis profligare, obſecro vos, ne me deſeratis. At nō erat, dicet aliquis, tam anxiè de cogitationibus diſſerendum. Quorſum de fortuna & caſu ſermonē inſtituenti tam longa de rebus iſtis oratio? Ex diuina ſcriptura, fratres, habeo demōſtrationes. Sacrificabat Iob pro filiis ſuis, Ne fortè, inquiens, mali quippiam cogitauerint in cordibus ſuis. Iob. 1.
Si cogitationum non eſt habēda ratio diligenter, cur holocauſtū pro peccatis cogitationis offerebat? Damnati fuerunt & illi, qui in cōgregatione Chore malè cogitabant, & malècogitantes cōbuſti ſunt. Iam cùm audimus illud; Veſtri autē & capilli capitis numerati ſunt: intelligamus, capillos capitis eſſe cogitationes, caput autem mentem, in qua vis eſt cogitādi. Ex conſenſu Dominus iudicat adulterium, & ex mulieris cupiditate factum metitur, & cædem ex iracūdia, & odium exiſtimat homicidium, Omnis, inquiens, qui temerè iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, & qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. De cogitationū exploratione teſtatř & Paulus, Illuminabit, inquiens, Dominus, abſcōdita tenebrarū, & manifeſtabit con-

Nu. 16. Matth. 10. Matt. 5. 1. Io. 3. 1. Co. 4.

Rom. 2. filia cordiū. Et rurſum, accuſantibus cogitationibus, aut etiam defendentibus in illa hora. Ne dixeris igitur mihi, nihil eſſe cogitationes, quādo conſenſus earum pro factis exiſtimatur. Neque tamen primus cogitationis impetus iudicatur, ſed cùm animus ſic indulget cogitationi, vt ex ea percipiat voluptatē. Non omnia, quæ in terra ſpargit agricola, ſemina coaleſcunt. Neque omnia mentis cogitata inhærent in voluntate. Eorum, quæ terra ſuſcipit, fructū exigit agri-
Io. 15. cola. Sic omnium, quæ voluntas approbat, Deus rationē repetit. Pater meus, Saluator ait, agricola eſt.
1. Co. 3. Et Paulus: Dei, inquit, agricultura eſtis. Nolite igitur meā ſollicitudine remouere, ſed contrà potius,
Heb. 4. vos quoq; pro me ſolliciti eſtote. Idem Paulus alio in loco, Viuus eſt, inquit, ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingēs vſque ad diuiſionem animę ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationū & intentionum cordis. Si diſcernit cogitationes, cur mihi reo non opitulamini. Vultis animam & ſpiritum cognoſcere? Id ex agricultura rurſum intelligetis. Norunt agricolæ naturas agrorum, & pro cuiuſque terræ ratione ſemina iaciunt. Peritia enim ſua cognoſcunt quid cuiq; ſolo conueniat. Sic & Deus noſter diſcernit inter naturales & voluntarias cogitationes, per animam enim naturales, per ſpiritum voluntarias ſi-
Ecc. 1. gnificat. Omnia vanitas, inquit Eccleſiaſtes, & afflictio ſpiritus. In vanitate naturam conſtituit, in afflictione actiones naturæ repugnātes. Ideo vanitas, in-
Ecc. 12. quit, tranſibit. Quæ autem quiſque egerit, in iudiciū
1. Co. 2. adducet Deus. Ex natura homines Paulus item appellat animales, naturæ verò aduerſantes, carnales. Nam qui ſpirituales ſunt, naturam quoque ipſam ad ſpiritum accommodant. Nouit enim agricola Deus naturam omnium, & propoſitum, & facultatem, verbumq; ſuum pro cuiuſq; viribus ſerit, actioniſq; fru-

ctum exigit. Consensus ipsi profectò, fratres mei, pro factis iudicantur. Actionis enim vis & caput in ipso cõsensu & proposito situm est. Iccircò Dominus malis cogitationibus dixit hominem coinquinari. Anima enim est, quæ agit in corpore. Possum hoc vobis ex lege depromptis exemplis comprobare. Vt si immundus tetigerit, quod mundũ est, illud coinquinat. At libido, & inuidia, & iniustitia sunt immunda. Si qd igitur mali facias, alios coninquinas exẽplo tuo. Sin animo & cogitatione tantùm malo consensum præbeas, tu solus inquinaris, & de te solo rationem reddes. Quòd si aliis eris offendiculo, reus eris omnium, qui te imitabuntur. Quid gentiũ leges, nonne facientes consentientesq; puniunt? Consensus enim auxilium iudicatur. Lex autem etiam in ædibus & lapidibus aliud proponit exẽplũ, si Sacerdos, inquiens, ingressus fuerit, & viderit lepram domus, omnia, quę in ipsa sunt, erunt immunda. Per sacerdoté, mea quidem sententia, lex cognitioq; intelligitur. Si quis igitur, anteq̃ legis cognitio ad se peruenerit, peccator existit, pro aliis rationem non reddet, quoniam peccauit imprudens, ipse tamen turpiter immundus est. Datur & alia interpretatio, quã quidem ego in medium afferam, vt me multis esse peccatis obnoxium intelligatis. Sunt quidam nondum inquinati, & tamen propter societatem immundi, ii nimirũ qui per ignorantiam cõnsensum adhibent. Quòd si celeriter recesserint, ne consensus quidem reddent rationem, quãdoquidem nec leges ac iura testes prætereuntes condemnãt, sed eos duntaxat, qui voluntate, & dedita opera intersunt. Quos igitur lex ac magistra nostra cum inique agentibus sponte versantes consentientesq; deprehenderit, eos condemnat Atque his quidem legibus & Apostolus vsus est: Digni sunt, inquiens, morte non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Huc ea pertinent, quæ,

Mat. 15.
Lc. 5.
Nu. 19.
Leu. 13.
Rom. 1.

orationis initio commemorauimus. Etenim qui testes malorum ſpectatores tantùm extiterant, propterea quòd morte nihil dignum admiſerant, fuerũt abſoluti, licèt omnia cruciatuũ genera pertulerint. Nemo veſtrum me conſoletur, dicens nihil referre conſenſum qui cogitationibus adhibetur, ſed potius cognita veritate vicem mea doleat. Etenim hoc ipſum, quod loquor, non emendans vitam meam, mihi vertitur crimini. Nam, vt ſcriptura teſtatur, ſcienti facere bonum, & nõ faciẽti, peccatum eſt illi. Et qui admonitus non erubeſcit, grauiter plectitur, quoniam ad iracundiam prouocat præceptorem. Ego quidem accuſo meipſum, ſed in peccatis permaneo. Peccata mea cõfiteor, ſed peccare nõ deſino. Id vnum ad me excuſandum arripio, quòd videns non video. Quippè qui pœnitentiam agens ad peccata redeo. Neque enim in iis quæ facio, conſideratè me gero. Pœnitentiam meam accuſo, quòd ſim tanq̃ ſeruus peccati, & malum inuitus faciam. Ac veluti peccato militans ſubiectus, & quanuis nequeam, vectigal pendo propter conſuetudinem, quæ cogitationi meæ dominatur. Stipendia carnis accipio, dum cupiditatibus incumbo. Quid a me corruptio quærat, non ignoro, & mandatis eius obtempero. A laboribus abhorreo, & aduerſus imperantes tanq̃ catenis deuinctus canis inſurgo. Peccatum odi, ſed indulgeo cupiditati. Iniquitatem fugio, ſed inuitus ſuperor à voluptate. Peccati ſeruituti naturam ſubieci, inde neceſſitas proficiſcitur. Quæ per conſuetudinem amplexus ſum, ea in me cupiditates accendunt. Carni mentem ſic obſtrinxi, vt ab ea nolit ſeparari, Mutare propoſitũ ſtudeo, ſed inueterata repugnat inſtitutio. Ab ære alieno liberare animam cupio, ſed eius impedit magnitudo. Improbus fœnerator eſt Diabolus. Nõ repetit debitum. Promptè mutuat, nec vult vnq̃ exigere. Nullũ aliud fœnus poſtulat præter ſeruitutem. Abũdè ſug-

Iac.4.

gerit ea, quibus cupiditates nostræ augeantur. Hoc ille lucrũ attendit. Volo ego reddere, quæ debeo, at ipse alia subministrat. Sin cogo, vt accipiat, maiora suppeditat, vt ex iis, quæ eius sunt, ea depromere videar. Cùm vetera spero me debita persoluisse, nouis me cupiditatum chirographis obstringit. Nouit me debiti continuatione adduci, vt libens peccator existam, & nouas iniicit cupiditates. Operam dat, vt veterum cupiditatum obliuiscar, ne illas cõfitear, suadetq; vt ad nouas tanq̃ minimè nocituras accedam. Nouis igitur me cupiditatibus insinuo, & temerè trado veteres obliuioni. O improbum Draconis nominatum, qui seruiens imperat. O fallacem cupiditatũ licentiam, quæ adulando redigit homines in seruitutem. O miseram peccati consuetudinem, quæ in naturam conuertitur. Hæc arras dedit, vt mentem emeret. Carni indulsit, vt animam subiceret. Adolescentiam meam oppressit, vt mens, quid ageretur, ignoraret. Imperfectum sibi sensum coniunxit, vt eo tanq̃ catena ferrea perfectam intelligẽtiam retineret. Volentem aufugere vinculo cohibet. Et a carne deficere cupientẽ, vt stultam reprehendit. Peccato fores occludit, ne supplex ad Deum confugiat, carnemq; liberet iureiurando confirmat non esse malum, carni indulgere, neque de re tam exigua rationem exactum iri. confusum multarum cogitationum aceruum proponit, negatq; fieri posse, vt earũ cognitio habeatur. Earum ostendit subtilitatem, easque sub examen minimè venturas, sed obliuione delendas affirmat. Si iudicium futurum proposuero: Ego, inquit, culpã præstabo. Si dixero peccatum esse: Ego, inquit, defendã. Si pœnam mihi imminentem ostendero: Quomodo, inquit tibi, si ego subieci. At ego, inquam, quòd paruerim, cõdemnabor: Nequaq̃, inquit, quoniam ego te coegi. Quomodo potes iudicari, cùm ꝓposito nõ pecces, sed me impellẽte? Omitte igitur sollicitudi-

nem. His me rationibns capit. His me rationibus illigat. His me vendit, atque emit. His me fallit, ac decipit. His mihi adulatur, meq; suæ subiicit seruituti.
Rom. 7. Mei similem peccatorem Paulus carnalem appellat. Mores inter naturam atque peccatũ sunt medii. Perturbationes fouent peccatum, & naturam affligunt, animam opprimunt, & mentem redigunt in seruitutem. Carnis opera peccatum vtitur ad animã ac mentem superandam. Iussa enim eius vt ministra sedula perficit. Si verberare vult animam id per carnem exequitur. Caro enim est veluti animæ catena quędam, qua illam tanq̃ ouem ad cædem trahit. Hac sublimẽ volucrẽ humi deprimit. Hac gigantis pedes manusq; vinctas concidit. Nec fugere valeo, nec mihi ipse opitulari. Sum enim veluti mortuus viuẽs, & cæcus aspiciens. Factus sum veluti canis, quanuis sim homo: & cùm ratione sum præditus, vt iumẽtum effectus sum. Miseremini igitug mei, o amici mei. Me humi iacentem excitate, quicunque naturam corporis natura spiritus temperastis. Nolite in terra commorari, qui peccatum, vt vulpem estis persecuti, & cupiditates tanq̃ feras bestias superastis. Festinate, quæso anteq̃ sententia pronuntietur, anteq̃ moriar, ne vnà cũ stultis virginibus excludar, anteq̃ reuertar in terram, vbi nõ licet mortalium vitam intueri, nec de iustitia aut iniustitia disputare. Vbi non est corpus, per quod vita aut mors ad animam accedat. Vbi nõ est caro, per quam inimicus ab eius infirmitate victus confundatur. A miserabili cupiditatũ affectione Domino adiuuante cupio liberari. Si mei misertus fuerit, parere illi certum est. Si mecum egerit secundum multitudinem misericordiæ suæ, a peccato me liberabit. Et si in me benignitatem suã effuderit, saluus ero. Scio nihil ei esse difficile. Non despero de salute mea. Misericordiæ ipsius magnitudo superat multitudinẽ meorum peccatorum. Eum, cùm factus est homo, misertũ

esse omnium non ignoro,mihique in baptismate pec cata fateor condonasse:huius enim gratiæ ipse quoque particeps factus sum. Ceterùm eorum,quæ post baptisma commisi,egeo medicina. Quod cùm ita sit, tamen is,qui suscitat mortuos,curare me potest.Cæcus natus sum,sed ipse cæcum a natiuitate illuminauit.Ouis sum a leone deuorata,sed ipse ex ore serpẽtis Adã liberauit.Canis propter peccata sum factus, sed curabor,& ad illius Syrophenissæ similitudinem filius efficiar.Vt leprosus reiectus sum, sed, si voluerit, mundabor. Post veritatis cognitionem peccasse me planè noui,sed sanctum habeo Dauid pro me,supplicantem.Ille Dei auxilio resipuit,& ego eodẽ adiuuante resipiscam.Magnis me peccatis obstrinxi, non nego:sed maior tamen est clementia Dei.Qui publicanum prouexit ad apostolicã dignitatem,mei quoque,quanuis magnus peccator sim,miserebitur.Qui suam in Zachæum benignitatem ostendit, eãdem in me,licèt indignus sim,declarabit.Lupus erat Paulus, qui Christi gregem persequebatur,sed deposita crudelitate factus est ouis. Qui tanq̃ fera oues dissipabat,idem bonus regendis illis pastor præpositus est. Quòd si per ignorantiam ille,ego autem prudẽs peccaui.Maiorem ipse gratiam acceperit,ego veniã tantum impetrem peccatorum. Hìc, fratres, hæreo,hìc opem vestram imploro.Neq; enim iudicium duntaxat reformido,sed dedecus & ignominiã extimesco. Eos,qui me nunc obseruant & colunt, valde vereor, timens,ne in eorum cõspectu confundar propter occulta peccata mea.Vereor eos,qui me genuerunt,ne olim in æterna degẽtes vita condẽnent me, qui ea, quæ supra vitam hanc sunt,professus fuerim.Si vobis rursum molestus videor,fratres, ignoscite,& necessitati culpam ascribite.Illam volo viduã imitari, quæ importunitate sua, quod voluit,impetrauit. Impudentẽ itẽ amicum illum imitabor, & vobis molestus

cro,vt è lecto surgentes,pro me Deum exoretis.Ille panis solatium flagitabat, ego salutis auxilium. Ille carnis cibum, ego animæ medicinam. Si vultis,assequar,quod ipse cupio. Facilè enim mihi benignũ Dominũ conciliabitis. Pro me,quæso supplicate,& preces vestræ Deum mihi profectò propitium reddent. Cupit ille misericordiam impartiri, sed studii ac pietatis vestræ fructum quærit. Ad ignoscendum est paratissimus,sed expectat,vt vos benignitatis suæ participes sitis.Miserẽdo vult docere,& ignoscẽdo socios quærit. Omnibus in rebus bonitas ipsius perspicua est. Qui deflet peccata sua, cauetq; ne proximo pariat offendiculum,neve alios ad peccandum incitet, is facile veniam impetrat. Vniuscuiusque conscientiam Deus intuetur, peccatorumq; nouit & numerũ & magnitudinem.Esau pœnitentię locum non inuenit,quia non inuitus,sed spontè,non ignorantia, sed prudens peccauit,parentes cõtempsit,nec Deum veritus est.Iudas item pœnitentię locum non inuenit, quia cum Domino versans peccauit,& Deo contempto iustum perdidit.Multũ igitur interest inter peccata,quæ scienter fiunt,vtrum ea quis sensu,an cogitatione cõmittat,quanuis vtrobiq; consensum adhibeat.Et grauiùs aliquando cogitatione vnus, q̃ opere alius peccat,cùm hic pœnitentię locum inueniat, ille minimè. Exemplis sunt ea, quæ dicimus confirmanda,ne commentitia & inania videantur.Chan
Gen.9. vi sis pudendis patris sui damnatus est. Dauid autem,
2. Reg. 12. qui reipsa peccatũ expleuit, absolutus. Qui Chore,
Nu. 16. Dathan,& Abiron consenserant, cùm nihil omnino dixissent,aut fecissent,a terra deuorati sunt,& viui in
4. Re.1. infernum descenderunt. Idem ferè vtrique contigit Quinquagenario cum quinquagenis eorum militibus, qui ad accersendum Heliam accesserãt. At totã
Exo. 32. synagogam,quæ cõflatum vitulum adorauerat, post
1.Re.13. disciplinam Dominus liberauit. Et Saul contra præceptum

ceptum Domini obtulit holocauſtũ, ac reiectus eſt.
Manaſſes autem, qui Idololatriæ peccatũ admiſerat, 2. Par.
poſteaq̃ pœnituit, gratiam inuenit. Peccauit Achab 33.
conſuetudine, & ſuſceptus eſt. Peccauit Achitophel 3. Reg.
conſilio tantùm, & in peccato mortuus eſt. Suppetũt 21.
alia item exempla, quæ his poteritis adiungere. Ruben ſe patrem offendere non ignorabat, & cùm eſſet reiectus, poſt mortem eius à peccato liberatus eſt. Simeon, & Leui grauiter & ſcienter peccauerunt, dam Exo. 32.
natiq; ad tempus, deniq; venia impetrarunt. Aaron etiam ipſe conflatæ vitulę ſacrificauit, & tamen ab ea macula ablutus eſt. Ophni & Phinees in deſpectione permanentes perierunt. Iã in Euãgelio Petrus periu 1. Reg. 2.
rio ſe obſtringit, & Chriſtum abnegat, & tamen reſipiſcens veniam impetrat. Elymas aduerſatur prædi Act. 13.
cationi, & ad tempus cęcitate affectus liberatur. Ana Act. 7.
nias & Saphira ſacerdotibus ſimiles, quippè qui nullũ ipſi quoque defenſionis locũ inuenerunt, quoniã in occulta quadam deſpectione verſabantur. Qui Satanæ traditus fuit à Paulo, Rubem ſimilis eſt, quia caſtigatus veniam obtinuit. Illud tamen intereſt, quòd vnus viuente, alter defuncto peccauit patre. Iccircò Rubem maiori pœnæ ſubiicitur. Et Iudas proditor Eſau ſimilis fuit, quoniam vt hic primogenita, ſic ille gratiam vendidit. Quamobrem vterque reiectus eſt. Sciebat Iudas id quod agebat, quia gratiæ habebat experimentum. Itaque Dominus ad eum, Oſculo, inquit, filium hominis tradis. Et quanuis diuinitatem Luc. 22.
cognouiſſet, tamen ab auaritia victus eſt. Et Eſau quãuis admonitus, tamen parentes irritauit. Magna eſt differentia, fratres, in ipſa peccati cognitione, magnum diſcrimen. Actionem conſidera, & differentiã intelliges, conſenſum reſpice, & iuſtitiæ diſces grauitatem. Tempus actionis expende, & pœnam planè iuſtam eſſe dices. Nos perſona ne fallat, quãuis ea, quæ Matth.
fiunt, non videantur. Ex me diſcite, q̃ rectè Phariſæi 23.

reprehensi fuerint, cùm eos Christus sepulchris dixit esse similes dealbatis. Quod illi cùm esse verũ negare nõ possent, ad insidias se cõuerterunt. Mihi quoque sæpissimè eiusmodi cõtingit tristitia. Cùm enim arguor à cõscientia, doleo & ęgrefero. Acerbus enim apud eos, qui latere student, est stimulus veritatis. Et homines ambitiosi molestè ferunt, cùm reprehẽduntur. Aperite sepulchrum meũ, & vermes apparebunt. Tollite fictionis operculũ, & quid intus sit, facilè perspicietis. Videbitis actionis meæ virtutem. Pharisaicam similitudinem agnoscetis. Hac vna re ab illis d f fero, quòd ego, quid sim, fateor. Quamobrẽ orationibus vestris me procul à pœna, quam mereor, absuturum spero. Magni enim interest, vt in tempore iniquitatem confiteare, & confitendo Principis iracundiam vites. Non parui momenti est, vt iudicem tibi, culpam non negando, beneuolum ac propitium reddas. Pharisæi nanque in pertinacia sua permanentes cum Hierusalem capti sunt. Et simulatam iustitiam iactitantes peccatoribus cõfitentibus deteriores exti-
Mat. 12. terunt. Itaque ab initio Christus dicebat eos in sto-
Soph. 1. lis ambulare. Quin etiam per Sophoniam prædixerat, se vẽturum, & reprehensurum illos: Visitabo, inquiens, eos, qui veste induti sunt peregrina. Semper ab illo reprehendebantur, quòd iustitiam simularẽt. Si aliena vestimenta gestabant, quorum erant illa vestimenta? Ego quidem dicerem Prophetarum, qm̃ in
Heb. 11. illis populus erudiebatur. Ouium enim & caprarum pellibus, vt Paulus ait, induebantur in solitudine nimirum. Nam in ciuitatibus habitum mutabant. Neq; enim scire volebant homines, quid ipsi facerent. Peregrinus igitur erat habitus Pharisæorum, qui, cùm essent insipientes, sapientium præceptorum more vestiebantur. Pelliceæ quidem vestes erant illis ad comparationem. Nam populo volebant esse conspicui. Pelliceas autem habebant, vt ad exercitationem

accommodatas. Tẽperantia enim calore indiget. Et habitus erat congruens, tum domi, tum etiam foris. Temperantiæ enim inopia prodeſt. Intelligẽtia porrò per meditationem, & prudentia per temperantiã proficit, & augetur. Vtraque tam ſapientibus q̃ prophetis erat neceſſaria. Illis quià docebant, his quia reprehendebant. Quapropter & habitu egebant vtriq;. At Phariſæi neutram vitæ rationem ſeruabant, quia nec ſapientes erant, nec prophetæ. Quocirca Dominus eos meritò reprehendebat, quòd auaritiæ non veritati vacarent. Ego autem vobis, fratres, meipſum indico ac reprehendo, ne repentè, cùm Dominus cauſam meã cognouerit, rideatis. Opus enim cuiuſque, vt inquit Apoſtolus, ignis probabit. Quòd ſi nouit opus explorare, quantò magis habitum diiudicabit? Siquis enim iuſtorum habitum induit tanq̃ iuſtus, non reiicietur. At ſiquis indignus illum aſſumpſerit, ſpoliabitur. Hic eſt ille, de quo in Euangelio ſcriptũ eſt: Diuidet eum. Habitus enim ſignificat dignitatẽ. Epiſcopus enim, & presbyter, & Diaconus, ac reliqui vt dignitate, ſic etiam habitu diſtinguuntur. Qui reperientur indigni, ſpoliabuntur. Non de operibus dictum eſt illud: Diuidet. Nam ignis opera mala ſimul cum auctoribus eorum comburet: ſed de nomine, & habitu, ac dignitate. Gloriam enim & honorem amittent, & ignominiam induent ac confuſionem. Veſtimenta decus, aut turpitudinẽ indicant. Id quod etiã in hoc mundo intelligi poteſt. Alio enim habitu induti ſunt capite damnati, qui trahuntur ad ſuppliciũ, & alio, qui in aliqua ſunt dignitate conſtituti. Ex terrenis cœleſtia cognoſcamus: & ex talentis illis, quæ Chriſti miniſtris ſunt diſtributa, tum dedecora intelligamus, tum dignitates. Non omnibus talenta diſtribuit Deus, ſed ſeruis ſuis. Itaque & Monachi: vt mihi quidem videtur, talentum acceperunt. Quamobrem & habitu ab iis, qui in mundo viuunt, diſtincti ſunt,

1. Cor. 3

Quo quidem habitu modestiam & propositũ suum præseferunt. Quocirca de habitu etiam iudicium fit. Quandoquidem habitus professionis vim indicat. Quare qui aliud, q̃ professus est, facit, alienum habitum sumit. Cuius autem est hic habitus, nisi eorum qui faciunt illum alienum? Siquidẽ de sermone etiã otioso iudicamur. Ecquis est sermo otiosus? Professio fidei, quæ caret operibus. Credit enim, & Christũ profitetur, sed otiosa atque iners est, cùm ea minimè faciat, quæ à Christo pręcepta sunt. Est alius itẽ otiosus sermo, cùm quis confitetur, & non emendatur: cũ dicit se pœnitere, & peccare nõ desinit. Et detrahentis otiosus est sermo: quoniã eum, cui detrahit, præsentẽ cùm videt, obmutescit. Et qui timidè reprehendit ac corrigit, otiosè loquitur: quoniã eius sermo nõ habet robur, aut firmitatem. Et qui mendacia fingit, eodem laborat vitio, quippè qui profert ea, quæ nec facta, nec visa sunt. His autem criminibus sumus obstricti. neque enim temerè à me instituta hæc est indagatio. Aperio vobis, fratres ægritudinem meam, vt curandis vulneribus meis orationis vestræ medicamentũ adhibeatis. Studeo vobis actiones meas singulas aperire. Nam si verum cœlauero, mihi ipse afferã detrimentum. Multi præ pudore tacendo morbũ insanabilem efficiunt, quem postea pœnitet medico non ostendisse. Ego verò, nisi me peccata mea ꝑpter multitudinẽ effugerint, eorum turpitudinẽ non abscõdã. Satius enim est, opem petẽdo viuere, q̃ præ verecundia tacendo fame confici. Et magis expedit, dolorem ferendo à morbo liberari, quàm quiescẽdo talem morbũ efficere, vt nullã recipiat curationẽ. Letalem igitur in me locum quendã habet otiosus sermo. Quid ita? quia nõ id ago, quod habitu profiteor. Quia post boni cognitionem, in malo persisto. Quia quæ bona sunt, doceo, & opere non perficio. Multa, fratres, ad vos & ad alios complures conscripsi, quæ

quidem ſcribens ſententiam in me ipſe tuli. Et cùm malè agerem,animaduertebam,& perſeuerabam. Iudicabam monachos, cùm ipſe mònachi tantùm habitum circumferrem. Ea mihi tantis in malis ſola reliqua eſt conſolatio, quòd nemini offendiculum, aut ſcandalum peperi. Malum commiſi, ſed huius nulli teſtes ſunt homines. Alios ſcriptis reprehendi, ſed mordax acerbuſq; non fui. Iuſtitiam violaui ad miſericordiam inclinans,ſed id in me nõ præſtiti. Fratribus cibos malè diſtribui, non tamen eos propinquis meis dedi. Ventrem impleui,non tamen epulis ſumptuoſis. Ieiunium ſolui,non tamen contempſi. Temperantiæ ſtudium accuratè laudaui, ſed ad tempus aliquando illud ipſe remiſi. Mendacium dixi,inuitus tamen & imprudens. Preces & orationẽ neglexi,non tamen per contemptum & impietatem. Ad decantandos pſalmos piger acceſſi,non tamen ſæcularium diſtractus familiaritate. Operi manuum non incubui, nec tamen cuiq̃ grauis fui. Multis locis à veritate diſceſſi,nec tamen omnino quenquam offendi. Obſecro igitur, vt mihi in terra iacenti manũ porrigatis. Surgere enim cupio,ſed non poſſum. Quoniam me peccatorum onus affligit. Surgere ſtudeo, ſed mala humi me detinet cõſuetudo. Oculos equidẽ aperio, ſed magna in caligine & tenebris incedo. Manũ moueo,ſed veluti paralyticus. Tranquillus videor,& tamen mœreo. Bonum animi propoſitum habeo,ſed vi quadam impedior. Amicos & hoſpites diligo, ſed nõ vt debeo. Pietatis ſum cultor,ſed tepidus. Diligentibus me beneq; merẽtibus in amore officiiſq; reſpondeo. Inimicos,meq; afficientes iniuria ſi minus vlciſcor,non tamen amore ac beneficiis proſequor. Iis, qui me oderunt, infenſus ſum, ſed tamen inſidias nõ ſtruo. Peccandi cauſas ſi minus quæro,non tamen diligenter fugio atque declino. Gloriam & ſi non aucupor,non tamen contẽno. In omnibus denique actio-

nibus meis ſupinus ſum quidam ac negligens. Proinde tanq̃ paralyticus, ac neruorum diſſolutione laborans opem, & auxilium, & miſericordiam imploro. Cùm enim æger ſim, egeo medicina, quã tamen haud diligenter inquiro. Morbum vtcunque meum intelligo, & curantis manũ deſidero, ſed reformido. Quamobrem, fratres chariſſimi, cùm quibus in malis verſer, perſpiciatis, opitulamini. Quod ſi ſtudiosè celeriterq; feceritis, de Dei benignitate minimè deſpero. Liberauit olim & Moſes Mariam ſororem à lepra. Et Dauid Ionatam à iudicio Dei propter affectionem. Et Elias viduæ filium à morte. Et à fame viduam Eliſæus, & Sunamitidem à luctu. Quid in Euangelio? quàm multi precibus aliorum fuerũt à variis calamitatibus liberati? Nam de Saluatore quid attinet dicere, cui ea, quæ videntur fieri non poſſe, ſunt facilia? Animas enim eorum, qui aliis conſolationem afferebant, ſed propter tranſgreſſionem ſe liberare nõ poterant, ipſe liberauit. Hæc, quæ audiuiſtis, partim à vobis fieri poſſunt, partim nequeunt. Quod igitur poteſtis, id nobis, quemadmodũ illi, præſtate. Atque illud etiam, quod à vobis fieri non poteſt, concedet, & donabitur à Deo, qui infinitæ pelagus eſt miſericordiæ, ſi mihi precibus veſtris conciliabitur, propitiusq; reddetur. Quò enim ipſe hominibus antecellit, eò vos digni efficiemini. Nam omnem mortaliũ humanitatem clementia ſua facilè ſuperabit. Sanctorum enim eſt, pro peccatoribus intercedere: Dei verò, miſericordiam impertiri, & oues, quæ aberrando perierant, ad ouile ſuum reducere in Chriſto Ieſu Domino noſtro per quem: & cum quo, Patri gloria & imperium cum ſãcto Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

De charitate.

SI tibi ea poteſtas conceſſa ſit, frater chariſſime

vt linguis omnibus loquaris , & spiritus scias distin-
guere,& omnes ægritudines curare: caue,ne charita
tis fructibus spolieris, & his muneribus elatus desi-
nas Dei misericordiam implorare. Cumq; magnus il
le Rex iustos à peccatoribus separabit, ad sinistram
constitutus audias verba illa maximè formidanda:
Discedite à me maledicti in ignem ęternum. Scriptũ
enim est: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domi- Matt.25
ne, intrabit in regnum cœlorum: sed qui fecerit vo- Matth.7
luntatem Patris mei, qui in cœlis est. Multi enim di-
cent mihi in illa die: Domine, Domine, non ne in no
mine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmo-
nia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas feci-
mus? Et tunc confitebor illis: Nunq̃ noui vos: Disce- Matth.7
dite à me omnes: qui operamini iniquitatem. Quid
ita? Quia charitatem non sunt amplexi: nam, vt scri- 1.Io.4.
ptum est, qui fratrem suum, quem videt, non diligit,
Deum, quem nõ vidit, quomodo potest diligere? Ser
uus il le, inquit, qui nouit voluntatem Domini sui, &
non fecit, vapulabit multis. Qui autem non nouit,& Luc. 12.
fecit digna plagis, vapulabit paucis. Quamobrem & 1.Cor.
adhuc excellentiorem viam, inquit Apostolus, vobis 13.
demonstro: Si linguis hominum loquar, & Angelo-
rum, charitatem autem non habuero, factus sum ve-
lut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero
prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem
scientiam: & si habuero omnem fidem ita, vt montes
transferam, charitatem autem non habuero, nihil
sum. Et si distribuero in cibos pauperũ omnes facul
tates meas: & si tradidero corpus meum ita vt ardeã,
charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.
Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmu
latur, non agit perperam, non inflatur, non est ambi
tiosa, nõ quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non co-
gitat malum, non gaudet super iniquitate, cõgaudet
autem veritati, omnia credit, omnia sperat, omnia su

ſtinet. Charitas nunq̃ excidit. Ecce, vim charitatis, dilectiſſime, audiuiſti. Hanc tu in omnibus operibus tuis, vt obtineas, ſtude, vt cœleſti gratia ducē laudem apud Deum aſſequare. Obſecro autē vos, fratres chariſſimi, vt me ſeruum inutilem precibus veſtris Domino commendetis, ne verba ſermonesq́; mei cōtra
Heb.10. me ſint in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nihil enim mihi conſcius ſum. Sed terribilis quædam me mouet expectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Deus autem per miſericordiam ſuam mihi quoque, licèt indigno, vobiſcū & cum reliquis electis ſuis in regnum ſuum ingredi permittat. Et Dominus Ieſus diffundat charitatem ſuam in cordibus noſtris, cui gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

De vita ſpiritali conſilium ad amicum, qui paulò antè ſe vitæ monaſticæ addixerat.

LAVDO fidem & ſtudium tuum, qui ab homine peccatore cupias aliquid audire, quod tuo viuēdi inſtituto prodeſſe queat. Idq́; non ſemel, aut bis, ſed ſæpe flagitaueris, quod animi, virtutis amore ardentis indicium eſt. Me verò deterret operum diſſimilitudo, quorū fœtor eſt intolerabilis. Rurſum, vt obſequar tibi, illud me cogit, quòd te auidiſſimum video audiēdi ea, quæ pertinent ad timorē Dei. Qui enim vitam diligunt ſpiritalem, iis, quæ ad virtutem excolendam ſpectant, audiendis oblectantur. Qui autem ad ſæculi vitam propēſi ſunt, ſermones ſpiritales audire contemnunt, & eos, qui de illis loquuntur, interpellant. At de vitiis ac voluptatibus audiētes verba, nulla vnquam afficiuntur ſatietate, quinetiā cibo & ſomno priuari ſe malunt, quàm eiuſmodi nugis finē imponere.

2 Tu verò inutilibus ſermonibus contēptis, in ſpi-

ritalibus insiste,vt te Dei memoria nunq̃ deserat.malus enim,ac bonus odor simul esse non possunt.

3 Siue in itinere,siue in nauigatione,siue in cellula tua,siue in iuniorum, siue in seniorum congressu fueris,summissè te semper atq; humiliter gere. Prudenter & consideratè labores suscipe, vt nulla ex actione tua detrimentum accipies.

4 Sit tibi victus simplex ac necessarius,ne mens tua crapula,& ebrietate,& curis vitæ torpescat,atque hebes fiat. Qui eiusmodi cupiditatibus seruiunt,ii nec libidinem neque adulterium fugiunt, neque ea,quæ a gentibus Deum ignorantibus fiunt,auersantur,sed porcis, qui in luto volutatur, similes, sine timore in omnia flagitia præcipites ruũt,nec legis,nec prophetarum memores,nec Domini ipsius,qui vt peccatum destrueret,factus est homo. Sub pietatis igitur specie sibi placentes,mente capti sunt, & obcæcati, & vitiis sese omnibus inuoluunt, qui Dei timorem neglexerunt. Quamobrem carnis esu, & vini potu ne delectare, vt mens tua ad munera spiritalia suscipienda sit idonea.

5 Si cum fratre de cogitationibus colloquaris, & lingua tua ab eo deflexerit,quod rectum est, propterea quòd anima tua capta sit a cogitationibus voluptatis,caue,ne ioca & facetias,atque vrbanitatem immisceas,vt sensum tuum contegas, ne a proximo reprehendaris,ex quo fiat,vt neque illi satisfacias,& te pestifero tradas Dæmoni. Precatione & silentio potius vtere, & ad te Spiritus sancti gratia reuertetur, nec mentis insania laborabis.

6 Si nouitii ac tyronis cura tibi commissa sit, isq; bonum & suaue Christi iugum excusserit, ita vicem illius dole,ne nimia doloris ac sollicitudinis magnitudine oppressus,creatorem tuum offendas, simulq; pereas. Neque enim si scapha decidat, nauis etiam est negligenda.

7 Ad Domini volũtatem referantur actiones tuæ, & laqueis Diaboli non implicaberis. Eius enim mos eſt, malum ſub ſpecie boni machinari.

8 Si manſionis præfectũ pro fratre, qui eiectus eſt, depreceris, noli precibus tuis patrẽ cogere, ſed ita mone, vt rem diuinæ committas voluntati. Quì ſcis enim, an ille ex animo reſipuerit? an ingreſſu ſuo reli quos ſit fratres perturbaturus? Quanuis exigua ſcintilla in arcã incidẽs, facilè totius anni labores exurit.

9 Neceſſe eſt, vt quiſque proximum ferat, quãtum ratio poſtulat. Beatus autem, qui ſpe in Deum addu ctus fert proximum ſuum. Vę illi, qui fertur, & non intelligit.

10 Qui in ſolitudine vitam degit, à tribus impugna tionibus liber eſt, quæ nimirum ab oculis, & auribus, & lingua proficiſcuntur. Qui autem in fratrum cœtu & contubernio conquieſcit, a tribus item eſt ſolli citudinibus liber, nempe ab emptione, venditione, & latronum incurſu.

11 Si contigerit, vt cum iis, qui adoleſcentia & pulchritudine florent, verba facias, oculos tuos cuſtodi, ne cupiditas turbet animum tuũ, & ſermones ſtudii, & affectionis plenos incipias in longum ducere, ſummisq; labiis de modeſtia ac tẽperantia loquens, mentem tuam libidine cõtamines. Cùm igitur in eiuſmo di congreſſum incideris, verbis pauciſſimis ſermonem abſolue, ac ſilentio vtere. In multiloquio enim, vt ſcriptum eſt, non deerit peccatum. Et conſuetudines ac familiaritates huiuſmodi non mediocre afferunt animæ detrimentum. Quamobrem eas præcide ſemper ſollicitus, ne te in errorem aut peccatum aliquod alliciant.

Pro. 10.

12 Eò quiſque plus proficit, quò voluntatem ſuam magis deiicit atque ſubmittit. Quantò autem quis in voluntate ſua perſtat obſtinatius, tantò maius ſibi dedecus & ignominiã parit. Noli igitur propriæ vo-

luntati deseruire, sed pare potius voluntati Dei.
13 Siquis monachus per negligētiam a proprio statu defecerit, impudentiam illi subiicit inimicus, ne si tristior modestiorq; fuerit, patrum prudentia commonitus resipiscat, ac redeat ad bonam frugem.
14 In Christo subiici ne recuses. Inde enim fructus stabilis ac tutus proficiscitur.
15 Si quis Diaboli fraude deceptus à rectè instituta viuendi ratione deflexerit, neq; vllo tamen odio aut inuidia exarserit aduersus illos, qui in bono proposito perseuerant, non sinet eum Deus in errore versari, sed ei manum porriget, vt excitetur, quòd nō abiecerit charitatem. Qui autem sibi ipse videtur stare, si arrogantia tumidus alios despicere atq; odio prosequi perrexerit, magno in periculo versabitur. Odiū enim oculis eius tenebras offundet, vt vbi consistat, videre non possit.
16 Si in domo Dei ad spiritale sacrificium constiteris, alacri animo psalmis canendis incumbito. Nam si tu silueris, silebo & ego, silebit & proximus, atque ita cantus necessariò dissoluitur. Quamobrem haud ita fiat. Qui enim Principem aut Regem in theatro faustis acclamationibus excipiunt, siquem in propinquo silētem aspexerint, cùm ipsi clamoribus disrumpantur, eum vt illo indignum loco deturbant. Oportet gitur, vt nos item animo minimè remisso aut negligenti supplicationibus decantandis incumbamus.
17 Væ hominibus iniustis, væ impudentibus, væ delicias & voluptates sectantibus, væ superbis. In ipso enim mortis articulo, & angustiis inferni, suo periculo discent, Dei timore nihil esse prę̄stantius.
18 Bonorum familiaritatem dilige, malorum fuge. Neq; enim venefici, aut latrones, aut fures nati sunt tales, sed euaserunt, cum illis versantes, quorum corrupta mens erat à Satana: Deus enim fecit omnia valde bona. Gen. 1.

19 Noli balneis,aut esu carnium delectari,ne in grauia peccandi pericula incurras.

20 Virtutes & rectam fidem amplectere. quis enim virum,qui vitam suam sic instituit,beatum non arbitretur? Cùm è cellula tua negotii cuiuspiam,aut conueniendi alicuius gratia discedis,oculos tuos muni, & animum piis cogitationibus instituc, sic illum alloquens: Egressus es non tanq̃ pictor, vt hominũ formas effingas atque exprimas. Diligenter attende tibi. Quomodo enim, si rebus, quæ sensibus subiectæ sunt,fueris occupatus, iis, quæ non videntur, vacare poteris, atque in Dei recordatione tete oblectare & conquiescere?

21 Desine aliena mala curiosè peruestigare, ne pia mens tua meritò corrumpatur.

22 Silentium cole:à multis enim te sordibus liberabit.Peccatorũ supplicia assiduè meditare, & operanda,ne eisdem tu quoque paulò post afficiaris.

23 Nonne domum aliquando in luctu & squalore versantem ingressus es,& ex illa conspectu eius mœrore,q̃ primùm exire concupisti? ex caducis & breuibus coniice sempiterna.Scriptũ est enim:Da sapienti occasionem,& sapientior fiet. Pro.9.

24 Si ad te de migratione cogitantẽ accesserit quispiam,& vicem tuã commiseratus, migrationis propositum collaudarit,caue,ne temerè eius consilium probes.Sin aliquis te cœperit reprehẽdere,& in proposito,vt maneas,cohortari,huius commonitionem potius audi.Qui enim liberè fratres arguunt,eorum saluti magis consulunt.

25 Quot desperationis cogitationes eos potissimũ inuadant,qui degunt in solitudine,etsi paucos arbitror ignorare,tamen confirmandi tui gratia nonnullas persequar.

26 Cùm animus permittit, sensus à rebus caducis occupari, tanq̃ desertor ac transfuga à præclara illa

bonorum futurorũ contemplatione, ac ſtudio, ſpeq; deficiens, in rerum inanium cogitatione defigitur, atque illis perfrui concupiſcit, inuidiæq; ac malitiæ ſeruus conſtituitur.

27 Hei mihi, quid faciam infœlix? Magna eſt imbecillitas mea. Solitudo,& paupertas,& languor occupant me. Opus facere nõ valeo, quæritare erubeſco. Commodis & fortunis domeſticis exutus ſum. Qui rebus ſecundis frui poteram, in aduerſas me ſpontè conieci. Ludibrio ac contemptui ſum iis, qui me beatum exiſtimabãt. Mœror ex calamitate me comprehẽdit. Nemo adeſt adiutor, nemo cõſolator. In ignominia & ſordibus relictus ſum. Ille ad ſacerdotium, alius ad dignitatẽ prouectus eſt: Ego hic cõtemptus, inglori⁹, abiectusq; maneo. Nemo me inopia & ægritudine laborantem miſeratur. Ille diuitiis abundat. Ille diſcipulorum caterua ſtipatus incedit. Quamobrem cum viris gloria diuitiiſq; præſtãtibus verſantur, & viuunt: Ego verò in ſordibus verſor, & victu etiam indigeo quotidiano. Illi ſplendidis ſunt veſtimentis ornati: Mihi deſunt etiam indumenta neceſſaria. Quid? quòd illi cùm vitæ dies iucundè traduxerint, aromatibus condiuntur, & ſplendido funere elati præclaris in tumulis ſepeliuntur, in quibus epitaphia inſculpta nomen eorum æternum conſeruant? Mihi verò cùm ad vitæ finem peruenero, fortè ne ſepulturæ quidẽ honor continget, ſe ipſa cellula propter inuiſentium inopiã mihi ſepulchrum fiet. Cor meum dolet, & quid faciam? Defecerunt oculi mei, dum aſſiduo obtutu fores aſpiciunt, & nemo pulſat. Mœrore conficior, & nemo conſolatur. Summa excrucior ſollicitudine, & nemo miſeretur.

28 Hei mihi, quia deficiũt in dolore dies mei. O homo, ſic animam tuam alloquere: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, & ipſe Pſal. 41.
prauas tuas. diriget cogitationes. Iis, quæ terrena

ſunt, incumbendo, eiuſmodi te laqueis implicuiſti. Nullus homo (mihi crede) q in ſtatu ſuo,ſeu clarus, ſeu obſcurus ille ſit,ex Dei volũtate ſe geret,reiicietur. Quiſquis autem caduca ſectatur,iuſtorum ſe ſpoliat conſolatione.

29 Quamobrem,ſi gaudio illo perfrui concupiſcis, malis cogitationibus,quæ nos à Deo ſeiungunt, adi-
Io.12. tum ne pateféceris.Nõ mentitur enim ille,qui dixit: Qui amat animam ſuam,perdet eam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet illam. Quapropter & Apoſtolus:Mortui enim eſtis,inquit,& vi-
Col. 3. ta veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm igitur apparuerit vita veſtra,tunc & vos apparebitis in gloria.

30 Cur igitur res iſtas caducas, quæ fluminis inſtar aufugiunt admiraris? Quid proderit ſplendida funeris pompa? Quid ornamenta ſepulchri,& vanæ laudationes homini proderunt impio,qui nullam quietem inueniet?

31 Quid illi proſunt aurea laquearia? quid lectuli eburnei? Quid ſtragula veſtis, & pretioſa ſuppellex, cuius animus in corpore ipſo tanq̃ in tetro carcere à feris cupiditatibus laniatur, & à dracone cõuellit? Quid hinc emigranti animę proderit cura multorũ, qui circa corpus in funere ornando occupabuntur, niſi in celebri illo cœtu, & in Eccleſia magna laus à Deo contingat? Noli igitur caduca & fugacia hæc, quæ veluti cera liqueſcunt,admirari. At illi cum viris principibus familiariter viuunt: tu verò per orationem cum Rege omnium Deo verſaris. Tu vnigeniti filii Dei corpore veſceris,& eius ſanguinẽ bibis. Gaude & lætare,te dignum effectum eſſe,qui templũ ſis Dei. Ne deſpondeas animum,quòd in hac vita ſis inglorius & abiectus,quòd morbo,aut ſenectute,aut inopia labores. Qui enim cœli volucres paſcit, tui minimè obliuiſcetur. Si cæcitatẽ times, cogita,eam

viris etiam iustis accidisse. Quemadmodum legimus de Isaac, qui cùm Iacob ab ipso vellet benedictionē accipere: Accede, inquit, fili, vt tangam te, & probem, vtrum sis filius meus Esau, an nō. Mentis autem oculis homines sancti cernunt acutissimè: sunt enim ab omni malitia integri & puri. Hos oculos tu itē à malitia integros serua, & de corporis morbo noli esse sollicitus. Deo enim cura est de nobis. Si tibi deesse doles victui necessaria, considera Herodem diuitiarum & voluptatum copiis abundasse, præcursorē autem vt hominem nequā & sordidum in carcere fuisse detentum. Verax enim est ille, qui dixit: Vos afflictionem in mundo sustinebitis. Mūdus gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Gen. 27. Io. 16.

32 At ego, inquies, in miseria & obscuritate vitam transigens, nullam post mortem memoriā mei relinquam. Morbus hic est animi summa dementia, & inanis glorię cupiditate laborātis. Quàm multos putas obscuros adhuc in orbe viuere, qui pro Saluatore nostro Deo persecutiones pertulerunt? Illi ergo, qui vitam in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ traduxerunt, quorum memoria ab hominibus nō celebratur, perierunt? Minimè verò. Nam eorum nomina in cœlo descripta sunt. Cœlestia igitur, non autē terrena, meditare. Iustorum enim conuersatio in cœlis est. Quare labores ærumnasq; ne fugito. Atqui nos item, qui relinquimur, & residui sumus, eos, qui in laboribus, & angustiis, & necessitatibus Domino placuerēt, beatos arbitramur. Quamobrem, si iustorum cohæres esse vis, noli humilitatem despicere, noli in rebus asperis & aduersis patientiam abiicere, vt vitam, & lętitiam, & gloriam æternam consequare. Neque enim, vt inquit Apostolus, dignæ sunt passiones huius temporis, quæ cum illa gloria cōparentur, quæ reuelabitur in nobis. Quòd si nulla in re decipi, Rom. 8.

aut labi vis,crede,te nihil agere aut cogitare, quòd Deum lateat.Porrò quòd omnia sint Deo comperta & cognita, ex historia Elisæi facile potest intelligi.
4.Reg.6. Cùm enim bellum esset inter Regem Israel,& Regẽ Syriæ, Rex autem Syriæ cõsilium iniret cum seruis suis,dicens:In loco illo, & illo ponamus insidias: mi sit Elisæus ad Regẽ Israel, dicens: Caue,ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit itaque Rex Israel ad locum,quẽ dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum,& obseruauit se ibi non semel, neque bis. Conturbatumq; est cor Regis Syriæ pro hac re,& conuocatis seruis suis,ait:Quare non indicatis mihi,quis proditor mei sit apud Regem Israel? Dixitque vnus seruorum eius:Nequaq̃,Domine mi Rex, sed Elisæus propheta, qui est in Israel,indicat Regi Israel omnia verba, quęcunque locutus fueris in conclaui tuo. Si nihil eorum,quæ clã gerebantur, latebat Prophetam, quomodo rerum omnium creatorẽ latere quicquam poterit? Iccircò nobis præceptum est, vt abditis in locis precibus incumbamus.
Matth.6. Tu autem,inquit Dominus ac Saluator noster, cùm oraueris,intra in cubiculum tuum,& clauso ostio patrem tuum ora in abscondito:& pater tuus,qui videt
Iob. 26. in abscondito, reddet tibi in manifesto. Abiiciamus igitur omnem malitiæ cogitationem,ne diffluamus. Nudus enim est infernus coram illo, & nullũ est operimentum perditioni.Ne timeas igitur,neque dubites.Siue enim velimus, siue nolimus,in oculis Domini versamur. In rebus aduersis & asperis lætare. Variis enim ex floribus coronæ texũtur. Et per multas tribulationes ingrediuntur iusti in gaudium Domini. Hos debemus & nos semper imitari.

33 Animarum curam ne concupiscas. Cùm enim ad eum gradum nondum perueneris,vt omnibus impares animi perturbationibus,& te ipsum,& eos,qui te sequerẽtur,læderes.Quòd si inuitus ad eiusmodi

munus pertraheris, summam in eo administrando adhibe diligentiam, non vt ea, quæ tibi placent, efficias, sed vt ei parcas, qui tibi ouium ratione prædita rum curã & gubernationẽ cõmisit. Sic.n.loqtur per Ezechielẽ prophetã: Væ pastoribus Israel, qui pascebat semetipsos. Nõne greges à pastorib⁹ pascunt? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis: gregẽ autẽ meum non pascebatis. Quod infirmũ fuit, nõ consolidastis, & quod ægrotũ nõ sanastis: & quod cõfractum est, nõ alligastis: & qđ abiectũ est, non reduxistis: & quod perierat, nõ quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eo, quòd non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omniũ bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & sup omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & nõ erat qui reqreret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea, pastores, audite verbũ Domini. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, ꝙ facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo ꝙ non esset pastor (Neque enim quæsierunt pastores gregem meũ, sed pascebãt pastores semetipsos, & greges meos non pascebant) propterea, pastores, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregẽ meum de manu eorum, & cessare eos faciam, vt vltrà non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos. Et liberabo gregẽ meum de ore eorũ, & non erit vltrà eis in escam. Eze. 34.

34 Hoc ex loco facilè potest intelligi, quantum illi periculum immineat, qui superbè & negligenter subiectos regit. Quamobrem, qui aliis præest, & peritissimus esse debet, & omni studio saluti subditorũ cõsulere, & singulorum incessum, & gestus, & habitum considerare, & corrigendo quæ minus decora & cõ-

ueníentia videbuntur, ad optimum ea ſtatum, formamq́; redigere. Magiſtri enim non ſolùm elementorum figuras diſcipulis oſtendunt, ſed minima etiã puncta diſtinctionesq́; docét. Ita præfectò, nihil quãuis minimum, quod ad ſalutem ſpectet eſt omittendum, quin fratribus indicet. Doceat etiam, quæ ſint parata ſupplicia negligentibus, vt eo tanq̃ muro culpam ab innocentibus arceat q̃ longiſſimè. Lupi enim cùm ſtudium & vigilantiã paſtoris animaduertunt, ab ouiũ gregibus aufugiunt. Nihil æquè iuniorum animos ad ſalutem & labores accendit, ac ſi doctorẽ viderint opere & exemplo ad virtutem cohortari. Meipſum intuemini, atque ita facite.

35 Nos verò, qui diſcimus, & aliorum imperio ſubiecti ſumus, ad parendum prompti eſſe debemus, & ab omni contumacia alieni, coram Deo, atque hominibus ſemper modeſtiam & humilitatẽ amplectentes. Quòd ſi nobis præfectus & magiſter contigerit, qui virtutem verbis tradat, factis autem negligat, caueamus, ne ex ea re Diabolus ad euertendam aĩam noſtram rapiat occaſionem, ſed verborum illius memores ſimus, qui, Super cathedram, inquit, Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.

Matth. 23.

36 Caue, ne proximo tuo ſcandalum vnq̃ aut offendiculum parias, minas illius veritus, qui ſic loquitur per Prophetam: Væ qui potum dat amico ſuo, mittẽs fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Et rurſum hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietem & hircum. Nónne ſatis erat vobis paſcua bona depaſci? Inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcabitis pedibus veſtris: & cùm puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis: Et oues meæ iis, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebãtur. Et quæ pedes

Aba. 2.

Eze. 34.

veſtri turbauerant,hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deꝰ ad vos: Ecce ego ipſe iudicabo inter pecus pingue & macilentum.Pro eo quòd lateribus & humeris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerētur foras:ſaluabo gregem meum, & non erit vltrà in rapinam,& iudicabo inter pecus & pecus. Nimium igitur nobis ne placeamus.Ex amore enim ſui ipſius,tāquam ſtolones quidam,vitia pullulant. Sed amorem proprium expellit charitas, quæ pariter diligit omnes,atque complectitur.Magna enim ac pretioſa res charitas eſt. Ab hac tu ne excidas, diligenter caue. Propriis parcamus membris, proximo noſtro virtutis exemplar nos proponentes in fide,in charitate,in patientia,in caſtitate, in ſubiectione, in humilitate, in timore Dei. Ne pmittamus à peſſimis nos abſtrahi voluntatibus, ſed labores ſpiritus amplectamur. Deliciæ enim & animi remiſſiones optimæ viuendi rationi ſunt aduerſariæ.

37 Per viā anguſtā atq; aſperam incedamus, cordis cōtritionem diligentes, vt mortis memoria ſemper nobiſcū maneat, & à damnatione liberi ſimus. Væ, Luc.6.
inquit,vobis,q ridetis,quia lugebitis,& flebitis. Beati qui lugent,quia conſolabuntur. Inclinemus nos,& Matt.5.
oculos in ſepulchra deiiciamus,& naturę noſtræ myſteria cognoſcemus.Confuſos ac permixtos ex cadaueribus oſſium aceruos, & caluaria carnibus exuta intuebimur.Hęc perſpicientes nos ipſos in illis tanq in ſpeculo contemplabimur. Vbi iuuentutis flos, & pulchritudo?vbi decorus ille genarum color?His cogitationibus carnis cupiditates repellamus, ne in reſurrectionis & iudicii die confuſi erubeſcamus.Infirmitatis meę,quæſo,memor eſto in orationibus tuis, teipſum minimè negligens,vt mei, qui vermis putredoq; ſum,recordetur Dominus Deus, meq; à ſuppliciis,quæ peccatoribus debenē, ereptum paradiſi de-

licis dignum efficiat. Quoniam ipsius est benignitas ac bonitas, & misericordiæ eius super omnia opera illius. Amen.

38 Frater quidam narrabat hanc rem, quam ab altero fratre audiuisse se aiebat. Homo quidam erat in quadam ciuitate, qui mercennarium quendã apud se habebat, cui sua credebat omnia. Huic solitariæ vitæ complectendæ cupiditas incessit. A quo quidem proposito iuuenem frugi & rebus suis vtilem, vt deterreret, herus nihil propè reliquit intentatum. Sed frustra laborē suscepit. Iuuenis enim mundo renuntiãs ad Fratres se contulit. Verùm paucis post annis ad mundum redire tentauit, relictaq; cellula ad herum suum reuersus est. Hic iuuenem semel atque iterũ libenter suscepit. Tertiò frater, deposita simulationis persona, cùm animi sui ægritudinem hominē detexisset: Vitæ, inquiēs, solitariæ iugum amplius ferre nõ possum. Quamobrem obsecro te, Domine, vt me recipias, eodēq; habeas numero, quo olim habebas. Spero enim me rectius etiã, q̃ anteà rationibus tuis consulturum. Ex te nanque acceperam, velle te mihi sororem etiam tuam vxorem dare. Cui ille respõdit: si Deo, quæ promiseras non præstitisti, quomodo te mihi præstiturum sperem? Quibus verbis tanq̃ verberibus iuuenis castigatus ad cellulam suam sese recepit. In laboribus igitur perferēdis ne defatigemur.
Ps. 125. Scriptum enim est. Qui seminant in lacrymis in exultatione metent.

39 Ad obseruanda mandata Dei constantiam adhibe: diligentiam autem ad inimici consilia fugienda.

40 A perniciosis congressibus & familiaritatibus sapienter abstine, vt homo interior bene conquiescat.

41 Caue proposito fraudulentus existas & acerbus, ne cùm tibi videberis firmus ac stabilis, corruas, & decipiaris.

42 Mãsu.tudinem ac lenitatem amplectere, ne sine

vino ebrius fias, dum arrogantia atque iracundia plenus intumescis.

43 Ne sis voluptarius & contemptor, nè propter te Deus vituperetur.

44 Noli cum scurris & histrionibns versari, ne rectus animi tui sensus corrumpatur: sermones enim ipsorum sunt valde fallaces. Ea nanque fieri à senibus fingunt, quæ sunt iuuenum propria. Iuuenes verò ad vitia & flagitia pertrahunt.

45 Consilia fuge hominum improborum, qui se tũ ventris, tum eorum, quæ sub ventre sunt, cupiditatibus addixerunt.

46 Diligere non potest meretrix hominem à libidinibus abhorrentem, nec fur eum, qui ab inferẽda iniuria est alienus. Similibus ac paribus quisque delectatur.

47 Voluptatem noli dulcem existimare, ne doloris, qui ex ea proficiscitur, haurias amaritudinem.

48 Expecta quotidie vitæ finem, & ad iter illud te para. Qua enim hora minimè putas, mandatum afferetur. Væ autem illis, quos tunc imprudentes opprimet & imparatos. Cordis compunctio est curandis hominum animis medicina.

49 Qui luctum amplectitur, haud facilè peccabit, & qui cordis vacat compunctioni, non cogitat malum. Ex compunctione nascitur fletus, in fletu autem à malis temperamus.

50 Quære, qua ratione superes voluptates, & à rebus abstine superuacaneis atque inutilibus. Hoc expedit studio, quod profiteris.

51 Libidinis vitium expelles, si orationi assiduæ incumbes & sobrietati. Si mentem à malis cogitationibus cohibebis. Si nullum proferes verbum vanum, & non necessarium, considerabisq́; nos ab eo iudice iudicandos, qui nullo pacto decipi, aut falli potest. Si ad Dei templũ accedes frequenter. Si mortẽ deniq;, &

extremum iudicii diem assiduè cogitabis. Hæc enim gestientem intus reprimunt cupiditatem, animumq; tranquillum & quietum reddunt.

52 Operam da, vt quē tibi locum vel ipse elegeris, vel Deus dederit, in eo maneas æquo animo. Neq; enim in loci mutatione aut lōginquitate, sed in moderatione mentis, & animi studio situm est, vt ægritudines nostras curemus. Patiētia nobis est necessaria, vt Dei voluntati obtēperantes, promissiones ei9 assequamur. Qui verò desidia languescit, otioque distrahitur, tam procul abest à patiētia, q̃ ægrotus à bona valetudine. Non in ignauia virtus, sed in ipsa cernitur patientia, quæ semper vigens fouet & corroborat mentem earum rerum contemplatione, quas speramus & expectamus. Hoc enim pabulo pinguescit animus, & vires ac robur concipit, quemadmodū corpus ciborum atque epularum copia. Ab huius muneris gratia si deciderit mens, verè inops ægraq; redditur. Animum igitur à rerum terrenarum cupiditatibus abducito, & in diuinarum meditatione cōtineto. Quod si feceris, non erit necesse, vt corpus de loco in locum transferas, & temerè ac sine Præfectorum licentia peregrinationibus defatiges. Regnum enim cœlorum intra vos est. Luc. 17.

53 Vbicūq; fueris, te nemini grauem, sed oībus irreprehensibilē præbe, vt bene in Dño proficias. Quòd si contēptor euaseris, vide, ne in te actionū impiarū auctorē & ducē à præstantiore contēptio refundat.

54 De proximi pgressu gratulari & gaudere perfectionis indiciū est. Angi aūt ob bonam alterius famā & pbitatē, naturæ signū est pessimæ & improbissimę.

55 Cùm salus tua non inde pendeat, q̃ hic aut ille excidat à salute, aut q̃ à regno cœlorum excludant̄ multi, cur proximi proficientis gloria cruciaris? Tibíne soli paratum est gaudium paradisi, q̃ aliorum salute tristis ac mœstus es? Puri amoris & sanctæ in-

ſtitutionis opera noli inuidia & grauiſſima morum
acerbitate commutare. Nemo te ſeducat,nõ homo,
non Diabolus,non vlla in corde tuo latitans cogita-
tio.Nulla enim vera virtus aut ſtabilis eſſe poteſt,ni
ſi charitati coniuncta ſit. Siquis enim,quod quidem
difficile eſt, oẽs ſcientias adipiſcatur, & tantam fidẽ
obtineat,vt,quemadmodum inquit Apoſtolus, mon 1.Cor.
tes transferat,charitatẽ autem non habeat, nihil illi 13.
ꝓderit,ſed à recta ſemita,quæ ad cœli portas ducit,
abeſt q̃ longiſſimè. Quocirca multis lacrymis indi-
gemus,vt ab odio,& inuidia,& ſuperbia, atque omnĩ
diabolica liuoris macula abluamur. Affectionis enim
eſt dæmoniacæ progreſſu rectè viuentium excrucia-
ri.Siquidem Dæmones odio imbuti nihil æquè cu-
piunt,q̃ omnes homines penitus interire. Sancti aũt
Dominum ſuum imitantes,exoptant omnes homi- 1.Tit.2.
nes ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.
Nã charitate pleni æquè ac ſeipſos ꝓximũ diligunt.

56 Si continens es,cõtinentia tua ne extollaris, ſed
cum humilitate Deum ora, vt ad finem vſque ſit cu-
ſtos tuus.Sæpè enim fit, vt repentinus beſtiarum im-
petus vniuerſum vineæ à cuſtode derelictæ fructum
excutiat & corrumpat.

57 Si diuitiis abundas,noli ſuperbus eſſe. Nondum
enim es à periculis & inſidiis liber. Nam propter ce-
leres & dubias rerum viciſſitudines incertus eſt ea- .1
rum vſus.Vidi,inquit ille,ſeruos in equis, & princi- Eccl.10.
pes ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos.

58 Si membris integris & valẽtibus flores, noli cor-
poris robore & viribus gloriari. Sed conſidera quot
& quanta corpori pericula immineant. Quos enim
cernimus morbis grauiſſimis laborare,ſiue membro
ſint aliquo mutilati, ſiue ab immundis ſpiritibus ve-
xẽt,haud ita affecti ex matris vtero ꝓdierunt. Sed
qui heri florida vigebãt ætate,hodie acerbiſſimis in-
cõmodis affliguntur.Quamobrẽ cogita fieri poſſe,vt

paulò poſt in eaſdem ipſe quoque incidas calamitates. Cùm igitur in alio morbum, aut ærumnam aliquam perſpicimus, in eo nos tanq̃ in ſpeculo cõtemplemur. Neſcimus enim, quid dies craſtina ſit allatura. Multis profectò doloribus & calamitatibus corpora noſtra ſunt obnoxia. Quare propriæ conſcii conditionis & infirmitatis, à ſuperbia & crudelitate abhorreamus. Et mutua nos humanitate & commiſeratione complectentes creatorem noſtrum, qui nos ægritudinibus tum afficere, tum liberare poteſt, nobis cõciliemus, propitiũq; reddamus. Quamuis enim exiguum ad tempus corpus noſtrum firma ſit valetudine, tamen quid poſterior paritura ſit dies, ignoram⁹.

59 Peccatorem ne deſpice, & innocentẽ noli ad peccandum prouocare. Vtrunque enim pernicioſum & execrandum. Quòd ſi te vtrique vtilem vis exhibere, te illis bonorum operum exemplum præbe, flumina lacrymarum effundens in conſpectu Dei, vt & in peccatis iacentem excitet, & ſtantem à peccato proſterni minimè permittat. Vnus enim eſt iudex, qui ſeruare poteſt & perdere.

60 Hominum ſtantium & ſeſe pſalmis ad pietatem exercentium cœtum noli cogitationum arrogantia inflatus perturbare. In Deum enim peccare graue eſt & exitioſum. Porrò prophetarum ſpiritus Prophetis ſubiecti ſunt. Non enim confuſionis eſt Deus, ſed pacis.

1. Cor. 14.

61 Cùm ſis adoleſcens, ſilentium & diligentiam cole. Diligentia enim te gratum conſeruat. Silentium autem animæ lucem tuetur, nec ſplendorem eius tenebris obrui ſinit.

62 Semper & in omni actione comes tua ſit humilitas. Quemadmodum enim corpus, ſeu calor, ſeu frigus ſit, indiget veſtimento: ſic & anima ſiue proſperis fouemur rebus, ſiue vrgemur aduerſis, ſemp̄ eget habitu humilitatis. Quàm præclara atque excellens

poſſeſsio ſit humilitas, facilè norũt ii, qui iugũ illius ferre non erubeſcunt. Nudus & ſine calceis ingredi potius elige, q̃ humilitate ſpoliari. Nam humilitatis ſtudioſos Deus ipſe protegit atque defendit.

63 Quemadmodum vectores non ſemper in naui permanent, neque viatores in eodem ſemper hoſpitio commorantur: Ita nos in hac vita non poſſumus perpetuò manere. Ex quo fit, vt non ſecus, atque illi, nos item peregrini atque hoſpites appellemur. Hęc mentis oculo contemplantes paremus nos ad vitæ migrationem.

64 Cùm videris te ad virtutum faſtigium acceſſiſſe, tunc humilitatem tibi maximè neceſſariam arbitrare, vt fundamentis integris ac firmis, quod ſuperſtructum eſt, ædificium non corruat, ſed tutò conſiſtat.

65 Qui proximo ſuo foueam parat, incidet in eam: Pro.26. Et qui præceptori ſuo laqueos tendit, ſceleſtus atq; impius eſt, eodemq; dignus ſupplicio, quo is, qui bene de ſe meritum ac magiſtrum ſuum in manus prodidit iniquorum.

66 Mundo deditum atque addictum hominem non coma aut veſtiméta reddunt, ſed mali mores, & propenſio ad prauas mundi cupiditates. His enim animus inquinatur.

67 Monachum facit non habitus, aut tonſura, ſed cœleſte deſiderium, & diuina conuerſatio. His enim optima vita declaratur.

68 Ante tẽtationem, ne te magnum eſſe aliquid putes. Tentatio enim eos etiam ſępe deiicit ac proſternit, qui ſibi videbantur ſtare.

69 Ante tentationem quanta virtute ſis præditus ſcire non potes. Quamobrem præmuniendus eſt animus, & aduerſus tentationis impetum vigilandum.

70 Vt in fornace aurum & argentum ignis explorat, ſic in tentatione probantur mortalium animæ.

71 Auxilio Domini confisi tétationibus ne succum bamus, sed ad cœlestis vocationis brauium in Christo strenuè cõtendamus: coronat enim Dominus omnes diligentes se.

72 Si membra tua contegis, ne nuda & aperta ab aliquo videantur: caue vicissim, ne tu quoque nuditatem cuiuspiam conspicias, ne species aliqua minus honesta resideat, & imprimatur mente tua.

73 Si charitatis officio fungens oleo inungis ægrotantem, oculos, & manus, ac linguam tuam obserua, ne vlla in re modestiæ terminos transilias. Id enim pietas requirit.

74 Membris alterius manuum adhibe cum tremore non aliter ac si res sanctas attingas. Etenim verè sanctum est templum Domini & admirabile in æquitate.
1. Co. 3. Nescitis, inquit, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Siquis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Tẽplum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Quæ cùm ita se habeant omni cura ac studio cor nostrum custodiamus.

75 Caue à nimia iuuenũ consuetudine. Multi enim corrupti sunt, & contempti, ac stulti euaserunt.

76 Quieti & somno tãtum tẽporis impende, quantum cogit ipsa necessitas. Quies enim diuturna corpus emollit, & libidinis ignem facilè accendit.

77 Qui in lectulis aureis, & eburneis, pretiosisq; lapidibus exornatis molliter cubant, beatos appellant eos, qui honestis & gloriosis laboribus vacant, licet nequeant illos imitari.

78 Omnes actiones tuas eò dirige, vt placeas Deo. Hæc enim nisi aderit cogitatio, inanes erunt labores tui.

79 In hoc exiguo vitæ curriculo labores amplectere, vt quietem perpetuam assequare. Labor enim abibit, præmium autem erit sempiternum.

80 Si bonis abundas operibus, cur honestæ ex hac vi.

ta migrationis affligit te cogitatio? Qui diuitiis onu stus est, lætus in portum contendit, vt in patria cum amicis suis conquiescat.

81 Lucri causa ne tentes amicum tuum, ne incidas in peccatum: cogita illud, quod scriptum est, Nolite prudentes esse apud vosmetipsos. Iniqui enim regnũ Dei non possidebunt. Ro. 12.

82 Non ad accipiẽdum, sed ad largiendum prompta sit manus tua. Quoniam, vt ait Dominus Iesus, beatius est dare, q̃ accipere. Act. 20.

83 Patiens esto, vt multa abundes prudentia. Eximium enim donum est patientia. Quippe quę iracundiam, & furorem atque arrogantiam expellit, & animæ pacem parit ac tranquillitatem.

84 Si ex militia fugacem & floris instar cadentem gloriam assecutus es, eaq; cogitatio auertit animum tuũ à recto proposito caue; ne succumbas, sed honestos labores ad finem perferto, ne Dei nomen per te vituperetur ab infidelibus, qui, Deus, inquient, ipsum seruare non potuit. Verùm, vt ait Dominus, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Matt. 5. Ac terrenis quidem Regibus militãtes, cùm prçclara pro illis aduersus hostes facinora ediderint, meritis præmiis afficiuntur, nempe gloria quadam breui & inani, & aliquo corporis commodo: quod enim maius tribuant, habent nihil. At illi, qui strenuè se gerunt, & fortiter pugnant aduersus immundos & improbos spiritus, cum militiæ cœlestis Angelis numerantur, & gaudium illud percipiunt, cuius non erit finis.

85 Si vel in cœnobio, vel in solitudine vixeris, ea, quæ a nobis requiruntur, diligenter cura, id est, cor mundum, & spiritum contribulatum. Hæc enim qui possidet, non negligetur à Deo. Qui autem ea contemnunt, magnum adeunt periculum.

86 Noli verborũ copia, & linguę suauitate gloriari, sed vt Apostolorum Domini discipulus simplex orationis genus sectare. Nam externa sapientia gloriari Christianis hominibus interdictũ est. Qui enim
1. Co. 1. gloriatur, in Domino glorietur.

87 Splendidis vestimentis ne glorieris. Recordare quomodo pellibus ouium Helias indutus fuerit, &
Esa. 20. sacco Esaias propheta. Vade, inquit, & solue saccum de lumbis tuis, & calciamenta tua tolle de pedibus tuis. Quali etiam veste Ioannes Baptista vteretur, noli obliuisci. Proinde vestium splẽdore ne sis conspicuus, sed bonorum operum tuorum splendor luceat coram hominibus, vt Dominus ab omnibus collaudetur.

88 Cùm de fide disputas, considera, vtrũ habeas opera fidei cõgruentia. Nam si dicẽdi tantùm & audiendi studiosus es, illud in te iacietur, quod scriptũ est:
Iac. 2. Vis scire, o homo inanis, quoniã fides sine operibus mortua est? Profectò enim mortui sunt omnes, qui Deum se nosse profitentur, factis autem negant, cùm
Tim. 1. sint, vt ait Apostolus, abominati, & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. Tu igitur summissè de te atque humiliter senti, ne in sublime elatus, turpiter
Psalm. 140. decidas. Quotidie supplex ad Deũ clama: Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis. Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, cùm hominibus operantibus iniquitatem. Lingua enim eorũ est membrum exiguum, & magna molitur.

89 Bonorum direptiones, & tormenta, & mortis minæ de constantiæ gradu multos deiecerunt. Alii verò per hæc fortitudinis coronam sunt consecuti. Nonnulli auaritiæ causa proditores euaserunt. Ob inanem gloriam quidam aspernati sunt veritatem. Multi libidinis œstro concitati nequitiæ succubuerunt. At illi mortis habentẽ imperiũ, hoc est, Diabo-

lum superant, qui Christum in se ipsis semper habẽt. Nam victoria nostra Dominus est. Quamobrem siue in bonis operibus proficis, arrogantia ne extollaris. Siue in multis te deliquisse sentis, ne desperes de salute tua. Beatus ille est, non qui bene cœpit, sed qui ad finem vsque sine crimine perseuerat. Itaque ne demus nos inertiæ per totum diem, sed hora saltem vndecima bene operemur, vt nos itẽ efficiamur digni, qui de manu Domini denarium accipiamus.

90 Si quem nactus eris discipulum, qui negligentia sua religionis iugum abiiciat, noli turbari, neque tristitiæ locum præbe, vt mens tua grauius excrucietur ne & teipsum lædas, & ei nihil prosis. Cogita, qualis fuerit minister Elisæi prophetæ. Quòd si ad malitiã ingentem deuenerit, eum tibi in memoriam redige, qui ex Apostolo proditor factus est. Quis adeò stultus atque impius existat, vt peccati causam præcepto ri adscribat, ac non potius improbę discipuli voluntati? Libero enim præditũ arbitrio Deus hominẽ constituit. Itaq; tum præmia, tum supplicia sunt proposita: Rectè quidem viuentibus honor & gloria: secus autem pœna & ignominia. Est enim peccatum ad mortem. Mortem autẽ sibi struit, qui in malitia perseuerat, nec à vita prauè instituta ad optimam se confert viuendi rationem. 1.Io.5.

91 Cùm a lectione rerũ diuinarũ te senseris abhorrere, & spiritualia præcepta contemnere atq; aspernari, animum tuum scito grauem in morbum incidisse. Id enim est initium temeritatis, qua qui ægrotãt, mortis fructum colligunt.

92 Qui fabrilem artem exercent, non puluerẽ, non fuliginem, aut fumũ respuunt, non mallei strepitum, aut ignis ardorem execrantur, sed rudẽ ferri massam diligenter assidueq; tundentes vasa humanis vsibus commoda inde conficiunt. Quamobrem ne nos quidem defatigemur ad virtutem, ac pietatẽ nos mutuò

cohortantes,preciosum a vili separemus:digniq; vocatione illa & gloria cœlesti efficiamur scriptum est
Hier. 15 enim:Si pretiosum a vili separaueris, quasi os meum eris. Et beatus, qui semen habet in Sion, & domesticos in Hierusalem.

93 Diuinis laticibus irriga animam tuam, vt vigens ac florens in iustitia fructũ ferat. Oportet enim nos persequi animę vtilitatem, quemadmodũ animalia terrestria,plãtas herbasque depascunt. Anima enim corroborata firmius ad ferendos labores corpus efficitur. Anima verò à turpibus cogitationibus debilitata,corpus item à malitia corrumpetur. Quamobrem beatus qui rectè hic disponit ac moderatur ea, quæ vitę sunt propria:quoniam diues ad vitam perueniet immortalem,qua vtinam omnes potiamur, precibus eorum nos commendantibus, qui Domino nostro Iesu Christo placuerunt. Amen.

De exercitatione.

QVI te ad virtutem ac pietatem exerces,attende tibi,& caue,ne dies tuos in rebus inanibus consumas, neve prauas in animo tuo foueas cogitationes, quibus vis & robur ipsius in bello, quod cum inimico geris,hebetetur. Dulcis Domini Iesu memoria,o iuuenis,fixa semper inhæreat in mente tua,vt exercitationis tuæ cursus palmæ coronam accipiat. Tẽpus enim instat,&appropinquat dies,in quo qui strenuè labores pertulerint,præmia cõsequãntur:Inertes autem & ignauiæ dediti, in dedecus & ignominiam incurrant. Dum vacat,& licet, virtutes amplectere. In oculis tuis versetur pudor, in auribus veritas, verba vitæ in lingua tua,ægrotantium visitatio in gressibus tuis,imago Domini tui in corde tuo,in mẽbris omnibus continentia, vt ab Angelis & hominibus collauderis. Nam si lignum inanimatum, propterea quòd

Regis aut Principis imaginem exprimat, honoratur: quātò magis honorabitur anima, quæ in seipsa Deū habet in hoc sæculo & in futuro? Attende igitur tibi, fili charissime, & hęc diligenter considera. Cupiditas per se mortua quædam res est, corpus autem veluti vita. Caue igitur, ne id, quod vita est, rei mortuæ vitam præbeat. Nam si ei vitam dederis, interficiet te. O rem miseram & lacrymabilem. Vt, quod mortuū est, si vitam accipit, occidat id, quod vitam præbuit. Quod cùm ita sit, quomodo fiat, intellige. Cupiditas per se sine corpore mortua est. Cùm autem impetus eius ad corpus accedit, statim vitam accipit. Animus enim cupiditatis dulcedine delectatur. Atque ita ex re quondam mortua ad viuam mors proficiscitur. Quamobrem omni studio caue tibi à corpore mortuo in incendio cupiditatis eius. Obiice menti tuæ ignem illum inestinguibilem, & vermem illum, qui non habet finē, & renum inflammatio confestim extinguetur. Vide, ne te facilem ac lenem cupiditates inueniant, ne mox negligētiam tuam dolor occupet assuefcasque tum peccare, tum resipiscere. Ab initio potiùs grauis ac seuerus esto aduersus omnem cupiditatis titillationē. Et ne assuescas in bello inferior esse. Consuetudo enim est altera natura. Et lenitudinis facilitas procul abest a grauitate. Semper enim ædificat, & destruit. Semper peccat, & resipiscit. Fili charissime, si per consuetudinem te facilè vinci patieris, mollities tua tibi erit ignominiæ sempiternæ. Qui vni cuipiā cedere consuescit cupiditati, perpetuo cōsciētiæ stimulo pungiť ac cruciatur. Et quamuis corā hominibus hilarem vultum præseferat, conscientiæ tamen facibus intus vritur, ac tristis est. Ea nanque cupiditatis natura est, vt obsequentibus sibi dolorem afferat. O anima, quæ in te Christū habes, attende tibi, tibi ipsa vaca. Immortalis est, anima, Christus sponsus tuus. Verum sponsum tuum dese-

ras, caue, ne ab eo derelicta diligas inimicum tuum ab omni iustitiæ pulchritudine remotissimum. Exiguum enim ad tempus se fingit diligere, mox autem deserit, quippè qui impurus adulter est. Cùm alicuius vires facultatesq; consumpserit, ei se statim inimicum profitetur. Proh dolor, inimicus noster cùm vim tempusq; nostrum in immunditia fœdissimisq; cupiditatibus suis contriuerit, tunc odii sui virus effundens, nos derelinquit. Nec mirum. Neque enim vnquam scelestus atque improbus ille nos amauit.

Eorum correctio, qui cùm vitiosè viuant, honores petunt.

EXCRVCIOR, fratres mei, & contremisco,
Act.13. atque dolore conficior, dũ illa Prophetę verba considero: Videte cotéptores, & admiramini, ac disperdimini. Id autem accidit mihi propter ignorantiam meam. Omné enim viam iniquitatis ingressus sum. Et singula membra mea peccatis omnibus inimicus obstrinxit. Debebam equidem me ipsum affligere, & turpitudinem meam deplorare, deinde pro aliis esse sollicitus. Debebam prius ex oculis meis trabem excindere, deinde festucas aliorum videre. Verùm contemptus, qui viget temporibus nostris, me angit ac stimulat. Video enim negligétiam disciplinæ, quam ferre nequeo, sed doleo cum Propheta dicente: Vidi
Psalm. 118. præuaricãtes & tabescebam. Quæ enim arma nobis nõ intulit aduersarius, quas fraudes, quos dolos, quas machinas non admouit? Hei mihi, quis impendentes nobis calamitates non reformidet? Attendite, obsecro, quæ dicam, qui vitam hanc sustulistis, & contremiscite. Angelorum ferentes habitum cum Diabolo militamus. Habitus est angelicus, sed vita secularis. Num inter Angelos contentio viget ac zelus, quemadmodum nunc inter monachos cernimus? Radices in ipsis egit inuidia, & zelus, & obtrectatio. Varia singulis

gulis pocula miscuit hostis astutissimus. Arte studet ac dolo singulos supplantare. Hic, inquit, diligenter ieiunium obseruat, sed zelo & inuidia superatur. Ille sese à fœda libidine continuit, sed inani victus est gloria. Alius nauiter vigilauit, sed irretitus est obtrectatione. Alius à detrahendi vitio liber est, sed inobedientia & contumacia plenus. Alius à cibis abstinet, sed in tumore atque arrogantia immersus est. Alius in oratione fortis est, sed indignationi iracundiæque succumbit. Alius paululum proficit, sed despicit negligentiores. Alios denique alio pacto malitia deuincit, & non est, qui intelligat. Ex quo contentiones & rixæ inter monachos oriuntur. Hei mihi, quis non ingemiscat? quis non lugeat? Quomodo disciplinam hanc angelicam confudimus. Mundū reliquimus, sed quæ mundi sunt sequimur. Possessiones reiecimus, & à contentione non desistimus. Domos deseruimus, & earū sollicitudine quotidie contabescimus. Nō adsunt diuitiæ, sed adest superbia. Nuptias contempsimus, sed à stulta dilectione non discedimus. Humilitatē simulamus, sed animo honores concupiscimus. Inopiam præ nobis ferimus, sed abundantia laboramus. Ore paupertatem extollimus, sed occultò auaritiæ morbo detinemur. Quis igitur vicem nostram nō deploret? licet enim monachorum instituta & iuniorū præsertim videre atque admirari. Nondū mundo renunciauerunt, & iam superbia tument. Nondū habitum sunt assecuti, & iam insolescunt. Nōdum disciplinam audiuerunt, & iam se magistros profitentur. Nōdum vestibulum aspexerunt, & iam penetralia cogitant. Nondum primum gradum ascenderunt, & volitant super nubes. Nondum exercitationem gustarunt, & iam inani gloria sunt instructi. Nondum primam disciplinæ vocem perceperunt, & tanquā magistri iam alios increpitant. Nondū fratrum societati sunt ascripti, & iam sibi vindicant auctoritatem. Nondum mo-

nasterii fores sunt ingressi, & iam alios corripiunt, reprehendunt, atque castigant. Verùm quid singula persequor? non est intelligens, non est, qui propter Deum mundo renuntiet, vt obediendo seipsum fratribus seruum exhibeat. Sed si reprehendatur, seipsum excusat. Siquid præcipiatur, detrectat imperiũ. Quæ bona sunt, non imitantur: & quæ sunt inutilia, cõplectuntur. Vix tertius est dies, ex quo mundo renuntiarunt, & cũ illis, qui in habitu consenuere, contendunt, nec volunt in ordinem redigi, aut cuiquam obtemperare, sed excusationes excogitant, & ne corpus fatigent, alius alium respicit. Subiit obedientiæ iugum, & vult imperare: irascitur, si admonetur. Hoc facito, frater. Non faciã, respondet, nisi & ille veniat. Ille scripturarũ incumbit meditationi, & ego incumbere debeo. Sæpè qui domi suæ operarius fuerat, & ignorabat, quæ ipsius esset vel dextera vel sinistra, in monasterio studiosus & interpres ac doctor incedit. Frater quiescit, & ego quiescere debeo. Frater dat operã contemplationi, & ego debeo sublimia cõtemplari. Frater ad honorem prouectus est, cur non ego? Frater vtitur patrum familiaritate, cur ego nõ vtar? Illi commissus est magistratus, cur non etiam mihi? Nónne ego quoque hoc, atque illo dignus sum munere? Hæc sunt egregia iuniorũ opera, hæc ministrorum humilitas, hic labor, hæc studia, quibus se regni cœlestis hæreditatẽ adepturos sperant. Nõ animaduertunt, inde animæ interitum proficisci. Nõ vident propterea se Dei inimicos euadere. Ex his planè constat, nos ne exiguum quidem ad tempus mundi consuetudini renuntiasse. Mundo specie dũtaxat renuntiauimus, re autem ipsa, quæ mundi sunt, amplectimur. Facessat mendax excusatio. Habitu monachi sumus, moribus crudeles quidam & inhumani. Habitu humiles, moribus pestilentes. Habitu religiosi, moribus perniciosi. Habitu dilecti, moribus inimici. Habi-

tu chari, moribus inuisi. Habitu studiosi, morib⁹ ignaui. Habitu sobrii, animo piratæ. Habitu pudici, corde adulteri. Habitu modesti, corde gnathones. Habitu mites, moribus arrogantes. Habitu cõsolatores, moribus contumeliosi. Habitu cõsiliarii, moribus detractores. Habitu simplices, moribus improbi. Habitu innocentes, moribus homicidæ. Habitu defensores, moribus proditores. Cur aũt tales sumus, nisi q̃a mutuã inter nos charitatẽ perfectam non habemus? nisi quia Dei timor in nobis non est? quia diuina verba contemnimus, & arbitratu nostro ea torquemus, ac nugas existimamus? Verbo Dei cœli firmati sunt, & nos ipsum nẽ vt fratrẽ quidem suscipimus. Ore ille suo terribili ac formidando locutus est: Qui vult, inquiens, inter vos esse primus, sit omnium vltimus & minister. Nos verò cùm vix habitũ induerimus, insolescimus, & vnus aduersus aliũ extollimur, & vicissim insultamus, & apud nos ipsos oẽs prudentes sumus. Oẽs duces esse volumus, oẽs præesse, omnes imperare, oẽs reprehendere, omnes præcipere, omnes docere, omnes interpretari, omnes esse doctores, omnes domini, oẽs procuratores, omnes patres familiàs, omnes primi, omnes secundi. Cùm tamen Apostolus dicat: Si totum corpus auditus, vbi odoratus? Si omnes primi, si omnes duces, si omnes præceptores, vbi diuinæ dispositionis ordo ac differentia? Eum saltẽ audite, qui dicit: Nemo assumit sibi honorẽ, nisi vocatus à Deo. Et rursũm: Num oẽs doctores? Iccircò principatus, & potestates constituit Deus. Si enim in cœlis, vbi omnes incorrupti, & immortales, cùm spiritus sint ministrantes, noluit Deus vnicum esse ordinem, sed principatus, potestates, dominationesq; constituit, & nemo à præscripto sibi ordine recedit, sed illum seruat: cur mutuas inter nos contentiones exercemus? Angeli & Archangeli nõ transiliunt imperata. Nos autem inuicem collidimur, vnus aduersus al-

Psal. 30.
Matt. 9.
1. Cor. 12.
Heb. 5.
1. Cor. 12.

terum insurgimus, nos viciſſim antecedere ſtudem⁹, alios contēnimus, atque deprimimus, vt plus aliquid poſſe videamur. O mentis cæcitas, qua non paremus

1.Cor.7 dicenti: In qua quiſque vocatione vocatus eſt, in ea

Luc. 12. maneat. Cur eum non metuunt, qui dicit: Cui multum commiſſum fuerit, ab eo multum repetetur, vt eo ſaltem modo ad humilitatem deducantur? Quæſo, fratres, ne vitam noſtram in hac vanitate traducamus. Non eſt bona gloriatio noſtra. Ne ſic abiiciamus timorem, tanquam formidandum illud iudiciū non ſubituri. Ne ſic viuamus, tāquam haud ita ſecurè rationem reddituri. Caueamus, obſecro, ne proximis offendiculo & ſcandalo ſimus, néue peccatis peccata cumulemus. Ne præclarus habitus noſter vituperetur, ſed potius laudetur. Veniet enim, veniet, & nō tardabit dies illa terribilis, in qua interrogati nullā inueniemus reſponſionem. Quid enim poterimus reſpondere? Quid eſt, quod nobis facere potuit, & non fecit? Nónne ipſum Deum Verbum humilem vidimus, vt nos quoque humiliemur? Nōne ſanctam eius faciem ſputis conſperſam aſpeximus, vt nos item illatas nobis contumelias & iniurias perferamus? Nōne tergum ipſius flagellis cæſum agnouimus, vt nos præfectis noſtris pareamus? Nónne os eius alapis à ſeruo contuſum vidimus, vt nos item contemni ac deſpici patiamur? Quid? non audiuimus ita loquentem? Ego autem non repugno nec contradico, ne inobedientes, aut contumaces ſimus. Nōne ſic eum dicentem audiuimus? Ego autem à me ipſo facio nihil: ne ſimus audaces, & arrogantes, & noſtri iuris. Nonne audiuimus ſic adhortātem? Diſcite à me, quia mi-

Matt.11 tis ſum & humilis corde, vt nos quoque mites atque humiles ſimus? Nos verò nobis inuicem inuidemus. Mordemus nos inuicem, ac deuoramus. Quam igitur apud illum defenſionem inueniemus? Obſecro, fratres, ne ſinamus nos ita carnis perturbationibus vin-

ti, vt æternam beatitudinem amittamus. Ne propter caducum honorem gloria spoliemur sempiterna. Ne propter contentionem & zelum, & inuidiam, in gehennam illam horribilem detrudamur semel saluari studes? Quid ergo in proximo iudicãdo curiosus es? Semel iugum subiisti, cur illud abiicis? Operam da, vt obedientiæ tuæ fructus appareat. Neque auctoritate mihi crede, neque magistratu, neq; amplitudine, neque quòd primus, aut secundus, aut præfectus appelleris, neque quòd sis in vllo honoris, aut dignitatis gradu constitutus, propterea fiet, vt in regnum cœlorum ingrediaris. Hæc enim non tribuunt remissionẽ peccatorum, non liberant à supplicio, nisi adsit humilitas, & obedientia, & charitas, & patientia, atque cõstantia. Neque enim probari, aut salutem assequi possumus, nisi omnibus in rebus Dominum imitemur. Qui, non veni, inquit, vt mihi ministraretur, sed vt ministrarem. Matt. 20 Et rursum: Non veni, vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris. Ioan. 6. Et alibi: Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Luc. 18. An non audistis, quos ipse beatos vocet, Beati, inquiens, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum? Matt. 5. Non audiuistis illud: Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris? Psal. 49. Et quomodo iubeat, in faciem arguere? Non audiuistis illud: Qui odit proximum suum, in tenebris est? Non audiuistis propter superbiam & inuidiam Diabolum è cœlis excidisse? Non audiuistis, quomodo Hebræi propter contradictionẽ è terra promissionis exciderint? Non audiuistis, quomodo Maria soror ipsius Mosis propter vnum conuicium lepra correpta sit? Cur igitur ad tot exempla tanquam aspides, non carnis, sed animi aures occludimus? Nu. 12. Hæc enim audimus, sed illa sequimur. Cur non credimus dicenti: Qui manet in charitate, in Deo manet? 1. Io. 4. Vigilemus igitur, ò grex electe, dum tempus habemus. Resipiscamus, dum sub-

mus in remissione. Ne repentè veniat illa dies formidanda ac luctuosa, & tunc frustra stultitiam nostram agnoscamus. Vigilemus, ne in dedecus illud ingens corám Angelis & hominibus incurramus. A vanis contentionibus desistamus. Vos autem in primis, qui vigetis adolescentia, pro viribus humilitatem amplectimini, vt intelligere valeatis, quanta apud patres nostros tranquillitas fuerit, quanta diligentia, quanta humilitas, quanta frugalitas, quantus rerum humanarum contemptus, & despicientia. Nunc autem magnum adest bellum. Ne contemnatis. Nolite putare, vos ad perfectionem peruenisse. Multi pro salute labores, multa subeunda certamina. Nolite putare in cingulo & veste longa consistere vitam perfectam, aut in eo salutem esse positam, quòd manus habeas mundas, quòd eloquẽs sis, quòd scripturas interpreteris, quòd capite incedas raso, aut comam nutrias. In virtute, in bonis operibus sita est. Hæc autem dico, non vt habitui detraham. Absit. Sed vt ostendam, habitui mores & opera debere congruere. Habitus enim sine operibus nihil est. Nolite vos otio, desidiæque dedere. Magno labore iuuentus est coercenda. Si verba mea vobis molestiam afferunt, me tamen non pœnitet vos admonere. Satius enim est, vt vulneribus ignis admoueatur, quàm permittere, vt totum corpus computrescat. Creditisne, quia morbos vestros contegitis, propterea Deum eos latere? Quæ à nobis occultè fiunt, ea mihi describere turpe est. Si enim illa descripsero, non permanebitis, sed aufugietis. Quamobrem hortor vos, vt humilitatem, & obedientiam, & charitatem, & frugalitatem, & contemptum amplectamini. Subiicite vos mutuò in dilectione, in obedientia, in ieiunio, in vigilia, in oratione. Ne sitis fortes in contentionibus, debiles autem in Psalmis decantandis. Nolite in collo-

quiis esse vigiles, & tanquam serpentes aspicere, in orationibus autem conniuere & dormitare. Ne sitis in ferendis nugis tauri, in laudando autem Deo vulpes. In litibus inuicti, in rebus spiritalibus oscitantes. In iocis hilares, in admonitionibus tristes. In epulis per diem sani, nocte verò in orationibus ægri. In congressibus arrogantes, in operibus dissoluti. Prompti ad imperandum, ad parendum pigri. In præcipiendo læti, in obtemperando mœsti. Ad iubendum acres, ad obediendum tardi. Ne manicas ad digitos, & linguam ad pectus exeramus. Ad mensam celeres, ad opus negligentes. Malis in rebus oculati, in bonis cæci. Coram mulieribus graues, & coràm fratribus feri. Obsecro vos, filii Dei, vt bonam æmulationem suscipiatis. Quicquid ad modestiam, ad bonam famam, ad ædificationem spectat, complectamini. In primisque humilitatem, dilectionem, benignitatem, mansuetudinem, humanitatem. Inutilibus reiectis contentionibus, vicissim cedite. Vigiliis, & orationibus incumbite, vt possitis vitia carnis superare. Cauete, ne rebus inanibus caducisque capti vera bona, & immortalem gloriam amittatis. In eam, quæso, dum estis in carne, curam incumbite, vt ea, quæ Deo grata sunt, perficiatis. Festinemus, curramus, magna tempestas imminet, ne simus negligentes. Non est nobis colluctatio cum aduersariis, quos videamus. Inuisibiles sunt, & ideò magnum negligentibus periculum adest, & ingens vincentibus præmium. Vigilemus igitur, & aduersus astutias ipsorum nos instruamus. Si nos ad gulam prouocant, ieiunio resistamus. Si blanda nos titillant voluptate, temperantia repugnemus. Si ad iracundiam incitant, mansuetudine armemur. Si ad odium prouocant, beneuolentiam & charitatem comple-

ctamur. Si ad ambitionem, contemptum ostẽdamus. Si ad gloriam, abiectionem opponamus. Si ad superbiam, Domini humilitatem cõsideremus. Si ad æmulationem, Cain lapsum recordemur. Si ad inuidiam, Esau perniciem cogitemus. Si nos ad detrahendum impellunt, silentio os nostrum cohibeamus. Si eiusmodi rationibus repugnabimus, aufugient, nec consistere poterunt. Gratia autem ad vos reuertetur. Credite, fratres, me iis omnibus, à quibus, vos, vt abstineretis, admonui, obnoxium esse. Vos operam date, vt mundi puriq; sitis. Ego peccatis immersus sum. Vos per bonam ac veram pœnitentiam vestram me quoque liberate. Credite, me eorum, quæ dixi, nihil obseruasse. Spero vos ab omni reprehensione liberos fore. Ego verò damnatione sum dignus, qui dico & non facio. Salutem nostram, fratres, ne contemnamus. Neque putemus, quæ dicta sunt, esse commenti tia. Nihil, enim quod scripturæ repugnet, aut falsum sit, pronuntiauimus. Faxit misericors Deus, vt verbi sui semen suscipientes, fructum alii trigesimum, alii sexagesimum, alii centesimum, afferamus, vt nos virtutum fructibus onustos atq; ornatos lætus accipiat Dominus noster Iesus Christus in regnum suum, & lætitia cumulet sempiterna. Amen.

De Virginitate & Castitate disputatio.

IMPROBVS Dæmon ita fratres & sorores aggreditur: Ecce tibi singulis horis caro ad libidinẽ commouetur. Quousque igitur molestiam perferes, ac miser viues, & patiens eris? quoad, inquit frater, respiciat Dominus humilitatem meam; & laborem meum, & dimittat omnia peccata mea. At qui satius est, inquit Dæmon, quo pugnę ac bello finẽ imponas, vt cupiditati semel indulgeas, & mox ad pęnitẽtiã re-

uertare neq; enim graue peccatũ est, aut magni pon deris. Nõ opus est, inquit, frater, vt abs te discam pœnitentiæ rationem. Scio enim ego planè, homini per benignitatem Dei pœnitentię locum esse vsque ad extremum spiritum: Quod autem leue peccatũ hoc esse dicis, quomodo, si leui in re succubuero in cõspectu Dei, non succumbam facilius, cùm me tentatio maior inuaserit? Nullius momenti res est, inquit Diabolus, & mox poteris resipiscere. Ecquis, inquit frater, recipiat ac spondeat, me si carnem meã corrupero pœnitentiæ tempus inuenturum, ac non potius in eorum semper numero futurum, qui operantur iniquitatem? Vmbra enim est vita nostra super terram. Quamobrem idem est, ac si mihi suaderes, vt gladiũ mihi ipse in pectus defigerem. At leuis res est, inquit improbus ille, peccatũ eiusmodi, atq; vna hora transigitur, neque amplius manet. Respõdit frater: Audi vitæ hostis, atque impugnator animarum, quæ apud Deum proposita sint præmia illis, qui exiguum hoc temporis spatium, quod dicis, strenuè transigunt decertando, & quæ rursum iis proposita sint apud Deũ supplicia atq; ignominiæ, qui tam breui tempore superantur. Nonne castus ille Ioseph, propterea quòd vitium illud vicit, ab omnibus omnium seculorum hominibus laudatur? cõtra verò Aegyptię ipsius dedecus est sempiternum? Nonne pudica item illa Susanna semper apud omnes beata prædicabitur? quæ nec blanditiis allici, nec minis ac mortis periculo, vt pudicitiam proderet, potuit cõmoueri? At seniores ac iudices illi, qui populum regere videbantur, libidinis vitio succumbentes lapidibus obruti sunt, æternamq; nomini suo ignominiæ notã inusserunt. Ignoras, Diabole, feras, quæ humanis carnibus deuorandis assuescunt, difficile ab eiusmodi cibo cohiberi? Et tu, leo rugiens, mihi conaris persuadere, me, si libidini semel indulsero, non amplius ab ea vexatum iri.

Pro. 26.

Dominus Deus,qui suum hominibus largitus est Spiritum,increpet te,qui tanq̃ leo mihi insidiaris,vt per peccatum deuores animam meam. Verùm Saluator noster Christus non permittet id tibi,quoniam benignus, & potens, & misericors est. Subiicit Dæmon: Res profectò nullius momẽti est.cur igitur angeris? Angor, inquit ille, quia homines decipis. Dulcedo enim tua amara est, & consilium tuum in malorum barathrum deducit,& munera tua mortem atque interitum afferunt.Suades enim mihi,vt cõculcem gratiam Domini & tristitia afficiam Spiritum sanctum, quo signatus sum in die redẽptionis. Et nullius ponderis hoc esse dicis, hortarisq;,vt membra Christi faciam membra meretricis,& breui momento diuitias amittam immortales.Nullius ergo momẽti est,abiicere sanctitatem, sine qua nemo Dominum aspiciet? Quomodo in die illa formidanda, ad diuinum tribunal consistens, iustum iudicem audiam ita loquentem:Serue nequã,& voluptatis amator potius, quàm Dei, libidine & flagitiis tuis terram meã coinquinasti. Nullius momenti hoc esse dicis, cùm scri-
1.Pet.2. ptum sit: Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari. Et originali mundo non pepercit,sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit,diluuium mundo impiorum inducens,& ciuitates Sodomorum,& Gomorrhæorum in cinerem redigens,euersione damnauit,exemplũ eorum,qui impiè acturi sunt,ponens. Et iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa cõuersatione eripuit.Aspectu enim & auditu iustus erat,habitans apud eos,qui de die in diem animam iustã iniquis operibus cruciabant. Nouit Dominus pios de tẽtatione eripere,iniquos verò in diem iudicii reseruare cruciandos,magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant.Leuem ac

nullius ponderis rem esse asseris? Ecquis vnq̃ hortatu tuo peccatis indulgens, in bonis transegit dies suos, & regnum æternum adeptus est? At illi, qui per Christi viam incedunt, semper gaudent, & lætantur in Spiritu sancto, expectantes beatam spem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Me, si tu viceris, magna affectum iri tristitia nõ ignoro. Tu casu meo lætus patri tuo Satanę iucundum afferes nuntium: Ego verò, si id commisero, in conspectu Patris mei cœlestis confundar. Præstat igitur, vt tu, tanq̃ impudens canis, latrare nõ desinas, q̃ vt eiusmodi gaudio de me triumphes ac rideas. Miror equidem, Diabole, quòd coneris hominibus suadere, vt caducam istam ac fœdam voluptatem vitæ præferant sempiternæ. Dominus noster fortis & adiutor noster. Dominus refugium nostrum, & redẽptor noster. Dominus protector noster, & nõn timebimus te. Forti igitur animo, charissimi, aduersus Diabolum decertate. Proponite vobis gehennę terrorem, & supplicii ęterni acerbitatem, ne decipiat vos astutia sua. At, dicet aliquis, quomodo intelligere possumus gehennæ supplicia? Exemplo id disce. Nónne vnq̃ in balneum ingressus es? Nónne vidisti illic homines nimio calore solutos in loca frigidiora transferri? At in illa flamma, qua peccatores sunt comburendi, nullum dabitur refrigerium, nullus exitus, nullæ aderunt fores, nullus splendor, nulla cura, nullus adiutor, nullus consolator, quamuis magnis clamoribus auxilium imploretur. Scriptum est enim: Iudicium in eos sine misericordia futurum: quia misericordia fuerint alieni. Et nõn est gaudium impiis. Quid? nónne fornacem ipsam vidisti, qua balneum calefit? Quemadmodum illuc ligna coniiciuntur, sic in gehenna peccatores igne perpetuo comburuntur. Peccata ipsorum vehementiorem in ipsos flammam accendunt. Ira enim, vt scriptum est, & indignatio, tribulatio &

Iac. 2.

Rom. 2.

angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm,& Græci. Gloria autem, & honor,& pax omni operanti bonum. Iudæo primùm & Græco. Non enim est acceptio personarũ apud Deũ. Itaque, charissimi, vigilemus, & sobrii, castiq; simus apud Deum,& precationibus atque eleemosynis vacemus cum omni humilitate, dum tempus adhuc habemus, vt ab iis, quæ diximus, malis liberemur. Vult enim Dominus, p sua singulari bonitate omnes ho-
1.Ti.2. mines saluos fieri, cui gloria in æternum. Amen.

De castitate.

CASTITATEM, frater charissime, palmæ similem puta, quæ cùm intus sit candida, foris vndique munita est. Omnes homines ex corde puro sunt diligendi, imprimisq; illi, qui fide nobis & pietate cõiuncti sunt. In eos autem, qui à religione abhorrent, & voluptatibus indulgent, ita seueri ac tristes esse debemus, vt prudentiam,& modestiam, ac pacem retinea-
2.Ti.2. mus. Seruũ enim Domini, vt Apostolus ait, nõ oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes docibilẽ, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitẽtiam ad cognoscendam veritatem,& resipiscant a Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipsius volũtatem. O castitas, quæ delicias,& elegantiam, atque ornatũ corporis detestaris. O castitas dapium & epularum atque ebrietatis inimica. O castitas, quæ verecundię fræno oculos moderaris,& totum corpus è tenebris ad lucem reuocas mandatorum Dei. O castitas, quę carnem affligis, & in seruitutẽ redigis, acuteq; cœlestia contemplaris. O castitas mater dilectionis,& comes Angelorum. O castitas, quæ homines Angelis æquales reddis. O castitas, quæ tui studiosum sic exaltasti in terra aliena, vt eũ dominum illorum, à qui-

bus emptus fuerat, constitueres. O castitas Dei munus, benignitatis & scientiæ ac cognitionis plena. O castitas, portus tutus ab omni tempestate, in pace, & tranquillitate constitutus. O castitas cœlo grata & decantata. O castitas, quæ cor te possidentis lætitia perfundis, & animæ adiungis alas in cœlum. O castitas, quæ spiritus gaudium paris, & tristitiam interficis. O castitas, quæ abhorres à malo, & bono adhæres. O castitas, quæ animum reddis quietum, & à perturbationibus liberum. O castitas, quæ iustos illuminas, & Diabolum confundis, celeriterq; ad brauium curris supernę vocationis in Christo. O castitas, quę desidiam fugas, & patientiam affers. O castitas onus leue, quod in aquis non demergitur. Thesaurus sempiternus in anima hominis Christum amãtis abscon ditus, quem, qui possidet, inueniet in tempore necessitatis. O castitas possessio præclara, quæ nõ vastatur à feris, & ab igne non exuritur. O castitas, currus spiritualis, qui possidẽtem tollit in sublime. O castitas, quæ in animis mansuetis & humilibus habitas, & homines diuinos efficis. O castitas, quæ in animæ & corporis medio flores vt rosa, & totã domũ reples odoris suauitate. O castitas comes & socia Spiritus sancti. O castitas, quæ Deũ placas, & eius promissa perfers ad omnes homines. Hanc Sancti oẽs dilexerunt. Hanc coluit Sanctus Ioannes Euangelista, qui recubuit super pectus Domini. O castitas quæ nõ solùm a virginibus semper exculta es, verumetiam ab iis, qui ad pœnitentiam se conuerterunt. Hanc igitur & nos serui Dei ex animo complectamur, vt Christi spiritum in nobis habitantem lætitia afficiamus, cui honor, & gloria, & adoratio in sæcula sæculorũ. Amen.

Beatitudines.

1 BEATVS, qui à terrenis omnibus vanę istius

vitæ occupationibus liber, solum Deum bonum clementemq; diligit in toto corde suo.
2 Beatus, qui virtutes colit, & tanq̃ ager fertilis vberes vitæ fructus fert in Domino.
3 Beatus, qui bonus est virtutum agricola, & spiritalem vineam serit, & vindemians replet torcular fructibus vitæ suæ in Domino.
4 Beatus, qui spiritali lætitia perfundit conseruos suos ex fructibus virtutum, quas coluit, vt vitæ fructũ in Domino perciperet.
5 Beatus, qui sanctæ communioni atque orationi tanq̃ cœlestis Angelus incumbit, & mundis quotidie cogitationibus vacat, neque aditum prębet improbo Dęmoni, vt animam suam expugnet, & abducat à Deo Saluatore.
6 Beatus, qui studiosè & consideratè luctum quęrit, & lacrymas in hac vita tanq̃ pretiosas margaritas fundit in conspectu Dei.
7 Beatus, qui sanctitatem vt lucem diligit, & tenebrosis Diaboli operibus non inquinat corpus suum in conspectu sanctissimi Dei nostri.
8 Beatus, qui corpus suum Saluatori custodit in sanctitate, & malis operibus non contaminat animã suam, sed gratus manet in Domino Deo suo.
9 Beatus, qui ab omni abhorret turpitudine peccatorũ, seq; hostiã viuẽtem & Domino acceptã offert.
10 Beatus, qui semper in seipso Dei memoriam colit: erit enim totus velut Angelus cœlestis in terra cum reuerentia & amore sacrificans Domino.
11 Beatus, qui pœnitẽtiã diligit, quæ mater & perfugium est peccatorũ, nec rursum vt ingratus animũ ad peccandum appulit in conspectu Saluatoris Dei.
12 Beatus, qui tanq̃ strenuus miles regni thesaurũ, id est, corpus atque animam suam sine reprehensione conseruat in Domino.
13 Beatus, qui in cella sua, vt Angelus in cœlo, pu-

tas & caſtas colit cogitationes. Et ore ſuo collaudat eum, qui ſpirituum & rerum omnium habet poteſtatem.

14 Beatus, qui factus eſt vt Seraphim & Cherubim, & in diuino ſacrificio nunq̃ eſt piger, ſed Dominum laudat ſine intermiſſione

15 Beatus, qui gratia ſpirituali ſemper eſt plenus, & ſuaue Dñi iugũ libenter ſumit. Gloria.n.coronabitͬ.

16 Beatus, qui ſe ab omni peccatorum macula purum atque integrum ſeruat, vt cum fiducia in domũ ſuam recipiat Regem gloriæ, Dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum.

17 Beatus, qui cum reuerentia, & timore, ac tremore ad ſacroſancta myſteria Saluatoris, accedit, ſeq́; vitam æternam ſuſcipere non ignorat.

18 Beatus, qui mortem quotidie meditatur, & turpes deſtruit cupiditates, quæ in negligentium cordibus nidulantur: in hora enim diſceſſus ex vita conſolationem accipiet.

19 Beatus, cui gehennę timor aſſiduè ante oculos obuerſatur, & qui lacrymis ac gemitibus ſtudet per veram pœnitentiam Deum ſibi propitiũ reddere: ex magna enim ac formidanda afflictione liberatur.

20 Beatus, qui ſponte ſe ſemper humiliat: quia coronabitur ab eo, qui vltrò ſe pro nobis humiliauit.

21 Beatus, qui omni cum reuerentia ſedet in cellula ſua, ſicut Maria, ſecus pedes Domini: & in ſuſcipiendo Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſicut Martha, ſollicitus eſt.

22 Beatus, qui Dei timore munitus ſemper in ſe Spiritus ſancti flammam conſeruat, qua ſpinas & tribulos malarum cogitationum exurit.

23 Beatus, qui malis operibus manum ſuam non coinquinauit, vt homines profani ſolent & impuri, qui coram Domino in die illa tremẽda iudicii condemnabuntur.

24 Beatus, qui honestas ac probas cogitationes assiduè colit, & spe desidiam vincit, quo quidem improbo vitio sæpe oppugnantur, qui sese in studio pietatis exercent.
25 Beatus qui in Dei opere tanq̃ generosus miles se strenuè gerit, ignauos excitando, & timidos cohortando in via Domini.
26 Beatus, qui in agro Domini bonis fructibus abundat, vt sanctos habeat Angelos custodes, quemadmodũ arbor fructifera a proprio agricola custoditur.
27. Beatus qui cum prudentia spiritus amplectitur mansuetudinem, nec ab improbo serpẽte sinit se supplantari, cum omnem suam spem in Domini clementis misericordisque præsidio sitam habeat.
28 Beatus qui Sanctos colit, & proximum diligit, & procul ab animo suo pellit inuidiam, qua Cain incitatus fratrem interfecit.
29 Beatus, qui re ipsa tyrannum redarguit, & voluptatum flammis non aduritur: nam eius anima rore Spiritus sancti recreabitur.
30 Beatus, qui menti suę diabolicas tenebras offundi non est passus, nec dulci luce atque iustorum lætitia priuatus est.
31 Beatus, qui puris cordis oculis semper Dominũ intuetur. Is enim a perturbationibus & prauis cogitationibus liberabitur.
32 Beatus, qui bonis & honestis colloquiis delectatur, & à prauis & turpibus, quę bonos mores corrumpũt, abhorret, quoniã minime fiet Diaboli mãcipiũ.
33 Beatus, qui cum Dei timore proximum corrigit, nec decipit animam ipsius, semperq; ferream magni pastoris virgam reformidat.
34 Beatus, qui ex Dei præscripto paret & obsequitur proximo suo, quique res aduersas fert æquo animo, tanq̃ confessor enim in Domino coronabitur.
35 Beatus, qui se a desidiæ vitio tanq̃ ignauus vinci

mini me

minimè patitur, ſed patientiam conſtanter amplexa tur,ex qua Sancti omnes coronam acceperunt.
36 Beatus,qui temperantiam diligit, nec vētris deliciis ac ſordibus indulget:in Domino enim, qui talis eſt, magnus efficietur.
37 Beatus,qui ab ebrietate & vino,quo gaudent intemperātes,minimè capitur,ſed aſſiduè oblectat ſeſe in Domini recordatione, qua ſemper homines ſancti delectantur.
38 Beatus, qui ex Dei voluntate facultates ſuas administrat; quiq; à Deo Saluatore noſtro tanq̄ auarus & crudelis in proximum non repudiatur.
39 Beatus,qui precationi,& lectioni,& bonis operibus incumbit aſſiduè. Illuminabitur enim oculus animæ ipſius, ne in morte dormiat.
40 Beatus,qui factus eſt bona ſagena ſpiritalis, multosq; piſces capit Domino ſuo: ab eo enim valdè cōmendabitur.
41 Beatus, qui proximi ſui conſcientiam non pungit, faciens,quæ ſunt iniuſta: ſed ei potius ſe virtutis exemplum præbet: à Domino enim accipiet benedictionem.
42 Beatus,qui patiens & miſericors eſt,quiq; barbaris tyrannis iræ atque odio non ſeruit: in Domino enim,qui talis eſt,exaltabitur.
43 Beatus,qui charitate ſublimis eſt, tanq̄ ciuitas ſuper montem poſita,quam hoſtis intuēs diſcedit,abiecta illius capiēdæ ſpe:ſic enim & ipſe tutus eſt in Domino Saluatore.
44 Beatus,qui Domini fide clarus eſt,veluti lucerna ſuper excelſum candelabrum ardens, quiq; animas tenebris circunfuſas,& quæ infidelium atque impiorum partes ſequuntur, illuſtrat.
45 Beatus cuius anima floret veluti palma fidei rectitudine,nec prauis infidelium & impiorum hæreticorum opinionibus quaſi ſentibus ac ſpinis horret.

46 Beatus, qui ſemper diligit veritatem, nec linguã ſuam mendacio tanquam impium accommodat inſtrumentum, aſſiduéq; ſermonem Domini de verbo otioſo meditatur.

47 Beatus, qui non, vt inſipiens, iudicat proximum ſuum, ſed potius, vt prudens, ſtudet eiicere trabem ex oculo ſuo.

48 Beatus, qui cohibet oculos ſuos, quique nec cogitatione, nec ſenſu ſeipſum decipit, aut cuti curandæ nimium indulget, ex qua mox defluet ſanies & putredo.

49 Beatus, cui dies migrationis ex hac vita ante oculos verſatur, & qui ſuperbiam deprimit, antequam naturæ noſtræ imbecillitas in ſepulchro corrupta ac diſſoluta redarguatur.

50 Beatus, qui mortuos aceruatim in tumulis dormientes meditatur, quiq; turpes à ſe repellit cogitationes: excitabitur enim in gloria, cùm cœleſtis illa tuba cunctos mortales è ſomno in vitam reuocans perſonabit.

51 Beatus, qui ſpiritali prudentia ſtellarum choros & cœli pulchritudinem ſuſcipiens, deſiderio contemplandi rerum omnium procreatoris incitatur.

52 Beatus, cuius in animo ignis ille verſatur, qui deſcendit ſuper montem Sina, & ſonitus buccinarum, & Moſes cum timore & tremore in medio cõſiſtens quique ſalutem ſuam minimè negligit.

53 Beatus, qui ſpem ſuam non in homine ſitam habet, ſed in Domino, qui rurſum veniet ad iudicandos omnes in iuſtitia. erit enim tanquam arbor fertilis propter aquas poſita, quæ fructum facere non intermittet.

54 Beatus, cuius mens tanquam nubes aqua diuinæ gratiæ plena mortalium animas irrigat, vt vitæ fructus ferant: erit enim decus illius in gloria ſempiterna.

55 Beati, qui Domino vigilant cum sobrietate & castitate: Protegentur enim ab eo in iudicii die, & vt sponsi comites atque amici cum gaudio & lætitia eum sequentur, & aspicient.

Ego autem, meique similes ignaui homines, ac voluptatibus dediti, in luctu squaloreque versabimur, videntes fratres nostros in maxima gloria constitutos, nos autem suppliciis acerbissimis excruciandos. Statum meum considerans, fratres charissimi, magnam effundo copiã lacrymarum qui cũ currere cœperim, defessus sim, & in medio stadio cursum remiserim, ac miserandum intuentibus spectaculũ præbeã. Quomodo possum inertiam ac negligentiam meam magnam nõ deplorare? Quidam in sacco & ferro seipsos humiliarunt. Alii in claustris ieiunio vacantes Domino seruierunt. Nonnulli columnis inclusi vitam sine reprehensione transegerunt. Multi in solitudine virtutes excoluerunt. Ex obedientia plerique coronas adepti sunt. Ego autem infœlix, & mei similes otio ambitionique dediti, pietatis quidem ac religionis habitum induimus, sed re ipsa pietatem abiecimus & religionem. Quis labores & cruciatus sanctorum Martyrum vtriusque sexus queat enumerare? Illi Dominum suum imitantes humilitatem complexi sunt. Nos honores & salutationes in foro concupiscimus. Illi in custodiis conclusi famem, & sitim, & cruciatus, & vincula pertulerunt. Nos ne tantillum quidem afflictionis æquo animo ferre possumus, sed voluptates & delicias totis viribus consectamur. Iniurias illi & contumelias vsque ad mortem æquo animo passi sunt: Nos consilia etiam & cohortationes negligimus. Illi nec incendia timuerunt: Nos vel sermone paulò duriore commouemur. Illi ad cruciatus & tormenta publicè gaudentes accedebant: Nos eorum quidem certamina audientes admiramur, sed ea nolumus

imitari. Quamobrem multis gemitibus & lacrymis indigemus, ne è regno cœlorum eiiciamur, cùm ingens proposita sit certantibus gloria. Abiecta igitur ignauia ac negligentia, precibus ac supplicationibus diligẽter incumbamus. Neq; enim iniustus est Deus, vt opera seruorum suorum obliuiscatur, qui seipsos voluntati eius omnino subiecerunt, q propter nomẽ ipsius sæculo renuntiauerunt, qui parentes proprios reliquerunt, vt ad eius fores hora tertia, sexta, nona, vesperi, manè, imò verò tota die, ac nocte pulsantes vigilarẽt. Absit, vt talem Deus humilitatem asperne-tur. Certis in locis cõclusi degunt, manibus suis opus faciunt, ieiuniis, atque vigiliis vacant, improborum spirituũ impetus sustinent, genua precationibus inclinant, oculos humi defixos assiduè retinent, & benignitatẽ ipsius supplices orant, atq; obtestantur. Horũ preces ipse despiciet? absit. Homines acerbi atq; crudeles precibus placantur, iracundiãq; deponunt: & Deus, qui bonus, ac benignus est, & diues in misericordia, afflictionem, religionẽ, humilitatem, sanctitatem, temperantiã, taciturnitatem, patientiã, summissionẽ eiusmodi contemnet? Minimè verò. Ne igitur animos despondeamus, fratres charissimi, néue precationibus & sacrificiis negligẽter incũbamus. Ostiũ diuinæ misericordiæ cõtinenter pulsemus. Quantò enim pulsando constantior fueris, tantò maior merces erit. Assiduè vigila. Qua enim hora minus speras, mittet Dñs, qui reponant te in horreo vitæ, & in cœtu iustorũ, vt ab omni sollicitudine vacuus perpetua quiete perfruaris. Vbi non est bellum, neq; aduersarius. Nullus enim illic est hostis, qui nos oppugnet, nullæ pugnandi occasiones. Belli occasio est cupiditas pulchritudinis perfruendæ. At in cœlo connubia non celebrantur, sed hoĩes sunt sicut Angeli. Belli causa sunt diuitiæ, & gloria, quæ quidẽ omnia caduca & fugacia sunt. Quare nos monet Ioannes Apo-
1.Io.2.

stolus: Nolite, inquiens, diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt. Siquis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Nam concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ nõ est ex Patre, sed ex mũdo. Et mundus transit, & cõcupiscentia eius: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Quemadmodum enim qui incidit in senticetum, à sentibus & spinis affligitur, donec purum in locum egrediatur: sed cùm inde sese extricarit, non timet amplius: Sic & homines sancti, si per loca spinosa sit incedendum, studio ac diligentia pro calceis vtuntur, atq; ita per spinas iter facientes, ab illis detrimenti nihil accipiunt. Negligentes verò & qui labores fugiũt, in interitum præcipites ruunt. Quod quidem significans Dominus, filio, qui redierat, iussit calceamenta dari, & stolam & annulum, vt audacter & sine timore serpentis caput contereret. Porrò vita ipsa similis est loco spinis referto: peccata enim in ea pullulant veluti spinæ. Locus autem purus ac mundus est cœlestis Hierusalem, ciuitas Regis magni, ad quam vtinam perueniamus per gratiã & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. Luc. 15.

Beatitudines aliæ.

BEATVS, qui mundi vanitates odit ac deserit, & in solo Deo vitæ suæ spes omnes atque cogitationes sitas habet.

Beatus, qui peccatum odit ac detestatur, & Deum solum, qui bonus ac benignus est, diligit.

Beatus, qui factus est tanquam Angelus in terra, & Seraphim imitator castas assiduè colit cogitationes.

Beatus, qui castus est coràm Deo, & sanctus, &

purus, atque integer ab omnibus fœdis cogitationibus, & actionibus improbis.

Beatus, qui ab omnibus huius vanæ vitæ negotiis prorſus eſt liber.

Beatus, cui formidabilis illa iudicii venturi dies in mente verſatur, quique cum lacrymis animæ ſuę vulneribus mederi ſtudet.

Beatus, qui aſſidua lacrymarum copia improbarum cupiditatum flammam extinguit.

Beatus, qui ambulat in via mandatorum Domini, manſionesque facit quotidie per fidem ſynceram & charitatem.

Beatus, qui ſtudioſè dat operam, vt in bonis moribus proficiat, ſperatq; à Deo, ſe perpetuum ac cœleſte regnum accepturum.

Beatus, qui memor verborũ Dñi, quibus monet, de omni verbo otioſo reddendam eſſe rationem, ori ſuo cuſtodiam ponit, ne ab eius mandato recedat.

Beatus, cuius anima, veluti arbor nuper ſata, crebris gemitibus ac lacrymis tanquam opportunis auris & aquis fouetur & irrigatur.

Beatus, qui ex Sanctorum vitis in animam ſuam tanquam egregios ſurculos transfert exempla bona atque virtutes.

Beatus, qui bonas cogitationum plantas precationibus & lacrymis fouet, ac rigat, vt fructus Domino gratos ferant.

Beatus, qui flamma diuinæ charitatis incenſus, ſordidás omnes cogitationes, & animæ ſuæ inquinaméta comburit.

Beatus, qui voluntate factus eſt velut terra bona, centeſimum, & ſexageſimum, & trigeſimum fructum ferens.

Beatus, qui propoſito inuentus eſt ſemen bonũ, quod in agro ſuo Dominus ſeuit.

Beatus, qui præclaram illam cœleſtem margaritã

inuenit,& venditis terrenis omnibus bonis suis eam solam emit.

Beatus, qui in agro thesaurum inuenit absconditum, gaudensque vendidit omnia, quæ habuit, & emit agrum illum.

Beatus, qui migrationis ex hac vita semper est memor, studioseque curat, vt in illa hora paratus & intrepidus inueniatur.

Beatus, qui in illa discessus hora fiduciam inuenerit, quando anima cum timore & dolore à corpore separabitur. Venient enim Angeli, vt animam à corpore seiunctam accipiant, statuantque ad tribunal immortalis ac terribilis iudicis. Magnus, ò fratres, in illa mortis hora nos timor inuadet. E corpore enim cum timore ac gemitu recedenti præsto erunt opera, quæ gesserit, tum bona, tum etiam mala, vt eam ad immortale iudicium comitentur. Vrgentibus autem illis, vt migret è corpore, respiciens opera sua: Concedite, inquiet mihi adhuc paululum spatii. At vniuersa ipsius opera vna voce respondebunt, Tu nos fecisti, tecum ad iudicem Deum proficiscemur. Inanem hanc vitam, fratres charissimi, despicientes, Christum vnicum animarum nostrarum redemptorem diligamus. Nemo diem & horam mortis habet exploratam. Dum erimus in deliciis & mundi negotiis occupati, repentè formidandum illud edictum afferetur, vt anima à corpore discedat. Itaque peccatis nullam reperiet excusationem. Quæ cùm ita sint, operam demus, fratres charissimi, vt liberi simus, neque nos vanæ, & fugacis huius vitæ seruituti subiiciamus. Offendiculis & mortis laqueis hæc vita referta est. Ab his animas nostras liberemus. Retia nobis tendit aduersarius, vt aĩas nostras capiat, & ad interitũ abstrahat sempiternũ. Inter insidias & plagas iter facim⁹, fratres charissimi: nobis igit̃ attendamus, ne pręcipites ruamus ad

perniciem & mortem. Dulcedinem retibus suis prætendit inimicus. Caueat anima nostra, ne mundi negotiorum, aut pecuniarum, aut cogitationum, actionúmue improbarum dulcedine capiatur. Si cogitatio praua aditum sibi in anima patefecerit, illecebris insidias illi mortemq; molietur. Improba enim cogitatio nisi oratione, & lacrymis, & abstinentia, & vigiliis expellatur, fit in anima veluti laqueus quidam perniciosus. In eã curam incumbe, vt à terrenis omnibus occupationibus vacuus, cogitationum, actionumq; fugias laqueos improbarum. Caue, ne latum quidẽ vnguem inclines ad malas cogitationes. Nullo temporis momento eas in anima tua morari permittas. Assiduis precibus, & ieiuniis, & lacrymis supplex ad Deum confugito, vt ab omnibus insidiis, & offendiculis, & cupiditatibus libereris. Caue, frater, ne dum te diu in terra victurum speras, cogitationibus & operibus malis aditum patefacias: nuntius aũt à Dñõ repentè veniẽs, te peccantẽ offendat, & nullũ pœnitentiæ spatium concedat. Quibus verbis, ò frater, in illo migrationis articulo mortẽ alloqueris? Fit enim plerũque, vt nẽ punctũ quidem tpis cõcedatur. Mors ex improuiso multos oppressit, qui cũ se diu victuros crederent, negotiis, & peccatis impliciti pecuniã manibus contrectabant, longiq; tẽporis fortè numerabant & fœnus. Eadẽ mors cùm ad virum iustum accedit, eum precatione & ieiunio cœlestes diuitias parantem, & nulla mortis formidine trepidantẽ inuenit. Semper igitur, vt prudens, & spiritui deditus, mortem, & migrationem, & Dei tribunal meditare. Quotidie, vt sapiens para lampadem tuam, eamque singulis horis cum lacrymis precibusque considera, vt semper instructa sit. Ea te cura, frater charissime, nunq̃ deserat, ne tempus ingruat plenum incredulitatis, ignauiæ, crudelitatis, quod te præ confusione, quid præstet, considerare non siuat. Considerate,

fratres chariſſimi, quomodo vigeant omnia mala, quomodo quæ peſſima ſunt, quotidie progrediantur, quomodo vitia propagētur, & magnas in vniuerſo orbe calamitates futuras portendant. Propter peccata noſtra res aduerſæ contingunt. Vigilemus igitur, Deum, ac proximum diligamus. Quotidie nos aduerſus improbum hoſtem armemus. Artes ac dolos ipſius agnoſcamus. Inuiſibilis eſt noſter aduerſarius, quē ſi vincere cupimus, opus eſt, vt nos à terrenis omnibus rebus liberemus. Si mortem aſſiduè meditaberis, non peccabis. Si ab omnibus terrenis negotiis liber ac nudus fueris, latronis impetum non timebis. Si hæc caduca & fugacia deſpexeris, victoriæ palmam obtinebis. Res enim terrenæ deorſum trahunt, & cupiditates in bello cordis oculis tenebras offundunt. Iccircò nos vincit improbus inimicus, quia terrenis ſumus negotiis occupati, & cupiditatib⁹ inſeruimus. Terrena diligimus, fratres chariſſimi, & mens noſtra in terra defixa eſt. Ad veſperam inclinat dies. hora mortis appropinquat, & nos increduli deſidemus. Ecce regnum cœlorum in foribus eſt. Nos autē aures auertimus, & nolumus audire. Signa & portenta, quæ prædixit Dominus, omnia contingerunt. Fames, peſtilentiæ, terremotus, terrores, bella, tumultus, & alia eiuſmodi nobis videntur eſſe ſomnia. Nil nos meuent, cùm ea vel audimus, vel etiam ſpectamus. Electi ante afflictionem colliguntur, ne videant magnam illam cōfuſionem, quæ iniquum orbem eſt inuaſura. Matura iam ſeges eſt, & meſſis inſtat. Finē hoc habet ſeculum. Angeli arreptis falcibus Domini iubentis nutum expectant. Timeamus, chariſſimi. hora diei eſt vndecima, & lōga nobis reſtat via. Operam demus, vt Dominus nos progrediētes inueniat. Vigilemus, & ſobrii ſimus. Qua hora venturus ſit Dominus, ignoramus. Terrenarum ſollicitudinum onera deponamus, vt leues expeditiq́; ſimus. Prohi-

bet Dominus vlla de re nos esse sollicitos. præcipit, vt nos mutuò diligamus. Nos autem charitaté abiecimus. Charitas exulat, dominantur peccata, iniquitas occupat omnia. Cuncti terrena concupiscunt, cœlestia cõtemnunt, caduca diligunt, æterna despiciũt, præsentia complectuntur, aspernantur futura. Vis fieri cœlestis? Quæ super terram sunt, respue, ad perfectionem contẽde, ad regnum cœlorum aspira. Ne dixeris: Magnus excolendę virtutis est labor: ego autem pusillus sum, & imbecillus. Exercitationis molestiam ferre non possum. Optimum atque pulcherrimum consilium auribus percipe. Audi, frater charissime, & Christi amãtissime, quæ dico. Si tibi in regionem, & patriam aliquam longinquam sit proficiscendum, non potes totum itineris spatium vnico passu conficere. Itaque paulatim, & per multa loca, ac multos dies incedẽs, post magnos tandẽ labores eò peruenis, quò cupiebas. Eodẽ modo se habet cœleste regnum & paradisus deliciarũ. Illuc enim per ieiunia, per continentiam, per vigilias tenditur. Temperantia, lacrymę, vigilię precationes sunt viæ, quæ ducũt ad paradisum. Ne verearis pulchram hãc viam ingredi, quæ ducit ad vitam æternam. Velis tantummodo per illam iter facere. Statim enim ante pedes tuos, si promptum animum attuleris, dirigetur. Cum gaudio & lætitia in ipso itinere mãsiones facies. Animæ tuæ gressus singulis mansionibus firmabuntur. Nullam in hac via, quæ ducit in cœlũ, reperies difficultatem. Dominus ipse factus est via vitæ volentibus ad Patrem luminum proficisci. Factus es mihi, Christe Saluator, via vitæ me ad Patrem ducens. Hęc sola verum continet gaudium. Huius finis est regnum cœlorum. Factus es mihi, Domine Iesu, Deus, via vitæ, atque lux. Et hausi per me ex fonte munera desiderio plenus. Euasit in corde serui tui gratia tua, lux, & lætitia; dulcior in ore meo super mel & fauũ.

Extitit gratia tua in anima serui tui tanquam thesaurus. Ditauit paupertatem meam : famem & sordes depulit. Gratia tua, Domine facta est refugium, & virtus, protectio, & exaltatio, & cibus in tota vita seruo tuo. Quomodo silere poterit seruus tuus, Domine, magnam dulcedinem charitatis & gratiæ tuæ? Os meum indignum aperui: Sed lingua mea bonorum largitorem pro dignitate laudare & celebrare non valet. Ego tamen peccator, gratiæ tuæ fluctus, suauitate plenos, & in corde meo æstuantes excludere nequeo. Cantabo igitur gloriam Domino cœlorum, qui seruo suo dona cœlestia per multiplicem gratiam suam largitus est. Laudabo benignitatem tuam, Christe Saluator: in hac enim laudanda laudem ipse magnam inuenio. Gratiam tuam, Domine, lingua mea celebrare non desinet. Cithara mea nullum spiritalia cantica modulãdi finem faciet. Ad se me trahit desiderium tui, o Saluator, & gloria vitæ meæ. Gratia tua mira quadam suauitate mentem meam impellit, vt post te sequar. Fiat cor meum terra bona, quæ semen tuum bonum suscipiat. Gratia tua illam perfundat rore vitæ æternæ. Percipiat gratia tua è terra cordis mei fructum bonum, qui tibi semper est gratus, lacrymas, adorationem, & laudes. Conuerte animam meam ad ouile paradisi deliciarum cum oue illa, quæ perierat, & inuenta est. Inueniatur anima mea in lumine tuo. Vt ouem illam inuentam in humeros tuos sustulisti, sic indignam hanc animam meam manu tua trahito, vt vtranque offeras sanctissimo Patri tuo, & ego cum omnibus Sanctis, & piis, & iustis dicam in deliciis illis paradisi: Gloria Patri immortali, & filio immortali, & Spiritui sancto immortali. Adoratio, honor, & imperium tibi, Domine, qui cœlestia munera largitus es mihi indigno atque inutili seruo tuo, vt gloriæ drachmam offeram

Regi vniuersorum. Laus Deo nostro in secula seculorum. Amen.

De recta vitæ ratione.

1 SI rectam viuendi rationem diligis, humilitatem amplectere: sine hac enim recta vitæ ratio nequit consistere.

2 Peregrinus a recta semita aberrans in aliena regione vagatur: Et qui ab humilium deflectit itinere, non figet tabernaculum suum inter tabernacula iustorum.

3 Quicquid agis, id agito cum humilitate in nomine Saluatoris nostri Christi: sic enim fructus tuus tolletur in cœlum. Superbia nanque similis est arbori putridæ, cuius rami vndique facilè confringuntur. quòd siquis in eam ascenderit, celeriter decidet.

4 Qui ab humilitate recedit, à Deo incipit derelinqui. Quem autem derelinquit Deus, is, quemadmodum Saul, à malo spiritu vexatur.

5 Is grauiter vexatur, qui peccatorũ premitur consuetudine, neque ab eiusmodi tempestate vsque ad mortis horam emergit.

6 Si diligenter attenderis, vbique laqueos inimici deprehendes voluptatis illecebris tanquam mellis dulcedine circumlitos, vt siquis voluptati suauitatẽ gustare velit, laqueo capiatur.

7 Noli mel huiusmodi concupiscere, ne decipiaris: dulcedinis enim illius extremum felle & amaritudine replet amatores suos.

8 Humilitatem amplectere, & Diaboli retibus nunquàm capieris. Leuissimis enim humilitatis alis sublatus velocior ac sublimior existes, quàm vt ab eo capi possis.

9 Si quem videris superbia tumidum, aspectu terribilem, habitu splendidum, & comitantium caterua

reliquos prementem, illi ne inuideas, neq; perturberis, sed fortis ac temperãs esto, & cum paulò pòst extinctum aspicies. Soli enim illi perpetuò florent, qui Dei obtemperant voluntati.

10 Qui pietatis ac virtutis studio sunt Domino grati, minimè admirantur eos, qui huius vitæ deliciis & cõmodis excellunt. Sciunt enim illos nõ aliter quàm agri flores celeriter exarescere. Nos autem ignaui ac negligentes si quem corporis valetudine, & pulchritudine, atque diuitiis præstantem conspicimus, licèt improbus atque impius sit, cum planè beatum existimamus. Ex quo fit, vt ignorantes, quanta sit virtutem ac pietatem colentium dignitas, honestos labores ac studia negligamus, temperantiamq; & sanctitatem aspernemur.

11 Ludis puerilibus, fratres, ne incumbamus, sed vitam amplectamus perfectam, ne virtutem colétium gaudio spoliati, sempiternis suppliciis torqueamur.

12 Beatus, qui bonas spes fouet in corde suo, & bonis cogitationibus delectatur: eius enim gloria ingens atque immortalis.

13 Silentium & quietem diligamus, vt peccata nostra considerãtes modestè submisseq; nos geramus, neque arrogantiæ & malitię cogitationes tanquam pestiferas belluas nutriamus.

14 Silentium & quietem amplectamur, vt cor mundum seruemus, & templum, quod nobis commissum est, à peccatorũ corruptione integrũ custodiamus.

15 Pręclara res est oratio cum gemitu & lacrymis, si tacitè peragatur. Nam quæ cum clamore fit, vt audiatur, humanæ laudis studium indicat. Qui autem cum iudicio & fide Dominum precatur, in cõspectu eius cogitat, quemadmodum in ipso viuimus, mouemur, & sumus.

16 Si obcæcatum est cor tuum, luge coram Deo, vt tibi cognitionis lumen infundat, & illos ne contem-

pſeris,qui animo ardenti clamores emittũt in cœlũ.
17 Qui bonis operibus incumbentes irridet,ſe Diaboli miniſtrum præbet, atque illius ſubſequitur voluntati,nec gaudium illud inueniet,quod ſeruis Dei paratum eſt.
18 Tu verò,qui te in ſtudio pietatis exerces, opera tua prudenter exequere,ne occaſionē præbeas quærentibus occaſionem.
19 Væ hominibus inhumanis,væ doloſis, & delicias conſectantibus: acerba enim illos manent ſupplicia. Quippe qui ſerui ventris effecti Deum aſpernãtur, vt in hac vita vanitatis plena principatus & dignitates obtineant.Sed repentè mors ſuperueniens eorũ fauces exſiccat,in quas aſſiduè ſuaues epulas ingerebant,imperia,atque honores aufert,quibus creatorē ſuum contempſerant.Tunc infęlicium cadauera tanquam ſtercora proiiciuntur in terram, animæ verò ad loca propria & conuenientia pertrahuntur.
20 Cùm ea, quæ ſenſui iucunda ſunt,in vita perpexeris,ne capiaris,caue.Illic enim latitat eſca mortis. Neque enim hamum nudum in aquam demittit piſcator.
21 Cupiditatum retia tendit aduerſarius,vt animas omnes improbus ſibi reddat obnoxias.
22 Anima, quæ capta eſt,fit veluti laqueus ad alias decipiēdas,vt inimici parcāt voluntati.Allicit enim illas,quæ nondum expertæ ſunt Draconis acerbitatem. Nam,quemadmodum perdix comprehenſa tanquàm eſcà proponitur illis,quę nondum captę ſunt: circa illam enim auceps loqueos collocat, vt vocę ſua reliquas circumuolitantes ad eos alliciat.
23 Ab excolenda virtute labor te ne deterreat:virtus enim ſine labore comparari non poteſt.
24 Inter labores animi oculos in cœlum tolle;cōſideranti enim cœlitum gaudia nullus videbitur labor recuſandus.

25 Studiosè labores honestos amplectere,vt inaniũ laborum effugias difficultatem.Iustorum enim labores vitæ fructum afferunt. Peccatorum autẽ labores sunt miseria pleni.

26 Forti ac patienti animo,vt Deus iubet,vitæ præsentis ærumnas sustine, & Sãctorum spes te minimè frustrabitur. Nam inimici iugum mortiferam in se tristitiam habet.

27 Qui addicti sunt mundi vanitati viros bonos studẽt è medio tollere,ne pręsentia ipsorum coarguantur.Sed eorum ruina pietatis studiosos illustrat.

28 Ne laborum tuorum fructum amittas, humilitatem cole.Hanc enim si reieris, inter eos,qui frustra laborant, ipse quoque numeraberis.

29 Vis in officio animam cõtinere? Te ipsum vndique prudẽter muni aduersus voluptatum cogitationes, ne in portu naufragium facias.

30 Si te vti portum tutissimum vis constituere,fortitudinis & constantiæ moles circunda tibi,ne libidinis procella ac fluctibus obruare,& pro portu scopulus efficiaris.

31 Anchoram cũ anchora noli implicare,ne,siquid in te leue reliquum est,a cupiditatibus detraharis. Qui enim extrahere cupit eum, qui decidit in profundum,prudenter id agere debet,ne ab illius anchora eodem in gurgite demergatur. Malorũ enim sermo & consuetudo, facilè si detur occasio, aculeo & vnco suo animam figit ac detrahit.

32 Improborum colloquia & consuetudinem fuge, & magna in tranquillitate versabitur animus tuus.

33 In dedecus ac ludibrium incidit, qui non omnia opera sua prudenter agit. Perfectos enim ac sapientes Deus esse nos omnes iubet.

34 Nisi sancti Spiritus igne vehementer inflammatum te sentias,noli cogitationes aliorum audire.Duplici enim bello oppugnaberis.Nam cum eorũ,quæ

audiuimus, recordatione animæ nerui franguntur. Tũ is, qui ſe ſe nobis ſubiecit, niſi vitia virtute ſuperauerit, inimicus efficitur. Cum enim propter negligentiam in eadem peccata reciderit, eum, quem ſibi magiſtrum & correctorem elegerat, vt aduerſarium intuetur. At ille ſi prudens eſt, cuncta tradit obliuioni. Poteſt enim Deus illum rurſus conuertere.

35 Quemadmodum, ſiquis domi colũbam nutriat, ea verò feneſtram apertã inueniat, atque auolet, non ſtatim ligno aut lapide obiecto feneſtram occludit, ſed milii, aut leguminum granula prudenter ſpargit, vt eam ad reuertendũ alliciat. Sic multa indiget prudentia & experientia, qui cogitationum maculas ſtudet abſtergere.

36 Ita lege, vt ex lectione tua non ea ſolùm, quæ ad dicendi facultatẽ & elegantiam pertinent, perſequare, ne cor tuum feriat arrogantiæ ſpiritus: Sed inſtar ſapientis apiculæ, quæ mel ex floribus colligit, ex iis, quæ legis, animi medicamenta conquire.

37 Quemadmodum ſi pauper gloriæ cupidus ſibi Regis nomen imponat, non propterea tamẽ eſt rex: ſic & monachus, qui cũ occultè comedat, ad fratrum menſam inediam ac temperantiam ſimulat, non eſt virtutis ſtudioſus, ſed texit araneæ telã. Neque enim per viam Sanctorum incedit, ſed per viam illorũ, qui laudes hominum aucupãtur: quos ſic alloquitur Spiritus Sanctus: Dominus diſſipabit oſſa eorum, qui hominibus placent. Pſal. 52.

38 Si mundo renuntiaſti, quæ tua ſunt, cura, vt optatam margaritam inuenias. Sunt enim qui vel militia relicta, vel diuitiis diſtributis mundo renuntiantes è ſęculi vita receſſerunt, ſed dum propriæ inhærerent voluntati, ceciderunt. Nihil enim grauius, quàm a propria voluntate ſuperari, & non ex diuinæ voluntatis prę́ſcripto vitam inſtituere. Hi cum ſe a vitæ negotiis quàm longiſſime putent diſceſsiſſe, adhuc tamen

tamen in ipso vestibulo detinentur.

39 Filii Israel cùm è ferrea seruitute liberati mare rubrum incolumes traiecissent, & eiusmodi muneribus & commodis fruerentur, in cõtinenti naufragiũ fecerunt: quia propriæ voluntati voluerunt indulgere, & ex tanta multitudine duo tantùm seruati sunt, qui diuina oracula non contempserunt, sed Dei altissimi consilium & voluntatem piè sanctéq; obseruarunt.

40 Qui mundo nuntium remiserunt, commune cũ mundo nihil habent. Hi siue primo locentur loco, cùm principes non sint, siue postremum in locũ detrahantur, nihil commouentur. Qui verò de recta pietatis sententia dimoueri se sinunt, ad mundi voluptates facilè declinant, nec pro virtute deinceps certamen subeunt, sed iugum abiicientes diligenter ædificant, quæ rectè quondam destruxerunt. Non aliter, quàm si virgo grauissima, quæ sensus suos in thalamo studiosè custodiebat, abiecto pudore corrumpatur; impudenter enim flagitia committit, neque Deum, neque homines verita. Attamen Dei manus non effugiet. Nam dies opera cuiusque declarabit. 1.Cor.3 Igne enim explorabuntur.

41 Beatus, qui virtutem operibus profitetur ac prædicat. Virtutem enim verbis profiteri, & re ac factis virtuti contraria sequi salutem afferre non potest. Nec qui de modestia ac temperantia differit, & flagitiosè viuit, præmium assequetur.

42 Animo ne perturberis, ò amice Dei, cùm voluptatũ studiosos, ea, quæ sensui iucunda sunt, videris sine timore consectari. Flos enim istorũ fœtet. At eorũ, qui virtutes colunt, studia in luce splendent, & mira fragrant suauitate. Constans igitur esto in virtutis pietatisq; studio, vt ab illis etiam, qui fluxas voluptates diligũt, collauderis. Virtutis enim studiosos tacitè beatos existimãt, licèt id apertè fateri nolint.

43 Cùm hominum corpora cõſpexeris artificio cõpta & ad fœdum amorem excitandum ornata, ea ne admireris, neque te cutis paulò pòſt in cinerẽ diſſoluendæ nitor decipiat; ſed tecum ipſe cũ gemitu pſalle: Memento, inquiens, Domine; nos eſſe puluerem. Homo ſicut fœnum. Dies eius tanquã flos agri, ſic ef
Pſ.102. florebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & nõ ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum. miſericordia autem Domini à ſæculo, & vſq; in ſæculũ ſuper timentes eum. Quod ſi feceris adiuuante gratia Dei, in hac pugna non capieris ab inimico.

44 Omni ſtudio Deum ora, vt tibi perfectæ caſtitatis ſpiritum largiatur, quo Dæmonis inſidias in nocturnis etiam illuſionibus effugias. Vt ſiquis ſe à ſerpente inuadi & oppugnari perſpiciat, aut ab aliquo facem ardentem iniiciente, is de loco in locum aufugiat, ne à fera, aut igne comprehendatur.

45 Quemadmodũ ſine labore ac ſtudio nemo ſcientiam aut artem vllam pecunia conſequitur; ita ſine diligentia & patientia non poteſt ad perfectionem Monachus peruenire.

1.Cor.3. 46 Quemadmodum reliquis omnibus corporis mẽbris caput anteponis: & ſiquis te vel lapide, vel fuſte, vel gladio petat, cætera obiicis membra, vt ictum à capite repellas, cùm in eo potiſſimùm vitam conſiſtere non ignores: ita ſanctæ & eiuſdem eſſentiæ Trinitatis fidem, ſine qua vitam, quæ verè vita ſit, viuere nemo poteſt, rebus omnibus antepone.

47 Ex toto corde tuo ſpes tuas omnes in Domino ſitas & locatas habe. Neque enim Dominus ſeruos ſuos in ſe ſperãtes vnquã deſpiciet, aut derelinquet. Decipere geſtiebat Aegyptia Dei amãtiſſimum Ioſeph, & magno impetu ad finem ſibi propoſitum cõtendebat. At pudicus adoleſcens Dei omnipotentis recordatione veluti rore animum ſuũ perfundebat, ne impii amoris igne torreretur. Cuſtodiebat autẽ

sensus suos, ne peregrinis cogitationibus locū daret, & impudicæ fœminæ captiuus fieret. Eam enim sem per, vt mortis laqueum, aspiciebat. Quamobrē tenta tione superata coronatus & Rex Aegypti factus est.
48 Decreuerūt homines impii Babylone aduersus animam piam insurgere, vt eam turpiter inquinarēt. Sed illa cùm Deum altissimum adiutorem haberet, improbos magno cum ipsorum dedecore superauit. Cumq; se beatam illā in iudicio sentētiis suis capite dānaturos existimaret, ea ipsa re imprudētes in mor tis sententiā inciderunt. Neq;.n. oculos Dei, qui sem per vigilat, & omnia lustrat, illudi, aut decipi potest.
49 Per viam angustam atq; arduam incedamus, fra tres charissimi, vt vera cum laude custodem habea mus ac defensorem Deum.
50 Margaritæ tutissimis atque intimis in locis con ditæ conseruantur. Quisquiliæ autem & vilissima quæq; vt fimus & lutum in plateas proiiciuntur.
51 Siquis in te maledicta coniiciens exprobret ea, quę flagitiosè cōmisisti, te ipsum potius, q̄ illū argue. Tu enim factis te dedecorasti ea patrans, quæ nunc audire nō vis. Noli minis & iracundia illi silentiū im ponere, sed teipsum corrige, ne mala cōmittas. Scele rū enim fœtor te animę tuæ pditorē esse significat.
52 A flagitiis & malis operibus te per pœnitētiam ablue & abstergE, & contumeliæ atque infamiæ dedę cus te non commouebit.
53 O tu, qui ad vitam aspiras, peccato resiste, & ten tationis impetum ne reformida. Tentatio enim mi litem strenuum minimè lædet.
54 Quæ per ignem transeunt, ignem non metuunt. Lateres crudi, sunt fragiles, & inualidi: iidem igne concocti tam validi fiunt, vt igni simul & aquæ resi stant. Ac quemadmodum in vase fictili aqua, sic in fornace flamma continetur. Fornax autem ex lateri bus constat.

55 Tu quoque fortis ac strenuus esto in tentationibus & tribulationibus, & voluptatum ardoribus obsiste, ne crudi lateris instar, pluuiæ guttis, quam videris habere, soliditatem amittas.

56 Opera tua ne putes recta, nisi à piis hominibus comprobentur.

57 Audi vocem Domini, vt opituletur tibi, manusq; suas aduersus eos, q̃ te affligunt, obiiciat, & humiliet

Psal. 80. inimicos tuos. Ibunt enim, vt illis cõminatur, secundum desideria cordis ipsorũ in adinuẽtionibus suis.

58 Omni studio propriæ resiste voluntati, & eorũ monitis obtempera, qui Deũ timent. & diuina adiuuante misericordia conteres Draconis caput. Quandiu autem sequeris voluntatem tuam, à perfectione abesse te scito quàm longissimè. Quantum verò abes à perfectione, tantum doctrina indiges ac disciplina.

59 Sustine afflictionem in Domino, vt lætitiam percipias. Laborem subi, vt mercedis fructum feras.

60 Lapicida lapidibus cedendis, & faber tundendo ferro mercedem accipiet.

61 Qui bellum fugit, spolia nõ referet, & qui abhorret à disciplina, inter prudentes non habebit locum.

62 In sublime conscende, & terrena cũcta despicies humilia & abiecta. Quod si è sublimi descenderis, quæ'uis domuncula dealbata tibi erit admirationi.

63 Omnibus in rebus prudentiam adhibe, qui pietatem colis. Hæc enim te tanquam in vehiculo gestabit, & multis è periculis eripiet: neque enim studiosos amantesq; sui quicquam ad aliorum perniciem aut loqui aut facere patietur.

64 Proficientis est, seipsum semper accusare: seipsum autem accusantis, alterum eosdem in errores incidentem minimè iudicare.

65 Ex duobus illis seruis decoctoribus, q̃ eandẽ ob causam in carcerẽ coniecti sunt, ille rei ingratus dãnatus est, qui in cõseruum suũ crudelitatẽ exercuit.

66 Eum, qui incidit in tentationem, irridendo noli condemnare, sed assiduè Deum ora, ne te in tentationem inducat. Cuius enim animus cogitationum turbine ac procella cõfusus perturbationibus cedit; is nec homines veretur, nec Deum timet. Quòd si potens ac diues est, audacter mala cõmittit. Sin imbecillus ac pauper contumacia & ipse sua impudenter in scelus & flagitium ruit.

67 Ne sis voluptatum studiosus, aut superbus. Audi sacrum prophetam clamantem: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Psal. 67.
Et iusti epulentur & exultent in conspectu Dei.

68 In cellula tua te contine, ò monache, ibique precationi cum animi summissione frequẽter incumbe, quemadmodum tres illi pueri in camino ignis, & ne constituas te speluncam latronum faciẽs iniusta, ne in die iudicii cõfundaris, cũ hoĩum arcana patefient.

69 Qui messis tempore piger est, domum suam lætitia minimè cumulabit. Et qui in hac pietatis studiũ & labores negligit, in altera consolationis iustorum expers reperietur.

70 Tempus horrendum ac formidandum nobis aduentat, fratres, cùm ea, quæ in occultò & in tenebris gessimus, aperta ac manifesta omnibus proponent. Væ animæ illi, quæ non habet adiutorem Deum.

71 Agite, fratres Christo charissimi, extremum vitæ diem nobis ante oculos ꝓponamus. Cogitemus, quomodo dies nostros transegerimus. Stultus, qui cum stultis versatur, & in rebus inanibus vitam consumit. Beati, qui præclaram virtutis ac pietatis mercaturam exercent.

72 Quemadmodum diues ventis secundis nauigãs, in stragulis sedet, & oculos sublimes tollit ad quæstum: satagunt coqui, vt epulas illi iucunda parent,

circũstat turba satellitũ. Repentè verò coorta tempestate, mare turbatur, nauis confringitur, & ipse solus à fluctibus in insulam desertã & feris crudelibus plenam impellitur, vbi lugeat, & conquerat, & nemine exaudiente capillum faciemq; côuellat, toto corpore cruciat infœlix, & singulis horis mortẽ expectat. Qui præ rerum copia paulò antè cũcta despiciebat, fame, ac siti, timoreq; conficitur, & nullus adest consolator. Idem nobis negligentibus contingit. Dum enim deliciis ac voluptatibus incumbimus, mors repentè nos opprimit, & in loca horrenda detrudit, vbi
Psal 49. peccatores omnes, qui Dominum suum nũquã non offenderunt, æternis cruciatibus torquebuntur.

73 Quo in metu versetur is, quẽ desertos in scopulos procella coniecit, vbi nullus est adiutor aut côsolator, cuius facilè est intelligere. Nos igitur, dum in tutò sumus, quantò terrore peccator afficiendus sit, cogitemus, cùm in suppliciorum & cruciatuum locũ coniectus fuerit.

74 Cor meũ ingemiscit, & oculi mei lacrymas queãrunt: sed peccatum mẽtem captiuam detinet, ne resipiscens, amaris lacrymis Deum exorem, ne me proiiciat in tenebras exteriores.

75 Domine, qui populum tuum è manu Pharaonis & ex fornace ferrea liberasti, eumq; per mare rubrũ incolumẽ eduxisti: nos item libera ab iniquitatibus nostris, vt in conspectu tuo, cum ad iudicandos viuos & mortuos veneris, gratiam inueniamus.

76 Dum in nobis sunt vires, Domino in cordis rectitudine seruiamus, vt nos, cùm tentationes inuaserint, adiuuet, & magnis è periculis eripiat.

77 Deus eos, qui sibi corde puro seruiũt, gloria decorat incredibili: nullus enim gloriæ Sanctorum inuenitur finis.

78 Dei iussu Ionã prophetam cetus deglutiuit, & in ventre ceti tanquam in penu quodam seruabat. Ad

montium extrema descendit caput eius. Abyssus val
lauit eum, æterni terræ vectes illum concluserunt.
Ibi tamen supplex precabatur, Ascēdat, inquiens, de
corruptione vita mea, Domine Deus meus. Diuisit
profundum oratio eius, aerem scidit, ascendit in cœ-
lum, & ad aures Domini ꝑuenit, vel ipse potius Do-
minus, qui replet omnia, haud longè abfuit ab ho-
mine ex animo supplicante.
79 Præcepit Dominus pisci, & prophetã euomuit,
qui tanquam è naui descendens ad prædicandum se
contulit.
80 Acuunt dentes aduersus iustos peccatores. Ten
tationes ingruunt. Coronantur tamen homines pii,
& confunduntur impii, qui contra Dei Sanctos mala
cogitabant.
81 Heliam Thesbitem improba fœmina persequе-
batur. Dominus autem seruo suo per coruum victui
necessaria subministrabat. Peccatores verò grauis 3. Reg.
oppressit fames. 17.
82 In curru igneo sublatus est Helias propheta. At
impia Iesabel præceps è fastigio domus suæ est de-
turbata, & in plateis ciuitatis deuorata est.
83 In cœni lacum coniecerunt impii Ieremiã pro-
phetã, ꝙ pios eius sermones ferre non possent. Horũ 4. Re. 9.
facinore audito Abimelech corpore qdē Aethiops,
sed animo cãdidus, & fide conspicuus Regis iniqtatē
incusauit, & ꝓphetã eduxit, ac benedictionē inuenit.
84 Insurrexerũt hostes in eos, qui semper Dei pro-
phetas oppugnabant. Et Hebræorum populus, per-
mittente Deo venit in eorum potestatē. Hi cũ Dei
prophetam aspexissent, vincula detraxerunt, & mu-
nera obtulerunt. Eum enim magna pietatē præstan-
tē viderant. Quemadmodum enim qui lucernam ge
stat, eos, qui adsunt, lumine illustrat: sic virtus passim
circunfert gloriæ splendorem.
85 Coniecerunt impii Danielem prophetam in

lacum leonum,vt ab illis deuorarentur,ignorantes,id
Dan.14. se in propriam perniciem machinari. At Deus per
Angelum sanctum, & per manum Abacuc prandiũ
misit seruo suo.Feræ autem videntes prophetã,pro-
stratæ adorabant eum. Vis enim cœlestis obturauerat ora leonum,ne virum iustum offenderent.

86 Cum è medio ferarum eduxissent prophetã,obstupuerunt homines impii, videntes eum tanquam sponsum è thalamo facie splendida egredientem.

87 Iubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacũ leonum missi sunt ipsi, & filii,& vxores eorũ, & non peruenerunt vsq; ad pauimentum lacus, cum arripientes eos leones omnia ossa eorum comminuerunt.Quamobrẽ oẽs admirantes exclamarunt:Magnus es Dñe,Deus Danielis.

88 Hæc considerantes,dilectissimi fratres, operam demus,vt tempore tentationũ probati reperiamur. Ideo enim amicos suos tentari permittit Deus, vt eorum patientia & virtus exploretur.

89 Dum licet,Domino in timore, & recto corde,& bono animi proposito seruiamus, vt cùm tẽtationes aduenerint, opem ferat imbecillitati nostræ, nosq; victores declaret, & coronatos ducat in regnũ suũ.

De Beatitudine, & miseria.

1 BEATI, qui Deum amant, & propter amorẽ eius terrena cũcta despiciũt. Beati,qui dies noctesq; lacrymantur, quoniam ab ira ventura liberabuntur. Beati,qui sponte se summisse, atq; humiliter gerũt, quoniam extollentur. Beati temperantes,quoniam paradisi deliciis perfruẽtur. Beati,qui vigil is,& piis exercitationibus affligunt corpora sua, quoniã gaudia cœlestia percipiẽt.Beati, qui se ab improbis cogitationibus integros purosque conseruant, quoniam Spiritus sanctus habitat in illis. Beati, qui Deum

ex toto animo magis, q̃ mundum diligunt, quoniam amici Christi reperientur. Beati, qui crucem suam libenter ferunt, & verè Christum sequuntur, quoniam ad cœlestem Hierusalem peruenient. Beati, qui lumbis præcinctis in veritate, & ornatis lampadibus suis diuinum sponsum expectant, quoniam simul cum ipso regnabunt in cœlo. Beatus, qui ęterna illa bona mentis oculis semper contemplatur, quoniam illa consequetur. Beatus, cui iudicii dies ante oculos versatur assiduè, quiq; operam dat, vt in illa die probatus inueniatur, quoniam lętitia & gaudio incredibili afficietur. Beatus, qui vincit carnis voluptates, quoniam in extremo iudicio fiduciam habebit. Beatus, qui luget in terra, quoniam in cœlo lætabitur cum Angelis Dei. Beatus, qui propter Deum in hoc mundo laborat, quoniam laborum suorum fructus in cœlo percipiet. Beatus, qui non otiosus edit panem suũ, sed ex laboribus manuum suarum, vt Apostolus Paulus, aliis etiam necessaria subministrat: quoniam in sinu Abrahæ conquiescet. Væ autem illis qui in peccatis perseuerant, & pœnitentiæ tempus non agnoscunt, quoniam eos propediem æterno cum dolore, sed frustra pœnitebit. Væ illis, qui dicunt, Dum iuuenes sumus, corporis voluptatibus indulgeamus: cùm senes erimus, pœnitentiam amplectemur: quoniam in mortem repentè tanquàm in laqueum incident, & spe sua miseri decipientur. Væ illis, qui sponte peccant, & Cras, inquiunt, peccata relinquemus. nesciunt enim quid posterior allatura sit dies, neque ea, quæ in medio nox est interiecta. Væ illis, qui cùm bonum intelligant, manus dant malo: quoniam in die exitus ex hac vita, Angeli mali animas eorum excipient. Væ illis, qui prauis operibus suis proximo pariunt offendiculum: quoniam in die iudicii rationem etiam eorum reddent, quæ propter exemplum ab aliis malè gesta fuerint. Vę illis, qui cùm renun-

tiauerint mundo, rursus ad mundum redeunt: in eos enim aratri similitudo torquebitur. Væ illis, qui carnis sequuntur voluntatem, & animæ curam abiiciunt: quoniam ipsorum vita & spes in terram dissoluetur. Væ qui totis viribus atque omni studio non præparant se, vt in die iudicii legitimam habeant defensionem. Væ illis, qui patientiam abiecerunt: quid enim facient, cùm eos Dominus inuiset? In hoc exiguo vitę curriculo, fratres charissimi, omne studium & diligentiam adhibete, vt pœnitentia & lacrymis benignum clementemq; Dominum vobis concilietis, vt vos ad se reuertentes suscipiat, & vitam largiatur. Salutis nostrę curam ne abiiciamus, néue mundi voluptates consectemur. Sunt enim fugaces, ac breues, & studiosis ipsarum statim dolorem relinquentes ad alios fugiunt. Omnis mundi gloria ex hoc loco in alium migrat. Et nos nihil sequitur nisi peccatum, & vltrix peccati pœna. Nemo nobis opitulabitur in illa hora, non amicus, non propinquus, non alius quisquàm, nisi pœnitentia, & virtutes pœnitentiæ comites, atque adiutrices, vera charitas, humilitas, obedie̅tia, temperantia, & omnia denique opera bona, quę gesserimus ex voluntate Dei. Hęc ex hac vita nos cõsequentur. Hęc aduersariis potestatibus, quę in ipso mortis articulo, nos corripere conabuntur, repugnabunt, Hęc nos adducent ad pręsentiam Christi Saluatoris, vt cum eum Patre & Spiritu sancto collaudemus in sęcula sęculorum.

Amen.

VITA SANCTI EPHRAEM per D. Gregorium Nyssę Pontificem, Magni Basilij fratrem, Grecem scripta, in Latinam versa.



PETRO FRANCISCO ZINO, Canonico Veronensi, interprete.



RCANA diuinis in Euãgeliis similitudo me ad propositum dicẽdi argumentũ adhortãtur, & linguam silẽtii freno inseruientẽ soluit, cogitationumque vias tãquam spatiosos campos exęquat & parat, atque orationis currũ ad iter arripiendũ expeditũ ac promptũ reddit, clara voce hisce quodammodo verbis exclamans: Non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, & lucet omnibus, qui in domo sunt. Quid autem ex his intelligatur, adiungit, dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Nónne igitur accusandi erimus, si prę ignauia silentio inuoluerimus id, in quo celebrando ingentes animos sumere Dominus imperauit? Etenim cum huius diuini Patris vitam veluti pręclaram ac Sole splendidiorẽ facem accenderit, nobisque declarãdam proposuerit, non vult, vt eam taciti prętereuntes subter modium abscõdamus, sed in sublimi Ecclesię vertice collocemus, vt omnibus, qui in hac orbis terrarũ domo ver-

laudatur, eluceat, quique ob illam viderint, cœlestem patrem collaudent.

Quocirca paternum illius vinculum haud ita metuendum est, vt Domini præceptum contemnatur. Quin etiam laudationis initium inde sumendũ fuit, licet nos in extremum orationis partem id reiecerimus. Res enim rectè consideranti illud haud planè vinculum videatur, quòd humanam gloriam aspernantem prohibeat laudibus exornare, aut certè vinculum ad soluendum facile, & obligatio eiusmodi, quæ ad id potiùs efficiẽdũ amantes impellat. Etenim ex quibus ille laudes se vitaturum existimauit, interdicti vinculo conatus nostros euertens, ea nobis laudandi præbent occasionem. Nam cùm singulę ipsius præclaræ animi dotes materiam ad laudandũ exhibeant, tum illud in primis, quòd laudibus nõ oblectatur. Volebat enim non videri sed esse bonus. Ex qua quidem vel vnica re, etiam si nihil aliud laude dignum effecisset, collaudandus esset. Adeò enim se laudibus delectari dicebat, vt eo vinculo vituperationem ex illis proficiscentem obsignare voluerit & euitare. Hoc autem primum orationi nostræ stadiũ pandit, & perspicue demonstrat metam, ad quam dirigamus cursum, ne temere progrediamur, néue feramur præcipites, sed per viam regiam incedamus, considerantes admirabilem Dei virum, non fuisse prohibiturum, ne laudaretur nisi se laudibus dignũ conspexisset. Nullus enim nisi admodum insignis & admirandus, cùm adhuc viuens maximis virtutibus excellat, memoriã sui obliuionis poculo obliterare posteros iubeat. Ac quemadmodum Paulus gratiæ prædicator, auspex Ecclesiæ, os Christi, quanuis dixerit, Non sum dignus vocari Apostolus, non tamen propterea effecit, quominus Apostolus vocaretur, quin etiam quantò summissius de se ipse sensit, tantò maiorem gloriam est assecutus, sic magnus noster.

hic pater, quoniam se ipsum cautè laudibus indignũ iudicauit, iccircò deinceps dignus laudibus deprehendetur.

Cùm igitur is nostræ sit Ecclesiæ mos & institutum, vt virtutis studiosi, propterea quod eius partes coluerint, coronentur, & illi potissimùm, qui propter humilem de seipsis existimationem spiritu sublimes effecti sunt, cùm Euangelium dicat: Qui se humiliat, exaltabitur, minimè vituperandi, aut irridendi, aut condemnandi sunt, qui diuini huius Patris virtutes describẽtes, vitam ipsius nobis veluti spirantem atque animatam columnam erigunt. Quę autem diximus minimè falsa esse sapiens auditor inspiciet, si vbi fuerit peroratum, varia illius virtutum genera colliget, ex quibus nos tanquam pretiosis ac diuersis lapillis atq; auro distinctam coronam contexentes, optatum Christi Ecclesiæ munus offeremus. Gaudet enim illa se eiusmodi donis honestari, quãdo solennis memoria iusti celebranda occurrit. Quamobrem cùm ita ferat circulus anni, vt hodie nobis collaudandus sit Ephræm, fieri nõ potest, quin magno cum gaudio monumentum hoc & amoris pignus suscipiat.

Ephræm igitur ille celebrandus est, qui Christianis omnibus in ore versatur. Ephræm Syrus, neque enim genus illius erubescimus, cuius moribus exornamur. Ephræm, cuius vitæ doctrinęq; splendor vniuerso orbi terrarum illuxit. In omni enim ferè loco, qui illustratur à Sole, cognoscitur, atque illis duntaxat incognitus est, qui magnum Ecclesiæ lumen Basilium ignorant. Ephræm notus ille profectò Ecclesiæ Euphrates, cuius aquis irrigata Christianorum multitudo, centuplum fidei fructum affert. Ephræm fœcunda illa Dei vitis, quę instar dulcium racemorum doctrinę fructus producẽs, Ecclesię filios diuina charitate nutriẽs, explẽsq; recreat & oblectet. Ephræm

bonus & fidelis Ecclesiæ dispẽsator, qui virtutum ra tiones conseruis æquè distribuens, Dei familiã optimè gubernat. Cuius quidem genus, & nobilitatem tum ab ipso partam, tum à maioribus susceptam, & parentum gloriam, & ortum, & educationem, & ætatis incrementum, & corporis formam, & fortunam, & artes, & cętera, quæ ab externis scriptoribus tanquam magni momenti in laudibus numerantur, nos in medium afferre superuacaneum ducimus. quãdoquidem diuos homines non ex rebus eiusmodi laudandos suscepimus. Itaque licèt ad hunc laudãdum inde etiam abundè nobis suppetant argumenta, non aliis tamen rationibus quàm quibus ipse viuẽdo, docendoque illustrem se reddidit, orationis coronam connectemus. Veræ enim laudes consistunt in iis, quæ in nobis ipsis posita sunt, & illis præmia debentur, quæ ex voluntate nostra proficiscuntur. Earum verò rerum, quas recẽsuimus, & vituperationes sunt falsæ, & laudes ineptæ.

Quomodo enim ex genere laudari velit, qui omnem mundi nobilitatem contempsit, & ex optimis optimis operibus dei filius fieri voluit? aut ob patriã se cõmendari patiatur, qui totum orbem ad se pertinere non censuit, quique vt hostilem in maioribus & parẽtibus materiam gloria dulcem efficeret, corporis affectionem, atque animalem ipsam carnis tuniculam vt celerrimos ad virtutẽ cursus impedientem, planè conculcauit? Quomodo denique aut ex incremento corporeo, aut ex educatione, aut ex arte, aut ex aliis id genus huiusce vitæ studiis abiectis se decorari permittat, qui iã inde ab ipsa pueritia in diuinarum scripturarum meditatione educatus, & crescens, & ex perennibus gratiæ fontibus bibens ad mensuram ætatis Christi, vt Apostoli verbis vtar, peruenire contendit? Cùm igitur sciamus magnum hunc nostrum patrem irridẽdis his laudibus, quibus

homines corpori dediti capiũtur,cumulari ſe nolle, ex propriis ipſum laboribus mediocriter ſaltem conabimur commendare. neq; enim eam naturam habet oratio, vt ſupra vires intendatur. Quare dabimus operam, vt neque infantia impediti, quæ dicenda ſunt,ſilẽtio prętereamus: neque per ſemitam à patrum inſtitutis abhorrentem incedentes, à via regia diſcedamus,ſed inter vtranque percurrentes, orationem noſtram temperemus.

Quę ſunt autem illa, quæ nobis ad laudationem eius contexẽdam ſubiecimus? actio nimirum & contemplatio, quas virtutum examen conſequitur, fides,ſpes,charitas, pietas erga Deum,diuinarum ſcripturarum meditatio, animi corporiſque munditia, aſſiduæ lacrymę, vita ſolitaria, è loco in locum ſeceſſio, malorum fuga, doctrina perpetua, precatio continua,humi cubatio,vitęque aſperitas incredibilis, paupertas atque humilitas ſingularis, miſericordia naturam humanam excedens, zelus diuinus in eos,qui rabie contra pietatem inueherentur,omnia denique,quibus homo ad Dei imaginem inſignitur. Hiſce laudibus noſter conſpicuus eſt pater:agnoſcit quæ dicimus:proprias eſſe pręrogatiuas nõ ignorat: & hos ſermones vt nobis non ſibi vtiles non aſpernatur. Siquidem vel tenuis de ipſo commemoratio, ſtudioſis eſt cauſa virtutis complectẽdę.Hæc autem nos non aliunde didicimus, ſed ex iis, quæ in variis ipſe ſcriptis ſuis diſſeminauit, ex quibus vt ſedula apis ex multis floribus ſpiritualem hũc fauum confecimus. Ac nobis quidem hæc conantibus non ſuccenſebit omnino. Quando ſceleratum dæmonem, qui vel in extremo certamine multos ſupplãtare ſolitus eſt,amplius non reformidat.Iam enim in tranquillum cœlitum portum peruenit, vbi nullas procellas metuit aut tempeſtates.

Quod igitur ad fidẽ pertinet, nulla ex parte pro-

cul à pietate declinans rectè admodum sentiebat, id quod cùm ex scriptis eius, tũ ex ecclesię de ipso existimatione cognouimus. ęquè enim & falsam Sabellii confusionem, & insanam Arii diuisionem detestabatur. Sciebat autem, quò se pietatis fines extenderent. Sic enim vnam, non confusam, sacrosanctamq; trinitatem, & personarum numero diuidebat, & coniungebat vnitate substãtiæ, vt neque diuinitatis inopiam Iudaicè afficeret cõtumelia, neque deorũ multitudine more Græcorũ debaccharetur. Absurda autem Apolinarii opinione sic abhorrebat, vt omni cura eam ex omnium Christianorum animis studeret euellere. Quin etiam futiles & effrænatas Anomiorum linguas multis tum argumentis, tum scripturæ testimoniis planè compescuit, maximeque vtilia ac diuina contra illos monumenta nobis reliquit. Siquis autem in Ephræm disputationum cùm Nouato certamine velit eius audacissimi stragem videre, aduersarii casum aspiciat. Illic enim adeò superiores in ipso disputandi cõgressu doctoris nostri vires inueniet, vt hunc virum Pancratiastem, illum mollem ac nondum ætate firmatum puerum dicat. Nec verò eas solùm, quæ vel tunc, vel antè exortę fuerant ex malitiæ semine zizaniorũ hæreses, fidei rectitudine profligauit, sed quę perniciosè in posterũ pullulare poterant, oculis propheticis prospiciens pręcidit. Omnia enim, quę ab illo conscripta sunt volumina, demonstrationibus conferta sunt. Nunquam igitur hic veritatis filius ab ipsa veritate deflexit. Spem autem in Deo solo, in quo qui spes suas collocãt, præmia reportant, defixam habuit. Quamobrem illud Psalmi in omnibus factis & dictis vsurpabat: In ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. Quoniam sperantem in Dominum misericordia circundat. Et fiducia in Dominum monti Sion similem efficit, & summam beatitudinem intus possidentẽ constituit,

vt ex ipsis prophetis discere possumus, cum Dauid dicat? Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius. Hieremias autem: Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. & erit sicut lignū, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cùm venerit æstus. Esaias verò: Dominus rex noster, ipse saluabit nos. Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo. cùm Paulus etiā nos admoneat, dicens: Teneamus spei nostræ confessionem: fidelis enim est, qui repromisit.

Hac igitur diuina & reposita spe enutritus Ephræm, humana omnia contemnens, sempiternam gloriam quotidie desiderabat. At amorem erga Deum & proximum tam studiosè seruauit, vt è vita decedens hæc diceret. æquum est enim, vt ipsa verba, quæ omni demonstratione potiora sunt, in medium proferamus. Nullo (inquit) modo in omni mea vita contumeliosus aduersus Dominum fui, nec sermo stultus egressus est è labiis meis. In omni vita mea neminem maledictis affeci, & omnino nullo cum homine Christiano contendi. O beata lingua, quæ cum fiducia talem emisit vocem, quæ solis Angelis ob vitā ab omni materia mutationeq; remotā, maximè conuenit. Nobis autem carni seruientibus, haud ita congrua, & naturæ nostræ vires magis exuperans, quàm vt facilè factis exæquari possit.

Atqui, vt multum labores, vitas eorum explorans, qui virtutibus insignes extiterunt, nullū tamen huic simile puræ syncceræq; charitatis indicium inuenies. Nam si inter omnes virtutes charitas excellit, hanc sic excoluit beatus Ephræm, vt non alius magis ex patribus. Cæterùm, quando digna suis quisque factis præmia est accepturus, ne patres patribus conferre videamur, hæc aliis cōsideranda relinquemus. Neque verò hęc comparationis causa diximus, sed vt populus clarè perspiceret, nostrum, imò verò vni-

uerſæ eccleſiæ doctorem Ephræm, ad ſummum gradum in ſpirituali ſcala virtutum perueniſſe.

Religionem autem in vera poſſeſsione ſapientiæ comparauit, iuxta verba illa Iob: Ecce cultus Dei eſt ſapiétia, per illam, vt paulò antè, illius puritaté fidei deſcribentes oſtendimus, quéadmodum beatus Paulus, in tertiũ cœlum aſcendit, æternumq; ſibi nomen & gloriã in Eccleſia peperit. Sed diuinarũ ſcripturarum meditatio huic ex lucerna Dauidica accẽſa eſt. In meditatione mea (inquit ille) exardeſcet ignis. Amor enim igne cœleſtis contẽplationis ipſum inflãmans, rerum ſublimiũ incendium excitabat. Oẽm enim & antiquã & nouam ſcripturã aſſiduo ſtudio, vt quiuis alius, diligẽter verſauit, accurateq; ad verbũ interpretatus eſt, & ab ipſa mundi procreatione vſq; ad vltimũ gratiæ librũ quę abdita arcanaq; erãt, ſpiritus lumine adiutus, commentariis illuſtrauit.

Neq; verò ſolùm huius noſtræ diuinitus datæ ſapientiæ latices hauſit, & aliis impertiuit, verumetiã iſtas, quæ ad rectè ornateq; dicẽdi rationem, quæq; ad doctrinæ ſubtilitatem pertinent, artes & diſciplinas, quatenus vtiles arbitrabat̃, reiectis inanibus & ſtultis rebus, æquitatiſq; lance actionem contemplationemq; ponderans exercuit. Animi aũt corporiſq; munditia, pro hominis natura, imò ſupra naturã humanam (eſt enim gratiæ donũ) excelluit. Verè enim animo quidem imperabat, corpore aũt ſplẽdidè fulgebat, & perturbationum dominam circunferebat. Quod quidem ex inſidiis, quæ illi (vt memoriæ proditum eſt) ab impudica muliere factæ ſunt, confirmatur. Etenim quum ea velut eſca malitiæ ad decipiendum eximium virum homicida Belial vſus eſſet, tantùm abfuit, vt quod ſperabat, aſſequeretur, vt contra ipſum inſidiatorem eam ipſe pugnantem in acie cõſtituerit. Nã cohortationibus, admonitionibus, & diuinarum rationũ incantationibus conuerſam ad meliorem frugẽ perduxit, & ex incontinente tempera-

tam,grauem ex petulāti, ex inquinata purā reddidit.

Iam profluentes ac perpetuas eius lacrymas com memorare cogitanti,verè oboriuntur lacrymæ.Vix enim ſine lacrymis licet ipſius lacrymarum pelagus traiicere.Nam vt oībus hominibus ſine intermiſſione ſpiritū ducere proprium eſt, ſic Ephræm cōtinenter lacrymas fundere natura inſitū videbat̄. Nullus enim dies,nulla nox,nulla noctis,dieiq; pars,nullum breuiſſimi tpis momentum fuit, in quo non vigiles ipſius oculi lacrymis madidi cernerent̄. Modò enim cōmunes,modò priuatas,vt dicebat abſurditates deplorabat.Suſpiriis auté oculorum flumina ſapienter inhibebat, aut ſuſpiria potius fluminibus oculorum excitabat.Et erat vtriuſque rei progreſſus admirabilis, cum alioquin vtrunque alterius cauſa videretur. Profluebant enim ipſi lacrymæ, & cauſa multis erat incognita.Etenim cùm illas tempus nō auferret, ſed mutua quadam viciſſitudine & lacrymæ ſuſpiria, & ſuſpiria lacrymas exciperent, alterutrius cauſa latitabat. Hoc autem perſpiciet quiſquis ipſius ſcripta perlegerit.Neq; enim ſolùm vbi de pœnitentia, de moribus,de bonis vitæ inſtitutis loquitur, ipſum lugentem inueniet, ſed etiam in ipſis laudationibus, quas plerique oēs hilaritate multa conantur aſpergere.Hic autem idem vbique fuit, & aſſiduè lugendi munus ac diuitias expetiuit.Ex quo nunc etiam ferè oēs ipſius ſermonum auditores,ad veram vitam amplectendam reuocat.Tantā eius lacrymis miſta vim habet oratio.Quis enim adeò duro lapideoq; corde præditus eſt,qui verba eius exaudiens, non manſuefiat,& abiecta morum aſperitate, ſuis ipſius peccatis non doleat? Quis adeò ferus & immanis, qui ſalutiferam eius doctrinā auribus percipiens non defleat tēpus,quod malè contriuit?Quis tam crudelis & inhumanus, qui non ſimul ac verba illius melle dulciora guſtauerit, benignus,mitis,& amabilis euadat? Quis à lacrymis abhorrēs ita ſe voluptatib⁹ dedidit,

quin paucis illius verbis auditis, remunerationem il lam,quam pro anteactæ vitæ ratione ſumus acceptu ri,in memoriam reuocans,lamentetur,& lugeat?

In rebus, quæ fieri nequeunt prouerbium illud vſurpant:Lapidi miſericordiam perſuades.Id tamen fieri poſſe nos experiméto docti didicimus. Diuinus enim hic ſenex animos, quos ob prauam obſtinatáq; duritiem lapides dicas,emolliuit,fregit,tractauit, vt voluit.quis eius de humilitate orationem legens,nó omnem protinus de ſe exiſtimationem & ſtultam arrogantiam deponat,ſeq; omnium abiectiſſimum fateatur?Quis legens ea,quæ ſcripſit de charitate,nó ſic inflammetur, vt ad omne ſubeundum periculum paratus ſit? Quis verſans illa,quibus virginitatem cō mendat,non ſe Deo caſtum corpore & animo conetur offerre? Quis admouens aurem orationi, qua iu dicium, ſiue ſecundum Chriſti aduentum deſcribit, non animo ſic afficiatur, vt ad illud iudicium ſe ſiſti iam putet? metuq́ue ita contremiſcat,ac ſi contra ſe ipſum ſententia pronuntietur? Sic enim futurū illud Dei iudicium expreſſit, atq; ante oculos poſuit præclarus & diuinus hic vir,vt ad eius cognitionem nihil aliud, niſi vt res ipſa fiat, deeſſe videatur.

Cûm igitur in eiuſmodi cogitationibus de iudicio beatus ipſe aſſiduè verſaretur,mundum effugit,& ea, quæ in mundo ſunt.Procul autem receſſit fugiés, vt ſcriptum eſt, & manſit in ſolitudine, ſibi ipſi vacans & Deo,atque inde virtutum munera accipiens. Iam enim planè nouerat, qui ſolitariam vitam eligunt,è turbulentis mundi perturbationibus & tempeſtatibus liberari, & in portum quietis & tranquillitatis peruenire, vbi cōſuetudine fruantur Angelorum, & métibus ſublimes,quoad licet, tollantur ad contemplationem Dei.Verùm,quando Spiritus illū monens ad multorum ædificationem ita diſponebat, vt loca mutaret,non renitebatur, ſed obtemperabat.erat.n. iuſſis mandatiſq; Dei,vt quiuis alius,obediens.Itaq;

patriam relinquere, vt diuinus ille Abraham, iussus, ad Edessenorum vrbem accessit. Neq; enim parerat, vt diutius sub terra Sol abscōderetur. His autem de causis eò se contulit, vt & quæ illic sancta erant, inuiseret, & sapientem aliquem virum alloqueretur, & cognitionis fructum aut caperet, aut impertiret.

Cùm igitur ad ciuitatem peruenisset, & iam portam ingrederetur, loco sapientis hominis, qué optabat, scortum occurrit. Quamobrem cùm præter expectationem in molestum illud spectaculum incidisset, spe sua deiectus oculos auertebat. At ipsum improba fœmina cōtentis oculis intuebatur. Cui vir sapiés: O mulier, inquit, dic mihi, cur me tandiu contueris? at illa promptè: Quoniam ex te homine ego sum, tu verò me ne aspicis quidem, sed in terrā ex qua sumptus es, oculos defixos tenes. Eam sibi inexpectatam responsionem valde profuisse vir sapiens fatebatur. Quapropter immēsam Dei potentiam collaudauit, qui ea, quæ speramus, præter spem nobis largiri potest. Inde Cæsaream Cappadociæ diuino spiritu ductus ipsum os ecclesiæ auream illam doctrinæ lusciniam Basiliū uidit. Quem senex intuitus, cœpit multis faustis vocibus venerari. Nam perspicaci mentis oculo splendidam columbam dextero ipsius humero insidentem, & verba sapientiæ suppeditantem, eaque ipsum populo deprométem cernebat. Ex qua quidem graui columba edoctus ille, diuini huius patris peregrinationē intellexerat; cumq; esse Ephrem illum Syrum cognouerat. Opportunè igitur ambo mutua consuetudine fruebantur. Atque ita laboriosa illa peregrinatio Ephræm non inutilis fuit.

Porrò naturalis innocentia vitæ illi malorum fugam ostendebat, ex ea enim & meliora prospicere, & deteriora discebat euitare, & illas sententias ac rationes eligere, quæ puræ essēnt, quæq; ad capessendā honestatem conducerent, & docendi vsum nō impedirent. Abundè enim diuino seni datum est à Chri-

sto verbi talentum, quod cum ad mensas cordiũ multis exhiberet, ipsi tamen in primis profuit. Hęc autẽ ipse de se dixisse fertur. Sibi, cum primùm excederet è tenera illa ætate pueritiæ, arcana eiusmodi visa contigisse. Ipsi enim iuxta linguam valdè fructifera vitis oriri videbatur. Quæ quidem ita crescebat, vt vniuersum orbem impleret. Omnes autem cœli volucres aduolantes eius fructibus vescebantur. At ipsa vitis quantò plures volucres fructus decerpentes excipiebat, tantò magis racemis abũdabat. Illud præterea, quod ad ipsum pertineret, alius quidã se conspexisse testatus est. Nimirum Angelorũ multitudinem è cœlo descendentẽ volumen intus forisq; cõscriptum manibus continere. Sic autem diuinam illã aciem colloqui visam esse: Quisnam volumen hoc in manus accipiat? Atque hos quidem hunc, illos illum, alius alium ex præstantibus eo tempore hominibus respondisse: Deinde post omnium probationem subiecisse: Hi quidem sancti, & serui Dei sunt. Attamen volumen hoc in manus accipere nequeũt. Cumq; multos, qui eo tempore viuebant, nominassent, neque vllus ex eis placuisset, ad extremum communi consensu in eam sententiam conuenientes, dixisse: nullus volumen hoc potest in manus sumere præter Ephræm. Tũ cœlestes Angelos idem vidisse dicitur, Ephræm volumen tradere, de nocteque surgens ad Ecclesiam visum illud considerans contẽdisse. Auditoq; Ephræm, qui tunc luculentam gratiaq; refertam habebat orationẽ, quid visum significaret, intellexisse, Deumq; laudasse, qui tam eximium dicendi munus viro sancto largitus esset. Tãtam enim sapientiæ copiam illi tribuerat Deus, vt quanuis ei suppeterent perpetui quasi verborũ fontes, rebus tamen explicandis non essent pares. Quod quidem nõ linguæ tarditate, sed celeritate cogitationis accidebat. Lingua.n. cogitandi vim aliorũ exequabat, sed tñ tardior erat, q̃ vt sententias ipsius assequeretũ. Itaq;

magnus senex à Deo singulare eloquendi munus ef flagitabat his verbis: Largire Domine, flumina gratiæ tuæ. Nam doctrinæ abyssus linguā absorbebat, vt sensa ipsius efferre non posset, cùm muneri concionandi instrumenta ad dicendum idonea deessent.

Conciones autem illius nihil aliud nisi precatio interpellabat: precationem rursus conciones excipiebāt. Ex quo fiebat, vt cum in ea vicissim studia totus incumberet, assiduè in rerum diuinarum cōtemplationē versaretur. Nā corpus quidem ipsum inedia temperantiaq; domitum sic affecerat, vt rationi tanq̄ dominæ obediens, non magis, q̄ si mortuum esset, voluptatis vllum haberet sensum. Cumq; ad ea, quæ non conueniunt, obeūda immobile torperet, iis tamen, quæ animorum saluti conducunt, exequēdis robore præstaret. Quid? quod ne noctes quidē, somni simulacris & imaginibus decipientes, ipsi virtutis cursum interrumpebant? Etenim quem accedentes susceperant sobrium, recedentes vigilantem relinquebant. Id nimirum agentem, ne manus principis istius oppressum somno deprehenderet. Tantum autem temporis quieti concedebat, quantum transigendæ vitæ necessariū erat. ne sublata omnino naturali uicissitudine caro solutionem uiolentam pateret. Sed somnum ab oculis cùm alia multa discutiebant, tum illud in primis, ꝙ asperè & duriter uitam agens, & uariis modis corpus affligens, humi etiam cubabat. His enim potissimùm rationibus somni affectio expelli cōsueuit. Paupertatem uerò tantam seruabat, quantā audis diuis Apostolis fuisse. Quocirca siquis hunc paupertatem colentium exemplar uocet, minimè aberret à ueritate. Dulcissimam profectò planeque beatam uocem illam tanq̄ paupertatis magistram hinc profecturus in cœlū nobis reliquit. Nec crumena (inquit) nec baculus, nec pera Ephræm unq̄ fuit. Nunquam aurum, aut argentum, aut ullam rem aliam possedi. Bonum enim Regem discipulis

suis audiui dicentem in Euangeliis: Nihil in terra possideatis. Quare nulla me rerum eiusmodi cupiditas cœpit. Gloriæ igitur pecuniæque contemptor, & quæ præstantiora sunt amans, ad Apostolos in eo cursu quàm proximè accedere contendebat.

Quid commemorem animi summissionem ipsius atq; humilitatem, cùm ea virtus passim in omnibus eius sermonibus & scriptis se ab eo singulariter excultã fuisse quodãmodo clamet? Quando enim ad arrogantiæ tumorisq; lapidem offendit pes illius, qui lacrymis lacrymas inuitabat, & cinerem tanquã panem manducabat, & aspera iniucundaq; vita (vt aiũt diuina illa verba) poculũ cum fletu miscebat? Quiq; ab omni abhorrens humana gloria, cùm in hac vita peregrinaretur, si à quopiã se laudari sentiebat, ęgre ferens, & alium aliàs colorem sumens, atque oculos in terrã deiiciens, tenui sudore madebat, grauiq; silentio tanq̃ pudore linguã impediente corripiebat?

Cùm autem ad beatam ac cœlestem illam vitam esset discessurus, vehementi quadã interdictione id ipsum prohibens dixit: Nulla Ephræm carmina cecineritis, nullam adhibueritis laudationem. Ne me pretioso cùm vestimento sepeliueritis, néue priuatim corpori meo tumultũ constitueritis. Mihi enim cum Deo cõuenit, vt habitem cum peregrinis. Aduena enim ego & peregrinus sicut omnes patres mei. Quemadmodum igitur aliarum virtutum, sic huius etiam egregia & perspicua habes indicia. Nam eorũ quę ad eleemosynã commiserationemque pertinẽt, hunc nõ affectorem modò, sed doctorem fuisse veritatis præscriptio, lexque confirmat. Etenim cùm ex perfecta, quam amplexus fuerat, paupertate, nihil esset reliquum, quod egentibus daret, crebris tamen admonitionibus alios ad misericordiam incitando, eleemosynam impertiebatur. Erat enim profectò huius oratio, licet vultus eius non aspiceretur, veluti diuinitus fabrecta clauis, quæ locupletum thesauros

recluderet,& indigētibus necessaria subministraret. Sed aspectus ipsius angelicus idoneus erat, qui sine vlla oratione solus ad commiserationem intuentes commoueret. Tanta in eo tum simplicitas,tum man suetudo,tum probitas cernebatur, Nullus erat tam impudens,qui nō ipsum intuens, rubore perfunderetur,seque ipse melior & modestior fieret.

Ac tametsi tā multa in hoc viro perfecta fuerunt, ne quis propterea putet ei absolutam rerū Ecclesiasticarū cognitionem defuisse. Neque enim illā eatenus tantum attigit,vt dicēdo instituere alios posset: sed tā pietatis instituta, q̄ ea, quæ illis aduersantur, plane percepit. Illa vt populū erudiret,hęc vt Hæreticos coargueret. Bono enim zelo in eas pietatis inimicas feras mouebatur. Nam sermone quodam, qui ad nos etiam non scriptis sed fama peruenit.ex quo eum veritatis fuisse studiosissimū facile intelligi poterat: Apolinarium leuem,immo dementem, & insanum appellabat,qui res nouas moliēs, multa iniqua piæque scripturæ aduersantia duobus libris comprehensa è ventre eructās temerè loqueretur. Eos autē libros,cuidam fœminę, quam in deliciis habuisse dicebatur,custodiendos tradiderat. Quæ cum magno Ephræm comperta essent,eiusdē opinionis se esse simulans, ad fœminam, quæ libros seruabat, accedit. Qui sit,& quàm fausta illi è solitudine apportet,aperit,& id genus alia fortasse adiungēs tandem supplicat,vt præceptoris scripta sibi publicæ vtilitatis gratia præbeat,vt nobis,quos tūc hæreticos appellabat, obsistere facilius posset. Quibus verbis capta mulier, eumque vnum ex illis qui Apolinarii partes tuerentur,existimans,libros exhibuit,orans,vt eos sibi celeriter redderet. At magnus hic Iacob fatuum supplantans Esau, & flagitiosa illa primogenita capiens, sapienter oppressit. Nam piscis glutino vniuersos illinens, folium folio ita coniunxit, vt cum vna pars ab altera præ vehementi vinculo seiungi non posset, in-

vnicam tabulam singuli libri redacti viderentur. Atque ita eos mulieri, quæ commodauerat, restituit. Illa verò artium eiusmodi, vt pote mulier, imperita, cùm speciem ipsorum extrinsecus saluam aspiceret, quid intus esset, diligentius intueri neglexerit.

Cæterùm dies haud ita multi præterierant, cũ orthodoxis quibusdã defertur diuinus senex, qui Apolinarium acciuisset, & cum illo sermones contulisset. Itaque in iudicium vocatus, impiis illius fretus libris ad diem statutum venit ac dicere quidẽ pro se, cũ senectute iam confectus esset, recusauit, petiitq́, vt ipsi libri proferentur, vt ex illis respõdere posset, & cõtradicerẽ. Cũ igitur delatoris socii fremẽtes in mediũ libros attulissent, inueteratus ille dierũ malorum iniustitiæ iudex, vnum ex illis in manus sumẽs, explicare conabatur. Verùm cùm glutino vinctus nõ cederet, ad mediam eius partem aperiendam aggressus est. quam quidem eodẽ modo conglutinatam reperit. Quamobrẽ sua ex priore libro frustratus spe, ad alterum accessit, quem quidem totum adeò connexum intuitus, vt aperiri non posset, tanto rubore suffusus est, atque ita animo perturbatus, vt ex illo consessu discedens, consilii inopia hærens & exanimatus, in morbum inciderit, eamq́ue ignominiam tam ęgrè tulit, vt haud procul abfuerit, quin mortem oppeteret.

Ac pietatis quidem zelo talis fuit magnus noster Pater & Doctor Ephræm. Aliàs enim mansuetum ac mitem se prębens, cùm nulla pugnandi necessitas esset, aliàs acerbum & grauem, cùm fidei periculum immineret, omnia sapienter pro ratione tẽporis administrabat. Ex hoc enim zelo non minus, quàm ob multa ieiunia, & lacrymas, & perpetuas preces laudandus est, atque haud scio, an ob id etiam magis, quòd hæc in eo vno concludebantur, ille ad communem etiam vtilitatem pertinebat. Sicut autem verũ eximii venatoris specimen est, cum bellicosas fe-

tas inſequitur: & boni gubernatoris virtus oſtenditur in aduerſa tẽpeſtate: Medici ſapientis in difficilibus morbis: ſtrenuĩ militis in ipſo pugnæ diſcrimine: ſic pietatis religioniſq; ſtudioſum virum grauia pericula difficultateſq; declarant, cùm & ſe, & alios ex inſidiis eximit. Nullũ profectò virtutis genus eſt à veteribus excultum, in quo nõ hic etiam excelluerit. Quapropter animũ eius vtilitate, dulcedine, iucunditate manantem fonti, omni aquarũ copia fluenti ſimilem poſſumus dicere, aut prato diuerſis & odoratis floribus ſplendenti, aut cœlo variis ſtellarum luminibus diſtincto, aut Paradiſo, quem audis fuiſſe in Edem, innumerabili decorato fructiferarum arborũ multitudine: (ita tamen vt ſerpẽti improbo exiliiq; authori nullus in hũc aditus pateat) aut ſiquid aliud pulchrum iucundumque multis diuerſiſq; bonis natura cohoneſtauit, talem beatũ magni Ephræm animum multis vndique virtutum generibus exornatũ exiſtima. Semper enim vir admirandus in eam curã incubuit, vt perfectũ & abſolutum virtutũ omnium chorum poſſideret, & quibus reliqui ſingulis præſtiterunt, ea omnia ſolus ipſe conſequeretur.

Nam vt ſacerdos, eum, qui inter iuſtos primus numeratus eſt, Abel, imitatus, non ex gregibus ouium, neque ex adipe ſacrificia Domino obtulit, ſed ſine ſanguine rationabile obſequium vitæ puritate ſacrificauit, ea re tantùm diſſimilis Abel, quod à ſcelerato homicida interfectus non fuit, ſed inimici Dęmonis laqueos vitans, ſuperatis inſidiis ad vitam, quæ nullum finem eſt habitura, ſicut ille, peruenit. Enos autem ſic æmulatus eſt ſpem, vt non modò Domini Dei ſui nomen inuocauerit, ſed alios etiam, vt illud inuocarent: edocuerit. Enoch verò vt ſimilis eſſet operam dedit, non admirabilem eius è terra in Paradiſum ſeceſſum, ſed è materiæ perturbatione in ſpiritum tranſitione imitando. Noe quoque ſimilis extitit, non exiguam in arca lignea generis conſer-

uationem,sed propriam animi incolumitatem vndique procurans,vt vitæ procellas tutò subterfugiens, nullam virtutis iacturã faceret. In multis etiã Abrahæ fuit imitator,atque,vt fidem,mansuetudinem, & amorem erga Deum taceam,in eo potissimum,quòd quemadmodum propriam terrã & cognationem ille,sic Ephræm mũdum effugit,& in corpore suo vnigeniti sacrificium expressit, se dedicans Deo, & ea membra mortificans, quæ sunt super terram. Isaac autem propter mortẽ,quã spontè tranquilloque animo subire paratus erat, non tamen inferente patre. Quinetiam quotidie,vt Apostolus,corpore quidem fructum, quod ad propositum pertinet,percipiebat, spiritu autem viuebat Deo propter castum corporis tanquam in ariete sacrificium;Iacob verò,Esau,id est hæresum parentem supplantando, & primogenita, recta videlicet Ecclesiæ decreta accipiendo, similis fuit. In eo prætereca,quòd non scalam à terra ad cœlum vsq; pertingentem,sed prælongam ignis columnam, pulchriorem mysterii profunditatem indicantem vidit. Quodque discipulis hic,vt ille filiis,è vita discessurus, benedictiones, distribuit, quas qui pronus excipiebat. Magni illius Iacob esse arbitrabatur. At Ioseph similitudinem maximè quidem expressit integritate corporis & castitate,sed multò magis,quod quemadmodum ille triticum, sic iste verbum cõmunicauit,nec non in multis Mosi persimilis fuit.

Fugit enim hic quoque Pharaonem Diabolum,& habitauit in solitudine, & Deum vidit, quatenus contemplatione videri potest.Et res admirandas effecit, & doctrina se populo ducem ac magistrũ præstitit. Et Aegyptios decepit, diuitias eorum surripiens,libros nimirum hæreticorũ, de quibus triumphauit. & falsum ac potui minimè accommodatum infidelitatis mare diuisis, populumque fidelium vtique multitudinem traiecit. & Pharaonis exercitum, impiam calumniatorum progeniem oppressit. Et

Amalec in fugam vertit, ſiquem hæreticorum hoc nomine velis appellare. rectè chriſtianiq́ue viuendi legem à Deo accepit,& nobis omnibus tradidit. Tabernaculi exemplar in monte vidit, non Moſis, ſed horrrendi illius futuri iudicii. Sacerdotes cõſtituit, de ſacrificio leges & præcepta tradens. Aquam eduxit è petra, dum corda lapidea ad fundendas lacrymas inducit.cœleſti pane,quemadmodum ille, abundè populum aluit, charitatis ſermones nobis proponens,per quos animi maximè confirmantur, & ad ſumendum cùm fiducia diuinum & ſacrum panem, qui pro ſalute noſtra è ſinu Patris huc venit, accenduntur. Coturnices fidelibus exhibuit,docẽs, vt per Dei recordationem ſeſe tollant in cœlũ, & quę illic pulchra ſunt,contemplentur. Et hac quidem ratione ſi quę pater hic grauiter geſſit, cũ rebus geſtis priſcorũ cõferre volueris, illis nullo modo ĩferiorẽ inuenies.

Siquidem,vt Ieſus Naue Iordanem etiam diuiſit, cùm clauſas benignitate diuitum manus patefecit,populoq́; terram non abiectæ huius promiſſionis, ſed regni cœleſtis diſtribuit. Ab infantia, vt Samuel, dicatus eſt Deo,diuinamq́; vocem audiuit. Vt Elias,ſacerdotes turpitudinis vituperauit. Ignemq́; diuinũ rationis ſacrificio, non ſemel, ſed ſæpiùs deduxit,& igneo virtutũ curru,non in æthera,ſed in cœlũ ſublatus eſt. Vt Eliſæus, duplicẽ ſpiritus gratiam acquiſiuit. Vt prophetæ ,diuinæ viſionis copia donatus eſt. Atqui ratio ipſa me mouet,vt hunc vel cum illo,quo nullus inter natos mulierum extitit maior, audeam cõparare.cum illo inquam,qui inter legem & gratiã medius fuit.Nam hic,quemadmodũ præcurſor ille, ſolitudinem coluit,& ad hunc item factum eſt verbũ Dei.Et pręco pœnitentiam docuit.Vt Paulus autem vas electionis,multas tentationes ſuſtinuit. & pœnitentiæ ſemina,vt ille fidei,diligenter ſparſit. Sed q̃d oportet hunc ſigillatim cum ſanctis cõferre,cũ eius rectè factis plenus ſit orbis terrarum? Lõgior autem

oratio est superuacua, cùm ipsa opera appareant. Nā multitudo verborum fidem infirmat, quasi virtutes non satis ex rebus ipsis declaretur, sed egeant orationis auxilio. Quamobrem operæpretium erit, vt, quod suauissima voluptate animos nostros afficiet, admirabilem eius è vita exitum exponamus.

In cœlum igitur iam profecturus diuinus hic vir illis, qui aderant, imperabat, ne corpus suum pretiosa veste ornatum sepelirét. Quòd siquis amantior sui aliquid eiusmodi cogitasset, mutato in melius consilio, id ipsum, quod honestandæ sepulturę decreuisset, pauperibus daret. Vnus igitur eorum, qui aderant sanè quàm nobilis, cùm magni pretii vestimentum parasset, quo diuini senis corpus indutum afficeret sepultura, neglecto, quod audiuerat, mandato magisque pium & pauperibus præferendum honorem, quem ipse cogitauerat, iudicans, vestimentum pauperibus dare distulit. Quare protinus à malo dęmone percussus, quòd mandato non obtemperasset, acerbissimas pœnas dabat, seq; ante lectulum, in quo vir sanctus iacebat, ore feruentes spumas agens dilaniabat. Cui clemētissimus senex: Quidnam, inquit, o homo, vt in hoc periculū cōiicereris, admisisti? At ille imperio senis excitatus, quanuis eius menti dæmon tenebras offudisset, occultum, quod inierat nō obediendi ipsius mandato consiliū aperuit. Tum vir humanissimus cōfitentē cōmiseratus, manuū impositione & precatione ab affectione illa hominē liberauit, & in pristinum restituit sanitatis statum, atque eū sic allocutus est: Perfice, homo, quę dudum promisisti.

Hoc igitur facto miraculo, cùm iam vitæ finis instaret, eos, qui aderant, multis admonitionibus ad amādam & colendam virtutem cohortatus, vt postrema eius declarat oratio, ad tranquillum ęterni regni portum euauigauit, sanctaq; ac Deo grata accessione, beatorum numerum, qui ab initio sæculi fuerāt, cumulauit. In cœlestibus enim tabernaculis anima

illius consedit, vbi sunt ordines Angelorum, vbi Patriarcharum populi, vbi chori Prophetarum, vbi sedes Apostolorum, vbi gaudium Martyrum, vbi piorum lætitia, vbi Doctorum splendor, vbi celebres primogenitorum cœtus, vbi puræ lętantium voces. In sacrum illum locum, vbi sunt ea bona, in quæ desiderant Angeli prospicere, fęlicissima sanctissimaq; beati clariq; patris Ephręm anima peruenit. Existimo autem, cùm in cœlum ascenderet, singulas virtutes, quas in hac vita coluerat, præcedētes, res illas reconditas & pulcherrimas, quę mortalibus oculis cerni non possunt, ostendisse, omniumq; præstantissimam charitatem ad eam accedētem dixisse: Aspice, chara anima, quam tibi pulchritudinem cōparaui, simulq; delicias demonstrasse. Mox accurrentem humilitatē sic allocutam: Vide, anima dilecta Deo, qualem ego tibi locum ornaui. Tum reliquas omnes sigillatim enarrasse, ostendisseq; e prēmia, quę iam inde, cùm ab ipsa in corpore colerentur & exercerentur, in posterum acquirebant. O decantanda atque imitanda peregrinatio. ò mors non indigens lacrymarum. ò separatio coniunctionem optatam conciliās. ò transitio, cuius nō pœnitet transeuntem. ò funus nullam molestiam afferens. Nam dum mores illius admiramur, consolationem accipimus. Aliorum enim hominum mors iis, qui relinquuntur, lacrymarum causam prębet: sanctorum autem lętitiā celebritatemq; conciliat. Neque verò dicenda est mors, sed transitus, & ad meliora demigratio.

Hæc tibi, Patrum optime, Ecclesiæq; Doctor, munera laudum afferimus, non ea quidem pro dignitate, neque indigenti tibi. Quam enim gloriam afferre queat oratio, quę laudati meritis superatur? Sed ob viuentium potius vtilitatem. Quandoquidem bonorum & prēstātium virorum laudationes, vt stimuli & faces animis admotę, vehemēter homines ad rectius viuendum incitant & inflammant. Hanc autem

laudandi prouinciam alacrius cepimus, quum multis aliis rationibus adducti, præter vitę doctrinæque famam, toto terrarum orbe vulgatissimam, tum cura illa, quam in homine eiusdem nominis liberãdo adhibuisti. is enim nos ad hoc onus subeundum impulit, qui à posteris Ismael in bello captus, & procul à patria diu commoratus, cùm ad eam reuerti cuperet, & viam commodiorę ignoraret, admirabili opę tua rationem ad salutẽ aptam inuenit, & quod optauerat, est consecutus. Nam cùm in maximũ vitæ discrimen adductus esset. Quoniam omnes viæ barbarorum copiis interclusę tenebantur, tę nominę tantũ inuocauit, dicens: sancte Ephræm, adiuua me, atque ita tutò periculorum laqueos euasit, mortemq; neglexit, & inopinatam salutem assecutus, patriæ auxilio tuo munitus, præter spem redditus est. Quapropter ad hæc dicenda audacter aggressi tuas laudes impuris labiis attingere non veriti sumus.

Qua quidem in re si haud ita multum defecimus, id ope tua nos assecutos fatemur, tibiq; acceptũ ferimus. Sin dignitate tua lõgè inferiores nostræ sunt laudes, te quoq; (quanuis audacius hoc dictũ videri possit) in causa fuisse dicemus, qui & viuens & defunctus, modestię humilitatisq; studio, te collaudarę volentes impedis. Attamen, siue hoc, siuę illud sit, nos pietatis officio pro virib⁹ satisfecimus: teq; id nobis minimè succensurũ, neq; tui amantissimos auersurũ, sed æquo libentiq; animo filiorum balbutientiũ laudes suscepturum speramus. Tu verò diuino assistens altari, vitęq; principi ac sacrosanctæ vnà cum angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare, nobisque peccatorum veniam impetra, vt sempiterna regni cœlestis beatitudine perfruamur in Christo Iesu domino nostro, cui gloria in æternum. Amen.

FINIS.

PRAECLARA NILI ET MARCI ABBATVM OPERA,

E' GRAECO IN LATINVM CONVERSA,

PETRO FRANCISCO ZINO
Canonico Veronensi interprete.



VENETIIS,
Apud Franciscum Rampazetum.
M D LXXIIII.



OPTIMO VERONAE PONTIFICI, ATQVE HVMANISSIMO VIRO D. ALOYSIO LIPOMANO

PETRVS FRANCISCVS ZINVS S. D.



VO mihi, Pater optime atque humanissime, vno eodemq; tempore optatissimi ac iucundissimi allati sunt nuntij: te nimirum ex longa atque difficili Poloniæ legatione, in Italiã incolumem aduentare: & nobilissimum fratris tui filiũ, AVGVSTINVM, virum pietate, doctrina, & prudentia præditum singulari, tibi in munere pastorali atque in Episcopatu Veronensi à Beatissimo ac Sapientissimo PAVLO IIII Pont. Max. datum esse adiutorem, vt in eo iam senex, & tot peregrinationibus fessus tandem aliquando conquiescas, atque ita annos illos vtcũque re-

cuperes, quos Apostolicæ sedis gratia tum in conciliis celebrandis, tum in multis per totam ferè Europam legationibus obeundis impendisti: Ipse verò sanguine & cognatione nepos, amore ac pietate filius, officio & labore adiutor ac socius, quam sub te magistro peritissimo disciplinam diu parendo percepit, eam alios regendo gubernandoq; doceat. His ego nuntiis incredibilem cepi voluptatem, quæ maior etiam extitisset, nisi me incommoda detinuisset valetudo, quominus præsens vtrique vestrum animi mei gaudium lætitiamq; testarer. Cæterùm quod ego nequeo, Patres hi duo pro me, ætate, doctrina, ac sanctitate insignes efficient, NILVS, & MARCVS, quos ego situ, squaloreq; obsitos, & in tenebris torpentes, ac penè mortuos in vitam ac lucem reuocaui, abstersisq; sordibus Latinè loqui pro viribus docui. Cupiebant illi quidem protinus ad sanctissimos PAVLI Pont. Opt. Max. pedes exosculandos aduolare, Bernardinumq; Scotum summæ probitatis ac doctrinæ Cardinalem venerari, tum Philippum Archintum, Archiepiscopum Mediolanensem, & Petrum Contarenum viros nobilitate atque omni virtutum genere clarissimos ac præstantissimos, quorum opera & benignitate ad manus meas perlati fuerant, honoris causa visere, atque etiam in Britanniam vsque contendere, ibiq; Reginaldum Polum Cardinalem amplissimum conuenire, vt

eius auſpicio & fauore per ea Monachorum cœnobia, quæ ſub eius tutela ac patrocinio degunt, liberius ire poſſent, & benignius ab illis ſuſcipi, prolixiusq; tractari. Verùm, cùm & ipſi, mihi quòd viuerent, quòd lucem aſpicerent, debere ſe probè ſcirent, nec mihi poſſent gratius quicquam facere, quàm ſi ad fratris tui filium, & per illum ad te, cui ſecundùm Deum plurimum debeo, meo nomine gratulatum venirent, libenter id munus ſuſceperunt. Qua tamen ex re ipſi quoque, ni fallor, magnum pietatis ſuæ fructum percipient. Neque enim dubito, quin eos humaniſſimè ſis accepturus, atque omni officio ſic ornaturus, vt vel apud te commodè manere valeant, vel, ſi illis in hominum conſpectum prodeundum cenſueris, multò, quocunque voluerint, tua commendatione tutius atque honeſtius proficiſci. Sunt profectò Abbates iſti auctoritate graues, plurimo rerum vſu, & doctrinis cœleſtibus eruditi. Admiraberis acrem eorum in corrigendis vitijs grauitatem, eximiam in docendis virtutibus & bonis moribus diligentiam, ſingularem in exponendis diuinis ſcripturis eruditionem. Peruerſas huius ætatis in religione de fide, & gratia, & operibus opiniones, atque alios errores, & hominum flagitia ita norunt, ſic inſectantur, atque coarguunt, vt non multis ſæculis procul ab hominum conſuetudine in tenebris propè ſepulti iacuiſſe, ſed nobi-


*ſcum aſſiduè verſati eſſe videantur.*Hic ego *de illis non ſcribam plura. Tempus enim eſt, vt te ipſi adeant, ipſi loquantur, & meo nomine tibi de felici aduentu, dæq; nepotis dignitate gratulentur, rationemq; reddant otij mei, quod ſuperioribus menſibus in hoc ſacro amœnoq; ſeceſſu, quem mihi donauit benignitas tua, cum illis, alijsq; ſanctiſſimis patribus traduxi. Eos igitur pro humanitate tua complectere, & vale.*

Ex oppido Leonati. I X. Calen. Febr.

M. D. L V I I.

INDEX EORVM, QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

AD LECTOREM.



VISQVIS ad hæc legenda accedis, attende tibi. Si monachus es, ea ne cæteris monachis dicta puta, sed tibi. Si non es monachus, ne monachis tantùm scripta, sed omnibus arbitrare. Sic enim lectionis tuæ tibi fructus constabit. Vale.



S. NILI ABBATIS
LIBER ASCETICVS.

VLTI è Græcis, & ex Iudæis nõ pauci philoſophiæ ſtudia coluerunt. Soli tamen Chriſtiani veram ſapientiam complexi ſunt, quippè qui etiam ſoli, ſapientia magiſtra, & reipſa rationem eiuſmodi ſtudio cõuenientem demonſtrante, didicerunt. Priores igitur tanquam in ſcena fabulam agerent, veræ expertes philoſophiæ, & inane duntaxat illius nomen ſibi vendicãtes, aliena ſe perſona decorarunt. Pallio enim, & barba, & baculo philoſophum præſeferentes corpus ſequebantur, & cupiditatibus tanquam dominis ſeruiebant, ventriſq; mancipia, voluptates, quæ ſub ventre ſunt, veluti naturæ opus amplectebantur, iracundiæ dediti, & gloriæ cupidi, ſplendidis menſis more canum auidè inhiabant, ignorantes, philoſophum in primis eſſe liberum oportere, eiq; magis fugiendum eſſe, cupiditatĩbus ſeruire, quàm argento venalem eſſe, aut è ſeruis parentibus naſci. Quid enim nocet homini humana ſeruitus, ſi rectè viuat? At is, qui ſub cupiditatum dominatu voluptatibus ſeruit, in dedecus & ignominiam incurrit. Sunt igitur, qui neglecta prorſus bene viuendi ratione, logicam, & philoſophiam capeſſunt, & de rebus ſublimibus nugantes, demõſtrationes conquirunt, ſeq; cœli magnitudinem, & ſolis menſuram, ac ſtellarum vires ſcire profitentur, nõnunquam etiam theologiam affectant, vbi veritas inacceſſa, & periculoſa coniectura, cum tamen fœ-

dius,quàm porci, qui in luto volutantur, vitam degant. Quòd si moralem aliqui disciplinā pertractāt, his sunt etiam deteriores: gloriam enim & laudem laboribus aucupantur. Nihil enim aliud ferè homines stulti sibi proponunt nisi ostentationem, & inanes rumusculos, miseriæ suæ vilem ac futilē mercedē captantes. Nam ꝙ perpetuò silent,& vescunt ole r.bus,lacerisq; vestimētis induuntur, in dolioq; inclusi versantur, nullū post mortē præmiū expectāt. Quid porrò stultius, q̄ vita hac virtutis præmia terminare, & certamen inire, in quo nulla coronæ sit spes? & pugnā perpetuā suscipere,cui nulla merces proponatur?& fodiendo sudorem assequi, ac præterea nihil? Iudæi verò, qui talem viuendi rationē instituerunt,à Ionada sunt oriundi,& oēs,qui ad se, vt eodē modo viuant,accedunt,ad eadem ducunt instituta. In tabernaculis perpetuò habitant, à vino, atq; omnibus cibis delicatis abstinent victu tenui cōtenti corpus affligunt. Magnā igitur morum curam gerūt, & contēplationi vacant assiduè,ex quo Iessæi appellant. Ac rectè prorsus vndiq; constat illis propositū philosophandi, cum nullis de rebus cōtendere profiteant. Cæterùm quæ certaminū vtilitas,aut qui fructus ex laboriosa vita pōt illis esse, qui remuneratorē Christum sustulerunt? Inanes enim pariter sunt istorū labores,eum negantiū, qui præmia & verā vitam certātibus dilargitur. Iccircò à philosophiæ scopo aberrauerunt. Philosophia enim est morū correctio cū vera certæ cognitionis gloria coniuncta. Ab hac tum Iudæi,tum Græci,repudiata,quę è cœlo descēderat,sapiētia, longè recesserūt. Nā sine Christo, qui factis & verbis verā philosophiā ostenderat,philosophari conati sunt. Hic enim primus hoībus huiusce studii viā patefecit,puram viuendi rōnem docens, & animā corporis cupiditatibus reddens superiorē, ac demum vitā etiam ipsam contemnendam

esse re ipsa demonstrans, cùm hominum salus, quam sibi proposuerat, vt mortẽ oppeteret, postulauit. Docuit igitur, vero philosopho, reiectis omnibus vitę voluptatibus, labores æquo animo subeũdos, cupiditates superãdas, corpus cõtemnendũ, & vitam ipsam non esse magnifaciendam, sed alacriter profundendam, cùm id ostẽdendę virtutis tempus exegerit. Ad hanc viuendi rationẽ Sancti Apostoli, simulatq; vocati sunt, mundo renunciãtes, contenderunt. Patria enim, & propinquis, & fortunis relictis, asperum & laboriosum vitæ genus complexi sunt, & per difficillima quæq; transierunt, cum afflicti, iniuriis affecti, eiecti, nudi, rebus egẽtes necessariis, mortem deniq; oppetierũt, & magistrum præclarè in omnibus imitati, optimæ nobis viuendi rationis exemplũ reliquerunt. Verùm, cùm ad hoc exemplum vitam dirigere Christianos omnes oporteret, pleriq; vel noluerunt, vel nequiuerũt, pauci despicere mundi perturbationes, & ciuitatum procellas effugere potuerunt, atq; ita tempestatibus superatis, & vitam solitariam amplexi, apostolicæ virtutis effigiem expressere. Diuitiis paupertatem, vt sine animi distractione viuerent, anteponebãt: vt impetum frangerẽt cupiditatum, delicatis epulis tenuem frugalemq; victum præferentes, quolibet cibo corporis necessitati satisfaciebant. Mollibus indumentis, vsuiq́ue non necessariis reiectis, vt qui voluptatem humanam negligerent, simplici ac minimè operosa veste, qua frigus à corpore arcerent, induebãtur. Indignum enim homine philosopho, qui rerum cœlestiũ studiis incumberet, existimabant, de rebus terrenis, & quę sponte sua vel feris suppeterent, esse sollicitũ. Mundũ ignorabant, cùm ab humanis essent per turbationibus remoti. Apud eos non erat, qui magis alio vel egeret, vel abundaret, qui iudicaret, aut iudicaretur. Habebat enim quisq; iudicem incorruptum propriã con-

ſcientiã. Non erant apud illos alii diuites, alii paupe res. Non liquefiebat alius fame, cùm alius cruditate laboraret. egentium enim inopiam, eorum, qui abundabant, benignitas explebat. Par inter illos ius & æquabilitas vigebat, reiecta propter ditiorũ cum tenuioribus cõmunionẽ inæqualitate. Immò verò tũc etiã erat inęqualitas ex eo, quòd, vt nunc propter inſaniam aliis alii ſtudent anteferri, ita tũc humilitate alios alii vincere, & abiectiores eſſe contendebant. Aberat odiũ, aberat inuidia, exulabat inanis gloria, exulabat arrogantia, omnes ſeditionis cauſæ erant ſublatæ. Ad eiuſmodi enim cupiditates erant velut mortui, atq; omni ſenſu carẽtes, adeò, vt ne in ſomnis quidem eas viderent. Cùm enim ab initio memoriam earum abieciſſent, ex quotidiana exercitatione propoſitiq; conſtantia talem animi habitum ſibi cõparauerant. Lucernæ profectò erant in tenebris fulgentes. Et ſtellę minimè errantes, quæ vitæ ſuę ſplendore noctem illuſtrabãt. ac veluti portus quidã tuti, qui perfugiũ facilè omnibus à cupiditatum tempeſtatibus oſtendebant. Verùm accurrata ac cœleſtis illa viuendi ratio non aliter, q̃ imago prę deſcribentium negligentia, paulatim in dies deterior effecta, ad ſummam diſſimilitudinem peruenit, & omnino defecit ab exemplari. Etenim qui mundo erant crucifixi, quiq; huic vitæ renuntiauerant, atq; homines eſſe deſierãt, & deuictis cupiditatibus ad cœleſtiũ illarũ mentiũ naturã aſpirare contendebant, rurſum ad terrena negotia reuerſi turpibus occupationibus rectè viuentiũ diligentiam inquinarunt. Et qui virtute celebres eſſe poterant, propria ſegnitie infames euaſerunt. Et qui aratri ſtiuæ manũ admouerant, habitum grauem ſeruantes, propterea quòd retrò conuerſi ſunt, & ſtudioſè complexi, quæ obliuiſci debuerant, apti regno Dei non extiterunt. Neq; enim amplius apud nos frugalitas, ac vitæ ſimplicitas colitur;

neq; silentiũ,& quies,quæ vtilis est,vt ab antiquis inquinamentis abstrahamur. Sed negotiorum multitudo,quæ sollicitudinẽ à recto viuendi proposito alienã affert,in pretio est,& honoris,rerumq; terrenarũ cupiditati salutaria cesserunt instituta. Cùm enim omni ratione nos Dominus à terrena sollicitudine dehortetur, iubeatq;, vt solum cœlorum regnum inquiramus:nos quasi dedita opera per contrariam viã incedentes Domini pręcepta neglexímus, & reiecta illa cura spẽ in manibus nostris collocauimus. Nam, cùm ipse dicat: Respicite volatilia cœli,quę nõ seminãt, neq; metunt, neq; congregant in horrea sua, & pater vester cœlestis pascit illa.Et rursum:Respicite lilia campi, quę non laborant, neq; nent. Præterea cùm iubeat,vt neq; sacculum,neq; peram,neq; baculum sumamus, sed solo iubentis minimè mendacis promisso confidamus, quod discipulis fecit,cùm eos ad bene merẽdum de reliquis hominibus mitteret, Dignus est,inquiens,operarius cibo suo,quod quidẽ promissum ad ea, quę necessaria sunt, subministrãda firmius est omni nostra sollicitudine:nos autem nobis minimè temperauimus, quo minus, quàm maxima potuimus, agrorũ spatia possideremus, ouiumq; greges,& boues aratores tũ pulchritudine, tum magnitudine insignes, & pingues asinos coemeremus, vt agri quidem nobis abundè fruges sufficerent, boues autem tum agriculturæ labores sustinerent,tum cibum nobis,& pabulum sibi ipsis,ac reliquis animalibus submistrarent: iumenta verò, vt quæ regio nostra non fert,ex aliena conueherent,& victui non solùm necessaria, verùm etiam iucunda comportarent. Quid? quòd ex artibus eas delegimus, qui lucri plus essent allaturæ, quæq; cum omne temporis spatium in se consumerent,ad cogitandum de Deo otii nihil omnino relinquerent. In quo vel gubernatorẽ Deum imbecillitatis damnamus,vel nosmetipsos,prio-

Matt. 6.

Matt. 6.

Luc. 10.

Mat. 10.

rem professionē abiecerimus. Quanuis enim id verbis non cōfiteamur, res tamē ipsa nos coarguit, quòd hominum sæculariū vita delectemur, quandoquidē eadē sequimur instituta, ac magis etiā fortasse in corporis occupationibus immersi sumus, vt ferè iā pietatem quæstū existimemus, & nullā aliam ob causam priscum illud liberū ac beatum vitæ genus excolamus, nisi vt ex ficta religione, laboriosa ministeria fugiamus, & genio indulgendi licentiam nacti, sine interpellatore, arbitratu nostro nos oblectemus, magna cum impudentia simplicioribus, & superioribus nonnunquàm insultātes, quasi virtutis studiū nō humilitatis & modestię, sed tyrannidis materiā subministret. Inde factū est, vt ab iis, à qbus coli nos oportebat, tanq̄ importuna turba, despiciamur, & vicinis atq; obuiis hominibus in foro mixti ludibrio simus, vt qui nulla re cæteris, vt ęquū erat, præstemus, nec eximia viuēdi ratione, sed habitu tātùm differamus, & tamen eam gloriam furiosè appetamus, quæ debetur virtuti, cùm labores, quibus virtus excolitur, negligamus, & veritatis personā duntaxat, tanquàm in scena, gestemus. Et hodie nō desunt qui grauē hunc habitum sumant, cùm animæ maculas nōdum abluerint, nec veterum peccatorū notas mentibus suis impressas exemerint, sed eas adhuc impudicis cogitationibus foueant. Cumq; nondū mores ad id, quod professi sunt, accōmodauerint, & diuinę philosophię scopū ignorent, pharisaicum tamen supercilium tollunt, sibiq; placent, tanq̄ solo habitu virtus acquiratur. circunferunt instrumenta, quorū artem non didicerunt, & quam ne summis quidem labris gustarūt, scientiā habitu profitentur. Ex quo fit, vt qui portus, & templa Dei, & oues esse debuerant, scopuli, & sepulchra dealbata, & ad eorū, quos deceperunt, perniciem, lupi deprehendantur. Cùm enim ex monasteriis, propterea quòd exquisitam viuēdi rationem

ferre non possunt,aufugerunt petulanter in ciuitatibus versantur.Hic vẽtris coacti necessitate, quò multitudini imponant,ceruicẽ inflectunt, & pietatis speciem tanq̃ escam præseferũt,& nihil facere recusant, quod corporis necessitas cogat.Nihil enim naturali egestate solertius ad ea,quę sunt vsui necessaria,cõquirenda,præsertim si ad ignauiam accesserit meditatio,tunc enim callidius simulatio progreditur.Obseruant igitur diuitum fores, nõ secus,ac parasiti,in foro autem more mancipiorũ ad eos accurrunt,& illos, qui appropinquant, arcent: quòd si repellantur ipsi ab iis,qui occurrũt,facilè libenterq́ cedunt, idq́; mensę gratia,vt ad delicatiores epulas admittantur, quippe qui voluptatem coercere nõ didicerunt,nec Mosis refossium necessitatis paxillũ in balteo gerere Deut.23 voluerunt.Vsu enim edocti non ignorant, omnem, quæ ex cibis prouenit,voluptatem gutture terminari,& quocunq; cibo necessitati fuerit satisfactum,importunæ cupiditatis turpidinẽ tegi. Iccircò nomen Dei blasphematur,& pręclarũ vitę genus despicitur, verè ex virtute viuentium institutio fraus existimatur, & istorum temerè vagãtium pondere premuntur ciuitates,priuatæq́; domus affliguntur, & omnes inuiti mendicorũ vultus intuentur,cùm eos videant impudentius foribus inhęrentes. Quinetiam multi hospitio suscepti, cùm exiguum ad tempus religionem simularint, & sub hypocrisis persona sanctitatis opinionem occuluerint,acta pręda subducunt se se, & in omni vita notatur infamia. Sic igitur qui modesti & sancti putabantur, tanquam corruptores,ac pestes,non aliter, ac si lepra laborarẽt, è ciuitatibus expelluntur, & oppugnantur, & minor, q̃ sicariis, & parietum effractoribus,illis habetur fides,qui vitam solitariã professi fuerant.Facilius enim ab aperta vi caueri posse, q̃ ab occultis insidiis homines putant. Cùm igitur nullum pietatis gustum habeãt,& silen-

tii lucrũ ignorent, quippe qui necessitate aliqua adducti ad solitariam vitã temerè confugerint, eamq; sibi res necessarias suppeditaturam existimarint, cui mea quidem sententia grauius vacarent, nisi ad omnium fores accederent, sed habitu maiores vtilitates conquirerent, verùm cùm ex eo velint rerum necessariũ vectigal corpori pendere, voluptatum deliciç immensas illis renouant cupiditates, quibus tanq̃ pestiferis morbis laborantes curare difficile est. Quomodo enim bonç valetudinis cõmoda queant intelligere, qui bona nũquàm fuerint valetudine? Sed ab ipsis incunabulis letali morbo decubuerint, & vsu ipso sic affecti sint, vt ægritudinem à natura differre nihil existiment. Frustra verba funduntur, cùm audientium vita præceps in peius ruit. Consilia rapiuntur in partem contrariam, præsertim cùm lucri spes alit cupiditatem. Admonitionibus aures occludunt, vt nullus ad eas aditus pateat, mente in quæstus auiditate, licet turpis sit, occupata. Nos verò, charissimi, qui studio virtutis incitati vitç mundiq; cupiditatibus renuntiauimus, nobisq; Christũ sequendũ proposuimus, quid rursum sçculi negotiis implicamur? & quç bene destruximus, malè reædificamus? Cur ea, quç non decet, exercentes, malis cõsiliis vtimur, & vanitatum studio animos infirmiorum incẽdimus, & simplicioribus viã ad auaritiam patefacimus? cùm ex præcepto Domini curare infirmos, non irritare debeamus, & ea cõplecti, quç illis vtilia sint, ne si temerè sequamur cõtraria, causa simus, vt ipsi vestigiis nostris insistẽtes terrenis occupationibus implicentur. Cur mundũ magnifacimus, quẽ contemnere edocti sumus? Cur diu tiis & possessionibus cumulandis incũbimus, & in multas atq; inutiles curas distrahimur, quç nos à studiis auocant magis necessariis, & negligere faciunt animi bona, atq; homines vitç negotiis inhiantes in magnũ barathrum trahũt, dum in

frnẽdis diuitiis ſummũ eſſe bonũ arbitrantur? Vident enim eos,q̃ ſe philoſophos, & voluptatibus ſuperiores profitentur, maximè, omnium in id ſtudium incumbere. Neminem manent certiora ſupplicia,q̃ illum,qui multos vitiorum ſuorũ diſcipulos facit. Imi tantiũ enim interitus pœnarũ cumulum affert præcc ptori. Neque tamen diſcipuli magnã effugient damnationẽ,cùm in magiſtro ea turpiter imitentur,quę, vti fœda,ratione ipſa duce fugere debuiſſent. Nemo igitur mihi nunc ob ea,quæ dicuntur,ſuccenſeat,ſed vel corrigat, quæ multorum negligentia perperam geſta,nomini noſtro dedecus attulerunt,vel nomen etiam ipſum recuſet. Nam ſi propoſitum eſt philoſophari, diuitiæ ſunt ſuperuacaneę, cùm philoſophia propter animi puritatem à corpore etiam ſeiũctionẽ polliceatur. Quòd ſi qui diuitiis incumbere,& vitæ voluptatibus frui volunt, cur ſe verbis ſapientiæ, ſtudioſos profitẽtur, cùm re ſint ab ea q̃ alieniſſimi? cur ſplendidis ſe appellationibus exornãt, cùm ea faciant,quæ ſunt ipſorũ profeſſioni contraria? Nónne pudendũ eſt,nos ab iis,quos mundanos appellamus, obiurgari, quòd Saluatoris leges violemus,doceriq; ab illis mandata ipſius, qui ea diſcere à nobis debebant? Cùm enim nobis rixantibus dicunt: Seruũ Dei litigare non decet, ſed erga omnes manſuetum eſſe. 2.Tim 2
Et rurſum, cùm de pecunia aut poſſeſſionibus contẽdimus,& aliquis dicit, Siquis tibi tunicam eripiat, da illi & pallium, quid aliud agunt, niſi nos reprehendunt, & opera noſtra poſſeſſioni repugnãtia derident? Ne poſſeſſionibus quidem ereptis,inquit,pugnare fas eſt,eaq; facere,quæ cura illarum requirit. Matt.5.
Mouit aliquis terminum agri tui,& ſuo adiudicauit, alius in paſcua tua pecus immiſit, alius aquam hortis influentem auertit. Inſaniréne propterea decet, & hæc omnia ſigillatim vlciſcendo furentibus fieri deteriores? & mentem, quæ rerum contemplationi

vacare debet, tribunalis affigere, atq; animi vim ad speculandum accõmodatã negotiãdi solertia distrahere, vt eorum, quæ nihil nobis afferunt vtilitatis, prouentus abũdè suppetat? Cur aliena nobis vt propria vindicamus? grauesq; rerum terrenarum compedes iniicimus? nec prophetam audimus eiusmodi
Abb.2. hominum genus miserantem, dicentemq;: Væ qui congregat, quæ sua non sunt, & vinculum suum gra-
Esa. 30. ue reddit vehemẽter. Nam si, vt scriptum est velociores sunt, qui nos persequuntur, aquilis cœli, nos autem ipsi mundi negotiis oneramus, tardiores ad cur-
1.Cor.6 sum effecti, facilè ab hostibus capiemur, quę Paulus monet vt fugiamus, fugite, inquiens, fornicationem, & auaritiam. Qui enim ad brauium currunt, nisi totis viribus expediti contendant, ab aduersariis celerius insequentibus longo superantur interuallo. Ad virtutem tendentibus magno est impedimento rerũ affectio terrenarum, animoq; ac sæpe etiam corpori perniciem affert. Quid enim Naboth Israelitã per-
.3.Reg. 21. didit, nisi vinea inuidiosa cuius cupiditate vicinus Achab ad cœdem ipsius adductus est? Quid duas dimidiatas tribus extra promissionem manere fecit,
Iosſ.22. nisi possessionum multitudo? Quid Loth ab Abrahã
Gen. 13. separauit, nisi multitudo ouiũ, quæ cùm assiduas inter pastores eorum contentiones pareret, postremò diremit etiam ipsorum coniunctionẽ? Si igitur diuitiæ ad eorum, qui eas possident, inuidiam, homines mouent, & à grauioribus nos studiis alienãt, & necessitudines dirimunt, atq; inter amicos pariunt inimicitias, & cum æterna vita nihil habẽt commune, nec multum huic prosunt corporeæ, cur à Dei seruitute abstracti nos totos addicimus vanitati? Non sumus nos qui victum nobis comparamus: Deus est, qui illum nobis subministrat. Ac studium quidem humanum sine Dei auxilio finem assequi optatum nõ potest: Dei verò cõsilium etiam sine opera humana bona præ-

na præbet perfecta. Quid illis profuit proprium studium, ad quos dixit Deus: Multa seminastis, & pauca intulistis, & excussi ea de manibus vestris? Quid porrò, in virtutis studium incumbẽtibus vnquam defuit, quod vitæ esset necessariũ? quãuis nihil omnino solliciti essent? Nónne quadraginta annos pauit Israelem in solitudine, cùm ex agricultura nihil perciperet, nec tamen indiguit cibo? Nouum enim & admirabilem cibum ortygometras attulit mare. Cœlum insolitam, ac peregrinam pluuiam manna demisit. Petra humoris expers, vberrimos confracta latices effudit? Vestimenta, nulla per totum illud tempus vetustate consumpta sunt. Quem porrò Elias agrũ colens in torrente nutritus est? Nónne corui cibum illi afferebant? Quid in Sarepta, nónne vidua illi venienti rebus ipsa indigens necessariis, ereptum ex ore filiorum cibum præbuit? vt perspicuum esset, etiam naturæ virtutem antecellere? Hæc quãuis admirabilia sint, alia tamen sunt magis admiranda. Fieri enim potest, vt etiam sine cibo, si Deus velit, vita traducatur. Alioqui quomodo Elias quadraginta dierum iter in fortitudine panis vnius cõfecisset? Quomodo Moses in monte dies octoginta cum Deo loquens nihil humani cibi degustasset? Cùm enim post dies quadraginta descendisset, statim ob vitulũ conflatum indignatus, confractis tabulis, in montem recurrit, ibiq; rursum totidem dies cõmoratus, secũdis tabulis acceptis, ad populum descendit. Nulla potest humana ratio declarare, quomodo fluxa corporis natura in tanto motu duraret, cùm vires illas, quæ quotidie consumebantur, nihil expleret. At ratio diuina soluit hanc quæstionem: Nõ in pane solo, inquiens, viuet homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Cur igitur humanis miseriis onerati cœlestia instituta in terrã detrahimus, & qui in cocco educati sumus, vt in lamentationibus suis inquit

Agg. 1.
Sap. 19.
Nu. 20.
Deu. 29.
3. Reg. 17.
3. Reg. 19.
Exo. 22.
Matt. 4.
Deut. 8.

Ieremias, nos ſtercore coinquinamus? Cùm enim in ſplendidis ac præclaris cogitationibus verſamur, in cocco nutrimur. Cùm autem, hac omiſſa viuendi ratione, terrenis negotiis inuoluimur, ſtercore nos operimus. Cur à Deo deficientes ſpem brachii carnê firmamus? Dominiq; prouidentiã manibus noſtris aſcribimus? quod ſibi Iob maximo crimini verti exi-
Iob. 31. ſtimabat, ſi manum ori admotam oſcularetur, id nos nunc facere non veremur. Mos enim apud antiquos erat, vt manus oſcularentur, cùm ſibi rerum copiam ab illis diceret ſubminiſtrari. Hos ænigmate lex deſi-
Leu. 11. gnat: Quod manibus, inquiens, incedit, immundum eſt. Et quod ſuper quatuor pedes ſemper graditur, immundum eſt. Et quod pedibus multiplicat, immundum eſt. Manibus incedit, qui manibus innititur, quiq; ſpem in illis omnem ſitam habet. Quatuor graditur pedibus, qui in res ſenſibus obnoxias incũbit, earumque occupationibus diſtrahit principem animi partem. Multiplici pedum numero mouetur, qui rebus corporeis circumagitur. Iccircò ſapiens ille prouerbiorum auctor, ne duos quidem hominem ſapiẽtem habere vult pedes, ſed vnum tantùm,
Pro. 25. cumq; raro ad res corporeas mouere. Raro, inquit, infer pedem ad amicum tuum, ne forte nimia familiaritate ſatiatus oderit te. Si enim raro ad Chriſtũ acceſſerit rebus egens corpori neceſſariis, amicus erit, quemadmodum diſcipulos ſuos Chriſtus appellat, Vos, inquiens, amici mei eſtis, ſin frequentius, &
Iaon. 15 nihil aliud ſpectans, vt multi ſolẽt, inuiſus erit. Quid enim exorabit, aut quomodo non erit deteſtandus, qui rebus eiuſmodi ſemper intentus, nunquam ad rectam viuẽdi rationem animum excitabit, propterea quòd crura ſuper pedes non habet, quibus è terra ſe poſſit erigere? Quemadmodũ enim crura, toto corporis onere in ſe ſuſcepto, terræ parumper appropinquant, ſtatimq; illud tollunt in ſublime, ita ratio

rerũ naturæ iudex, ſimul ac ad ea, quæ corporis vſui neceſſaria ſunt, comparãda ſeſe deiecerit, celeriter rurſum leuem ad cœleſtia mentem tollit, & nihil terrenis è rebus ſecum affert. Nam habere crura recta conuenit tum illis, qui deliciis valde ſunt dediti, & perpetuò iacent: tum illis etiam mentibus ſanctis, quæ nihil omnino rebus egent corporeis. Quod magnus ſignificat Ezechiel, Erant, inquiens, recta eorũ crura, & alati pedes ipſorum: quod minimè pronam mentem indicat, & naturæ illius ad intelligendũ velocitatem. Hominibus autem congruit, vt crura habeãt ita mobilia, vt ea modò ad corporeos vſus adhibeant, modò ad ſublimes animi conſuetudines, quas propter naturæ coniunctionem cum cœleſtibus virtutibus habent, tantumque curæ terrenis rebus propter corpus impertiãt, quantùm neceſſitas cogit. At ſemper voluptatibus incumbere, immundum planè eſt, & ab hominis natura participe rationis alienum. Notandum eſt, non ſimpliciter immunda dici, quæ ſuper quatuor pedes gradiuntur, ſed quæ ſemper ita gradiuntur. Iis enim, qui in corpore ſunt, tẽpus conceſſum eſt, quo ſeruiant corporis neceſſitati. Itaque Ionathas cum Naas Amonite pugnãs, ſuper quatuor incedens illum vicit. Quoniã ſoli naturæ neceſſitati paruit. Oportebat enim, vt qui cũ ſerpẽte, qui ſuper pectus ingreditur, id enim Naas ſignificat, decertabat, pauliſper ſpeciẽ ipſius aſſumeret, atque ita ſuper quatuor incedens, & mox in propriã ſeſe formã erigens, eũ magna facilitate ſuperaret. Iam hiſtoria Ieſboſeth quid nos aliud docet, niſi vt ne nimiũ ſtudiũ rebus corporeis adhibeamus, néue ſenſui cuſtodiam noſtrã committamus? Hic enim cùm eſſet Rex, & in cubiculo quieſceret, vxori ſuę oſtium cuſtodire permiſit. Venientes autem Rechab & Baana, & videntes eam triticum purgantem & obdormiẽtem, clàm ingreſſi ſunt, & Ieſboſeth ipſum quoq; dormientem

Ezec. 1.

1. Reg. 14.

2. Reg. 4

interfecerunt. Corporis enim studiis superantibus, & mens, & animus, & sensus dormiunt. Triticũ enim purgare, significat, mẽtem accuratè rebus corporeis inseruire, easq; nõ obiter, sed magno studio curare. Quod autem in historiæ specie id doceat scriptura, facilè patet. Quomodo enim Rex fœminam haberet ostiariam, qui satellitum, & militum multitudine, cũ omni apparatu dignitatis, munitus esse deberet? aut quomodo huic opus erat, vt vxor eius triticum purgaret? Sæpè igitur, quod in historia absurdum videt̃, occultam indicat veritatem. Animus enim cuiusq; tanquam rex foris quodammodo versatur, custode sensibus adhibita cogitatione, quæ cùm rebus se corporeis implicat, ad corpus enim pertinet triticum purgare, hostes dolo facilè ingrediuntur, & animum occidunt. Icircò magnus ille Abraham non permittit vxori, vt ostium obseruet. Neque enim ignorat, q̃ facilè sensus decipiatur, quomodo rerum sensilium aspectu delectatus animum distrahat, persuadeatq;, vt secum rebus iucundis oblectetur, quãuis planè periculosa sit oblectatio. At ille assidet Saræ, diuinis cogitationibus aditum patefaciens, & ianuam mundi curis occludens. Quid enim nobis ex tam stulto labore prouenit? Nónne omnis labor hominis, vt ait Ecclesiastes, in ore eius? Victus autem & vestimentũ ex Apostoli sententia satis sunt ad infelicis huius vitę sustentationẽ? Cur igitur infinitis laboribus ærũnisq; frustra, vt Salomon inquit, affligimur, & terrenis occupationibus animũ à diuinis bonis perfruendis abstrahimus? carniq; plus, q̃ æquum est, indulgentes, eã vicinis iam inimicis & hostibus ita fouemus, ut cùm aduersus animã bellum geratur, ipsa quoque nos uehementius oppugnante, dubia uictoria sit, atque periculum, ne expetitæ coronæ atque honores amittantur. Quæ enim corporis est ista necessitas, cuius prætextu cupiditatem ad res paratu difficilli-

mas extẽdimus? Panis nimirũ,& aqua. Nónne fontes uberem fundunt aquarum copiam? Panis autem manus ex recentibus facilè cõparatur. Eiusmodi possumus opera facere, quibus & corporis necessitas expleatur,& parum, aut nihil prorsus interpellemur. At magnã uestitus affert sollicitudinẽ. Immò ne ille quidẽ magnam habet difficultatẽ, si ad solã necessitatem, non aũt ad solitas delicias referaẽ. Quas enim araneæ telas, quã byssum, aut purpurã primus homo gestauit? Nónne summus illi opifex uestem è pellibus confecit, uesciq; oleribus iussit, hos corporis usui terminos statuens, & procul reprimens hodiernam hominum turpitudinem? Vt taceam, ꝙ nos religioni uacantes is nutriet sine dubio, qui pascit cœli uolatilia,& induet, qui tantam liliis agri gloriam circũponit, quoniam iis, qui ab hac multum absunt credulitate, id persuaderi non potest. Quis enim uirtutem colenti non libenter tribuat necessaria? Si homines barbari,& qui lege belli ceperant Hierosolyma, népe Babilonii, ueriti sunt Ieremiæ uirtutem, eiq; omnia corpori necessaria abunde tribuerunt, nec solùm cibos cederunt, sed etiam uasa, quibus solet uescentibus ministrari: quantò magis qui sunt eiusdem gentis, quique rectè instituti sunt, & à barbaris moribus abhorrentes, uirtutisq; studiosi, eos, qui ex uirtute uiuunt, complectentur? Licèt enim eiusmodi uiuendi rationem exercere nequeant ipsi propter naturæ imbecillitatẽ, tamen in pretio uirtutẽ habent, eiusq; studiosos admirantur. Quis Sunamitidi persuasit, ut Elisæo cœnaculum ædificaret, & in eo lectulum, & mensam, & sellam lucernamq; poneret? nónne hominis uirtus? Quis cùm fames totam regionem uastaret, uiduam illam adduxit, ut Heliæ necessitatẽ anteponeret suæ? certè nisi sapiẽtiam illius esset admirata, nunquã exiguum illud uitæ solatiũ sibi liberisq; suis ereptum ipsi tribuisset. Quam enim paulò pòst,

Ier.40.
4. Reg.4
3. Reg. 27.

mortem expectabat, eam præripere voluit, vt in hospitem benigna esset. Tales autē euaserunt, dum in colenda virtute constantiā retinent, nullisq; laboribus parcunt, & vitæ negotia negligunt, atq; contemnunt. Frugalitatē enim amplexi, dū paucis minimisq; rebus contenti sunt, eò peruenerunt, vt nullis indigerent, proximeq; ad incorporeas virtutes accederēt. Quamobrem cùm obscuri inglorijq; essent secūdùm corpus, illis, qui omnia posse videri volunt, potētiores extiterūt. Tanta enim fiducia Reges alloquebantur, quanta vix illi subiectos sibi homines. Quibus.n.

3. Reg. 17. armis instructus, aut qua potentia cōfisus ad Achaab dixit Helias: Nō euerto ego Israelē, sed tu, domusq; patris tui. Quomodo Moses descendit in certamen aduersus Pharaonē, cùm nullum haberet nisi virtutis auxiliū? Quomodo Elisæus coacto ad bellū exercitu, & duobus Regibus Israel & Iuda dixit ad Iorā:

4. Reg. 3 Viuit Dominus exercituum, cuius in conspectu ego sto, nisi vultum Iosaphat erubescerem, nō attēdissem te, neq; respexissem. Cōmotum exercitū non timuit, neq; veritus est Regis indignationem, quē verisimile est, belli tēpore, & impetu fuisse temerario, & rōne, propter animi sollicitudinē confusa. Quis enim Rex tantùm potest, quantùm virtus? Quæ purpura flumē

4. Reg. 1 diuisit, vt Heliæ pellis? Quæ diademata morbos ex-

Act. 19. pulerunt, vt sudaria Apostolorum? Reprehendebat olim Regem Propheta, quòd iniquè ageret, exercitu sti

3. Re. 13. patum vniuerso, qui cùm ea reprehensione irritatus manum aduersus prophetā extendisset, neq; illū cepit, & manum ad se aridā retrahere nō potuit. Erat inter virtutem atque potentiā regiam certamen, & victoria virtutis fuit. Non pugnabat propheta, & virtus repulit bellum. Cessabat pugnator, & fides opus perficiebat. Milites Regis erant certaminis præfecti. Et manus stetit, virtutique victoriam adiudicauit. Hæc illi gesserunt, cùm neglecto corpore, cor-

porisq; necessitatibus, solo se animo viuere iudicarent. Ideo erant omnibus superiores, quia nulla re indigebant. Malebant enim corpus relinquere, & vita, quæ in carne est, spoliari, q̃ virtutis prodere dignitatem, aut cuipiam diuiti propter inopiam adulari. Nos autem cùm aliqua re indigemus, abiecta animi fortitudine, qua in rebus angustis & asperis vti debebamus, more canum, qui caudæ motu blandiore ossa, eaq; sæpè etiam sine carne, aut panis micas proiicientibus adulantur, ad diuites accurrimus, eosq;, vt quod cupimus, impetremus, benemeritos, & Christianorum patronos appellamus, omnesq; illis virtutes inesse dicimus, quàuis in summa vitiorum fœditate volutentur. Sanctorũ exempla negligimus, quorum vitã imitari nos profitemur. Venit quondam ad Elisæũ dux Naaman Syrus, multaq; munera secũ attulit. Quid igitur? Propheta num illi processit obuiã? 4.Reg.5.
statim ne illi occurrit? An per puerũ causam, ꝓpter quã venerat aperuit, ne ad præsentiã quidem suam illum admittens, ne muneribus, quæ attulerat, eum curasse videretur? Hæc dicta sunt, non vt discamus arrogantiã, sed ne inopia adducti illis adulemur, qui ea complectuntur, quæ nos despicere professi sumus. Cur igitur omisso proposito philosophandi, agriculturæ, mercaturæq; incumbimus? Quid tandem Deo conferimus sollicitudine nostra? Concedamus cõmunem esse curam agriculturæ. Homo diligentia sua terrã proscindit, & semẽ spargit: Deus autem opportunis imbribus, quæ sata sunt, irrigat, facitq;, vt mollibus terræ cauernis radices diffundantur. Solem impertit, qui terrã calefaciat, & calore suo plantas sursum eliciat. Ventorum auras immittit eorum, quæ aluntur, ætati congruentes. Principiò mollibus virescentem planitiem flatibus fouet, ne sata calidis extenuata ventis exurantur. Vehementiori mox ventorum vi grana lactentia concoquit. Trituran-

tibus, calorem, uẽtilantibus auram idoneam prębet. Ex his si unum aliquod desit, inanis deprehendit ho minis labor, & uana sunt nostra studia, nisi Dei muneribus adiuuentur. Sępè etiam nihil horum defuit ad perfectionem, sed plenior ac uehementior imber præter tẽpus ingruens, aut spicas, dum adhuc terunt, aut purum & in cumulos coactum granum dissipat uel etiam aliquando in horreo conditum tinea corrũpit, ex ipso, ut ita dicam, ore cibum eripiens. Adeò nobis inutilia sunt nostra studia, Deo rerum gubernacula moderante, atq; omnia pro arbitratu suo disponentę. At in morbis corpus eget auxilio. Quantò satius est mori, q̃ aliquid patrare, quod repugnet nostræ professioni? Quòd si uolet Deus, nos adhuc uiuere, aut uires corpori tribuet morbo ferẽdo pares, ut patientiæ coronã assequamur, aut ad ægrotantis consolationẽ remedia reperiet, & fonte sapiẽtiæ suę consulet ualetudini. Præclarũ igitur est, fratres charissimi, ualdè, inquam, est pręclarum, ut ad pristinam beatitudinẽ aspiremus, & quam ueteres secuti sunt, uiuendi rationem amplectamur. Ea autem, ut arbitror, uolentibus erit facilis. Quòd si aliquis inerit labor, non deerit fructus, magnãq; afferet consolationẽ tum præcedentium gloria, tum insequentiũ fortitudo. Hic ad pristinam uitæ rõnem reditus illis non parum afferet lucri, qui uel nunc primùm huiusmodi aggrediuntur instituta, uel ipsa postea deserent. Fugiamus ciuitatũ & uicorum celebritates, ut qui in ciuitatib⁹ & uicis habitant, ad nos cõcurrant. Amemus solitudines, ut qui nos in præsentia fugiunt, ad nos pelliciamus. Si id cuipiã est cordi. Quandoquidẽ de quibusdam cum laude dictum est, ꝙ relictis urbibus in petris habitauerint, & dicebantur ueluti columbæ
Esa. 59. meditantes. Ioannes quidem Baptista in solitudine
Mar. 1. uersabatur & ciuitates ipsæ cum hominibus ad eum confluebant, & qui sericis uestibus induebantur, ad

zonæ pelliceæ ſpectaculum concurrebant. Sub dio incommodè manere non recuſant, qui domos auratas incolebant. Super arena cubare nō grauabantur, qui in lectis gemmis diſtinctis quieſcere conſueuerant. Omnia illis licet inſolita, tamen erant tolerabilia. Nam videndi viri cupiditas omnem moleſtiæ ſenſum abſtergebat, virtutisq; ſpectalum labores & incōmoda leniebat. Adeò virtus diuitiis antecellit, & vita ſolitaria multis eſt diuitiis illuſtrior. Quàm multi tunc opibus & gloria floruerūt, de quibus nulla nunc extat memoria. Et abiecti viri miraculum ad hoc vſque tempus celebratur, ſolitariique laus apud omnes eſt celeberrima. Virtutis enim gloria eſt ſempiterna, & bonorum illius prçconium paſſim à fama propagatur. Ouium curam abiiciamus, vt veri paſtoris habitum aſſequamur. Ignominioſam relinquamus mercaturam, vt pretioſam margaritam comparemus. Negligamus agriculturam ſpinas & tribulos producētem, vt Paradiſi cuſtodes atq; cultores conſtituamur. Omnia relinquentes vitam quietam & ſolitariam complectamus, vt qui nos cōtumeliis nunc afficiunt, & poſſeſſiones obiiciunt, reprimantur. Nihil enim ęquè cohibet homines iſtiuſmodi, q̃ ſi ſi rectè geras in iis, quæ tibi vitiò vertunt. Nam eorū, qui reprehenduntur, emendatio ſilentiū reprehendentibus imponit. Prçterea turpe illud exiſtimo, & eſt verè turpe, in quo riſum omnibus mouemus. Nuper aliquis ad ſolitariā vitam ſe contulit, cumq; vix exercitationis inſtituta didicerit, quomodo, & quando orandum ſit, quæ victus ratio, repentè magiſter incedit, turbamq; diſcipulorum ſecum trahit. cùm ipſe adhuc indigeat præceptore, eoq; magis, quo munus ipſum facilius putat. Ignorat enim animarum cura nihil eſſe difficilius, Primùm enim qua opus à veteribus inquinamentis purgatione? Deinde quanta attentio adhibenda eſt, vt ſuſcipiantur diſcipulorū vir-

Matt. 6.
Matt. 6
Luc. 10.
Mat. 10.

tutis insignia? Iste verò qui nihil aliud, nisi corporeã tenet exercitationé, quomodo subiectorum mores cõponet? Quomodo improba victos consuetudine diriget? Quomodo iis, qui à cupiditatibus impugnantur, opitulabitur, cùm ne animi quidé pugnas intelligat? Aut quomodo vulnera in bello accepta curabit, qui vulneratus ipse iacet indigens curatione? Nulla ars sine tempore discitur, & sine pręceptore. Ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturã non profitebitur illius ignarus. Medicę facultatis imperitus opus medicum non attinget. Deprehendetur enim hic non solùm nullam ægrotantibus opem ferre, verùm etiam grauiorem ipsis morbum efficere. Ille verò agrum incultum ac sterilem reddere. Solã religionis disciplinam, vt rerum omnium facillimã, cùm sit omnium longè difficillima, audent indocti
Philip. 3 profiteri. Et quod Paulus ait, nõdum se comprehendisse, isti se planè cognitum atq; perspectum habere confirmant, qui ne id quidé sciunt, se nihil scire. Ideò ipsorum viuendi ratio contemnitur, & ipsi ab omnibus irridentur. Quis enim nõ rideat, cùm hodie tanquàm virtutis magistrũ discipulorum caterua stipatum videat, qué heri in caupona aquam ferẽtem perspexit? aut cùm eum qué paulò ante ex ciuilibus calamitatibus recessisse non ignorat, modò cernit multis discipulis comitãtib⁹ improbe per omnes plateas volitare? Quòd si scirent, quantus sit labor, aliis se ducẽ ad religionem capessendam, præbere, & quantũ inde periculum consequatur, onus illud, vti grauius, quàm ipsi sustinere possent, profectò detrectassent. Verùm quoniã hæc ignorant, & aliis præesse præclarum existimant, idcircò facilè in barathrum se demergunt, & in caminum ardẽtem desilire nullum esse negotium arbitrantur. Ex quo risum excitant iis, quibus nota est superior ipsorum vita, & petulantia sua Dei prouocant indignationem. Sed enim ab ira diuina nec-

grauitas senectutis, nec vetus loquendi libertas, nec sacerdotii dignitas Heli in filiis corrigendis negligentem liberauit: quomodo similem nunc effugient indignationem, qui cùm nec vllam ex antè factis auctoritatem habeant apud Deum, neq; sciant discrimina peccatorum, aut corrigendi rationem, sine peritia, gloriæ adducti cupiditate periculosum opus aggrediuntur? Propterea Dominus, dum increpat Pharisæos, Væ vobis, inquiens, Scribæ & Pharisæi hypocritę, qui circumitis mare & aridam, vt vnum proselytum faciatis, & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo magis, quàm vos: ea reprehensione posteros monet, ne eisdem criminibus capiãtur, sed illud, Væ, metuẽtes ab importuna humanæ glorię cupiditate caueant, & miseriam grauiorẽ iudicent. Moueat illos etiam Iob, vt vel similiter atque ille subditos curent, vel si id efficere aut nesciunt, aut nolent, eiusmodi munus recusent. Nã si ille ab occultis etiã animi vitiis filios purgare volens, sacrificiũ pro ipsis quotidie faciebat, Ne fortè, inquiens, filii mei in animo suo maledixerint Deo: quomodo isti, qui ne inter peccata quidẽ manifesta discrimen norunt, quippe qui collectum ex cupiditatum pugna nondum ex animo puluerem excusserunt, prosiliunt ad imperandum, & aliorum curam suscipiunt, cùm suas nondum curauerint cupiditates, vt ex victoria sui cæteros ad vincendũ ducere valeãt? Oportet enim prius aduersus cupiditates decertasse, & magna cum sobrietate quæ in bello cõtigerint, memoria repetere, atq; ita ex propriis periculis rebusq; gestis subiicere cæteris, quæ cauenda, faciẽdaq; sint, quò facilius victoriã sequantur. Sunt enim, qui cupiditates multa fortasse asperitate superarint, ignorentque victorię rationem, quòd tanq̃ in tenebris pugnantes neque cuiusq̃ consilia secuti sint, neq; satis diligenter hostium insidias animaduerterint. Hoc figura quadam Iosue

1.Reg.2.

Matt. 23.

Iob.1.

Iof.4. declarauit, qui cùm exercitus noctu Iordanum fluuium traiecisset, iussit lapides è fluuio tolli, & in ripa monumentũ constitui, inscribiq;, quomodo Iordanẽ traiecissent, indicãs, profunda rectè instituendæ vitæ consilia in apertũ esse proferenda, perspicueq; notanda, nec inuidia tegendam esse cęteris rerum vtilium cognitionem. Vt non solùm qui tunc primũ accedunt ascẽdẽdi rationẽ intelligant, sed illi etiã, qui antea id sibi proposuerunt, faciliorem ex admonitione ascensum inueniant. Vt vnius experientia sit aliorũ doctrina. Verùm hæc nec vidẽt ipsi, neq; alios discentes audiunt, sed suam tantùm vtilitatem respiciunt, & tanq̃ emptis argento seruilia ministeria fratribus imponunt. In hoc illis glorię summa consistit, vt multis præsint. Hoc habent certamen, ne in congressibus pauciores, quàm reliqui, veluti seruos secũ ducant. Itaq; mercatores potius, quàm præceptores videntur. Cùm enim verbis quidem facilè putant imperare, quanuis grauia sint imperata, factis autem docere nihil volũt, perspicuè indicant sibi nõ esse propositum, vt adeuntibus prosint, sed vt imperãdo suæ satisfaciant voluptatĩ. Discant, si volunt, ab Abimelech & à Gedeone, homines non verbis, sed factis ad imitandũ adduci, dum ille quidem lignorum sarcinã cõponit, & compositã gestat, Quẽadmodũ, inquiẽs, videtis me facere, facite & vos. Hic autem opus commune primus aggreditur, Quod à me, inquiens, fieri cernetis, idem & vos facietis. Et Paulus cùm ait: Necessitatibus meis, & iis, qui mecum erant, suppleuerunt manus istæ. Et Dominus primùm faciens, ac deinde docens quibus non persuadeãt, præstantiorem esse doctrinam quæ re traditur, quàm quæ sermone. At isti ad eiusmodi exempla conniuent, & arroganter facienda præscribunt. Aliquãdo tamen horũ aliquid scire videntur ex auditu, quemadmodum pastores illi, qui reprehenduntur à Propheta, quòd gladiũ

Iud.7. Iud.8. 2.Cor. 11. Act.1. Zach.11

ſuper brachium ferant. Quamobrē & ſuper brachiū dexter ipſorum oculus excæcatur. Neglecta enim per ignauiam actio dexteræ, ſecum ſimul extinguit etiam contēplationis ſplendorē. Quod illis accidit, qui crudeliter & inhumanè paſcunt. Quando enim puniendi poteſtatem promptam habent, ſtatim contemplandi vim amittunt. Actio rurſum expers contemplantionis exareſcit. Et enim nec facere, nec videre quicq̃ poſſunt, qui gladium non ſuper fœmur, ſed ſuper brachium alligant. Super fœmur gladium gerunt, qui aduerſus propria vitia rationis aciē ſtringunt. Super brachium verò, qui ad puniēda aliorum peccata ſunt promptiores. Sic enim & Naas Ammanites, quod, ſi interpreteris, ſerpentē ſignificat, Iſraeli perſpicaci omnem oculum dexterū effoſſurū ſe minitatur, vt nulla dextera cogitatio ad vllam dexterā actionē dirigat. Eos enim, qui à contemplatione ad actionem ſe conferunt, valde proficere non ignorat. Nam illi in actionibus ſuis ſine reprehenſione ſe gerunt, qui mentis oculis acutiſſimis, quid agēdum ſit, antea meditati ſunt. Quòd autem vanorum hominū ſit, & nullam domi vtilitatem habentiū alios gubernandi munus appetere, vel ex eo patet, quòd nemo, qui quietis & contemplationis bona guſtarit, facilè illud ſuſcipiat, vt terrenis ſe ſe occupationibus implicet, animumq́; cœleſtia meditantem ad mundi negotia reuocet. Quod etiam ex illa ſimilitudine clarius perſpici poteſt, quam Ioathan viris Sichimitis propoſuit, Iuerunt, inquiens, ligna ſylnæ, vt vngerent ſibi Regē, dixerūtq́; oliuæ, Impera nobis. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii vtūtur & homines, & venire, vt inter ligna promouear? Dixerūtq́; ligna ad ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe. Quę reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſq́; ſuauiſſimos, & ire, vt inter cætera ligna prouomear? Locu-

1. Reg. 11.

Iud. 9.

taq; sunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum atq; homines, & inter ligna cætera promoueri? Rhamnus verò arbor infructifera & spinosa suscepit imperium, quæ nec propriā, nec subiectorum lignorū pinguedinē habet. Neq; enim Paradisi, sed Syluæ ligna, rectoris indigere dixit similitudo. Quemadmodum enim Oliua, ficus, & vitis lignorum Syluę recusarut imperium, quòd magis fructibus suis lætarentur, quàm eiusmodi dignitate: ita qui fructum aliquem in se virtutis aspiciunt, vtilitatemq; sentiunt, licèt vocētur ad multorum imperiū, illi commoda sua semper anteponent. Quod autem lignis Rhamnus est imprecata, idē hominibus ita negotiantibus euenit: Nā si verè, inquit, me Regē constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret ligna Syluæ, aut è lignis egrediatur, & deuoret Rhamnum. Cùm enim fœdera sunt inutilia, necesse est, vt periculum consequatur tum eos, qui se imperito doctori subiecerūt, tum illū, qui discipulos ignauos suscepit. Nam vt, doctoris ignorantia discipulos perdit, ita discipulorum negligentia doctori periculum affert, præsertim si ex illius inscitia proficiscatur. Nihil enim eū latere debet, quod ad ipsorū institutionē pertineat. Neq; discipulos decet quicq̄ prætetire, quod à magistro præceptum sit. Etenim ęquè graue periculosumq; est, & hos esse contumaces, & illum peccantibus indulgere. Neque verò putent id munus suaue atq; iucundum. Hominibus enim præesse res est omnium maximè laboriosa. Nam qui animalibus rationis expertibus imperant, ea omnibus in rebus reperiunt obedientia, ideoq; ferè semper illis prospere cedit imperium. Qui verò homines gubernant & regunt, propter morum diuersitatem, rationisq; solertiam, prouinciam difficilem experiun-

tur. Quam qui ſuſcipiũt, neceſſe eſt, vt ſe tanq̃ ad laboriosum certamen inſtruãt. Vt & omnium infirmitates magna cùm patiẽtia ferãt, & quæ illos propter ignorantiam latent, æquo animo doceãt. Iccirco boues in templo peluim ſuſtinẽt. Cãdelabrum verò ſolidum atque tornatile eſt. Ac candelabrum quidem indicat eum, qui cæteros illuminare profitetur, omnibus eſſe partibus ſolidum, & nihil leue, nihil inane habere, aut vacuũ oportere, omniaq; ſuperuacanea atq; inutilla, vt in culpatæ & vitæ exẽplum intuentibus præbeat, circũcidere & amputare. Boues autẽ ſub pelui declarant eos, qui ſubeunt onus eiuſmodi nihil reſpuere, aut auerſari debere, ſed & onera & ſordes inferiorũ perferre, quo ad ſine periculo fieri poſſit. Qui enim aliorum actiones puras eſt effecturus, is quin aliquã ipſe ſordem contrahat, vix fieri poteſt. Si quidẽ & peluis emũdãs eorũ, qui lauantur, manus ſordes illorũ ipſa ſuſcipit: Sic & qui de vitiis diſputat, vt ab ipſorum ſordibus alios expurget, non poteſt ipſe ſine aliqua labecula pertranſire. Nã ipſa memoria dicentis animo maculæ nonnihil aſpergit. Quanuis enim rerũ turpium notas altiores non imprimat, colore tamẽ haud ita puro mẽtẽ de illis diſſerentẽ inficit. Oportet autẽ, vt dux prudẽs ſit eiuſmodi, vt ne hoſtium quidẽ cogitationes ignoret, vt iis, qui ſub diſciplina ſua militant, occultas etiã pugnas aperiat, & aduerſarii prædicens inſidias, facilẽ ipſius victoriã paret, & è certamine coronatos educat. Rarò autem ac difficilè talis inuenitur. Magnus quidẽ Paulus id in ſe teſtatur. Neq; enim, inquiens, ipſius cogitationes ignoram⁹. Admirabilis verò Iob ea de re dubitans ita loquitur. Quis reuelabit faciẽ indumenti eius? In plicã autẽ loricæ eius quis ingredietur? & portas vultus eius quis aperiet? Quod perinde eſt, ac ſi diceret, facies ipſius nõ eſt ꝑſpicua Multis enim indumentis tegit improbitatẽ. Primò quidẽ

Exo. 25.

Iob. 41.

aſpectu dolis alliciens, & ſub inſidiis occultam perniciem ſtruens. Ac ne ſe quoq; inter ignaros artiũ ipſius numeret, eas patefacit, vtpotè qui omnem eius malitiam planè cognitam habeat. Oculi eius, inquit, ſpecies luciferi. Viſcera eius aſpides æ nei. Hęc dicit, vt retegat malitiam ipſius, qui ſumit in oculis ſpeciẽ luciferi, vt ad ſe trahat intuentes, aſpides autem intus fouet, vt accedentibus perniciẽ afferat. Prouerbium item illud rei periculum oſtendit. Scindens ligna periclitatur in eis, ſi ferrum exciderit. Qui enim

Ecc. 10.

rationis acie tãquam ſecuri res ſecerint, & quæ concutienda ſunt, à coniunctione ſeparans vera bona à falſis ſeiungere profitetur, niſi recto vndiq; rationis iudicio vtatur, periculum adit, ne ſcandalum audientibus præbeat. Sic quidam è diſcipulis Eliſæi, cùm ad Iordanem materiam ſuccideret, & ferrũ ſecuris in fluuiũ excidiſſet, periculo animaduerſo, ad magiſtrũ clamauit, Heu heu, inquiẽs, Domine mi, & hoc ipſum mutuò acceperam. Id illis accidit qui quæ malè didicerunt, docere conãtur, & finem optatum aſſequi nequeunt, qui nõ ex proprio habitu loquuntur. Cùm autem interim propoſito contrarium aliquid dicere deprehẽduntur, tunc in mutuato ſermone periclitantes imperitiam confitentur. Quamobrem & magnus Eliſæus ligno in profundũ iniecto ſupernatare fecit, quod diſcipulus amiſerat, id eſt dubium illud, quod in profundo latere putabatur, ad claritatis lucẽ, & ſub audiẽtium aſpectum peruenire. Ecce Iordanes pœnitentiã ſignificat. Illic à Ioanne baptiſma pœnitentiæ fuit inſtitutum. Qui autem de pœnitentia minus accuratè verba fecerat, occultamq; benignitatẽ nimis aperiens, ad pœnitentiam negligendam auditores adduxerat, in Iordanẽ ferrum proiecit. quid igitur faciendum eſt? lignum demittẽdum, quod natare ferrum faciat. Ante crucem pœnitentiæ ratio erat occulta. Itaque qui de ipſa loqui voluit,

4. Reg. 6.

Init, facilè reprehensus est. Post crucem verò perspicua omnibus fuit, & suo tẽpore patefacta. Hæc dico, non vt suadeam cuipiã, ne ab aliquo se regi patiatur, neque vt vlli prohibeam, ne se cuiquam ducem præbeat ad religionem: sed vt ostendã, priùs, q̃ eiusmodi munus suscipiatur, congruentẽ tanto oneri habitum cõparandum, nequis antequam pax sit constituta, arma militaria in instrumenta rustica conuertat. Tunc enim id faciendum est, & cæteri sunt excolendi, cùm omnes à nobis victæ sunt cupiditates, & nulli nos hostes amplius oppugnãt, nec arma ad nos tuendos sunt amplius necessaria. At cùm dominantur cupiditates, & carnis bellum viget, carnis suasu nõ sunt manus ab armis remouendæ, sed semper in manibus arma continenda, ne qui nos in insidiis obseruãt aduersarii, ex remissione nostra occasionem arripiant, & nullo negotio nos expugnent. Quẽadmodũ enim ad eos, qui egregiè pro virtute depugnarunt, seque pro singulari humilitate vicisse nondum putant, illa pertinet adhortatio: Conflate gladios vestros in vomeres, & lãceas vestras in falces: ne superatis à se hostibus frustra deinceps attẽdant, sed ad multorũ utilitatem animi vires à bellica exercitatione ad alios excolendos conuertant. Sic ad illos, qui anteq̃ tales euaserint, vel propter imperitiã, vel propter inertiã onus viribus suis impar subire sunt ausi, cõtraria hęc spectat cohortatio: Conflate vomeres vestros in gladios, & falces vestras in lanceas. Quæ enim vtilitas agriculturæ, cùm bellum ingruit, agrosq́; deuastat, & fructuũ copiam non ipsis cultoribus, sed hostibus exponit? Propterea Deus fortasse vetuit Israelitis, ne agriculturam exercerent, quãdiu erãt in solitudine, & cum diuersis gentibus pugnabant, ne bellicas exercitationes intermitterent. At fine bellis imposito, consulit, vt agriculturæ dent operã. Cùm ingressi fueritis, inquiens, in terrã promissionis, plantate in ea

Esa. 2.

omne lignum fructiferum. Antequã autem in terrã promissionis ingrediamini, non plantabitis. Hoc.n. illi succedit, ac meritò quidẽ. Quæ enim ante perfectionem plantantur, nõ coalescunt, nec stabilia fiũt, cùm adhuc in incerto more versentur, & oberrent, qui plantãt. Ordo enim, si vlla in re, in religionis cultu maximè est necessarius. Et ex principiis ad veritatẽ progredimur. Qui enim neglectis initiis iucũdiora præripiunt, ad ea redire coguntur necessariò, & ordinis rationẽ sequi. Quemadmodũ Iacob Rachelis pulchritudine captus, oculorũ Liæ despexit infirmitatẽ, neq; tamen virtutis huius laborẽ effugit: expleuit enim & eius annorũ hebdomadam. Qui igitur legitimũ vult institutionis ordinem seruare, is nõ à fine debet ad principia proficisci, sed à principiis progredi ad perfectionẽ. Sic enim & ipse propositũ assequetur, & eos, qui sub ipsius sunt disciplina, ducet ad finẽ virtutis sine reprehensione. Verùm pleriq; cũ laborem nullũ pertulerint, nec vllum paruum, aut magnũ pietatis opus effecerint, temerè præfecti nomẽ arripiunt, nec periculum animaduertunt, nec solùm nõ repugnant adhortantibus ad munus suscipiendũ, sed vltrò ipsi per angustas vagantes vias, obuios oẽs trahunt, obsequia illis omnia pollicentes, instar eorũ, qui cum mercenariis de cibo vestituq; paciscunt. Itaq; necesse est, vt, qui munus eiusmodi sic ambiũt, & in publico magna stipatos caterua se conspici volunt, & manu ducẽtibus acquiescere, scœnamq; oẽm tueri, cùm fabulam peragendã susceperint, ne reprehendant ab iis, qui eam ipsius personã imposuerũt, Necesse, inquam, est, vt multa tribuant eorũ voluptatibus, & vnà cũ ipsis tanquã aurigæ dimissis habenis, cursuq; in præceps voluntati ipsorũ permisso, cupiditatibus nullo prohibente dominantibus, in barathrũ præcipites ruant, & in oĩa incidant offendicula, cùm nullus sit, qui ea remoueat, aut effrænatos impetus

Gen. 29.

cohibeat. Verùm audiant iſtiuſmodi hoĩes beatum Ezechielẽ eos commiſerantem, qui alienis voluptatibus materiã ſubminiſtrant, quiq; dum omnibus obſequuntur, væ ſibi theſaurizant. Sic enim ait: Væ illis quæ cõſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiẽdas animas, propter pugillũ hordei, & fruſtũ panis. Ezec. 13.
Sic & iſti corporis cõmoda ſibi ex muneribus colligunt, & in veſte tanquã ex centonibus conſuta quieſcunt, qui nudo capite precari, aut prophetare debebant, virilemq; ſtatum veſtimentorũ integumentis effœminant, atq; animas perdunt, quas interire non oportebat. In primis aũt debebãt ex veri præceptoris Chriſti doctrina curã aliorum recuſare. Sic enim diſcipulos ſuos monet: Vos aũt nolite vocari Rabbi. Matt. 23
Quòd ſi Petrum, & Ioannem, & oẽm Apoſtolorum chorum admonebat, vt ab eiuſmodi munere procul recederent, ſeq; ea dignitate indignos exiſtimarent: ecquis erit, qui ſe illis anteponat eaq; dignitate dignum putet, quæ ipſis non fuit conceſſa? Niſi fortè cùm diceret, Nolite vocari magiſtri, ꝓhibuit eis, non vt ne eſſent, ſed ne vocarentur. Sin aliquis nõ ſponte ſua, ſed quoniam vnũ, aut alterum ſuſcepit, cogatur & pluribus præeſſe, is primò ſe ipſum probet, exploretq; vtrum idoneus ſit, qui re magis, q̃ ſermone doceat, quæ facienda ſunt, vitamq; ſuam vt virtutũ omnium exemplar diſcipulis ꝓponat, ne qui illud imitantur, erroris deformitate virtutis inquinent pulchritudinem. Preterea ſciat non minus ſibi pro illis, quos regit, quàm pro ſe ipſo laborandum eſſe, vt.n. pro ſe, ita pro ipſis ratione reddet, cùm ſemel ſalutem eorum curandã ſuſceperit. Etenim ſanctis viris ſtudium fuit, vt diſcipulos non virtute inferiores relinquerent, ſed ex priſtino ſtatu ad præſtantiorem perducerent. Sic Apoſtolus Paulus Oneſimũ ex fugitiuo martyrẽ fecit. Et Helias Eliſæum ex aratore

prophetam constituit. Et Moses ad omnia meliora Iosue prouexit. Et Heli Samuelem præstantioré se declarauit. Quãuis studium ipsi suum ad assequendã virtutem adhibuerint, omnis tamen illis proficiendi causa in eo sita fuit, q̃ magistros nacti sunt, qui fumigantem in eis ingenii scintillã excitare, & ad maioré emittendum splendoré edocere potuerũt. Quapropter & os Dei facti sunt, qui voluntaté eius hominibus patefecerunt. Audiuerũt enim dicenté: Si ex indigno pretiosum eduxeris, tanquam os meũ eris. Magistri quoque facultaté Deus ostendit Ezechieli, docens, quos ex quibus discipulos deberet cõstituere.

Ezec.4. Fili hominis, inquit, sume tibi laterem, & pones illũ ante faciem tuam, & describes in eo ciuitaté Hierusalé. Quibus verbis declarat, opus esse, vt magister ex luto discipulos faciat tẽplum Dei. Præclarũ & illud: Et pones illũ ante faciem tuã. Sic enim discipulus celeriter melior fit, si in magistri cõspectu semper versetur. Assiduæ enim præstantiũ exemplorum actiones similes in animis nõ prorsus asperis ac duris imagines imprimunt. Ideò Iezi, & Iudas, furto ille, hic proditione, ceciderunt, quoniam ex magistrorũ oculis se se subduxerant. Quòd si apud bonos mãsissent præceptores, non peccassent. Quòd autem magistrum ex discipulorum negligentia periculum consequatur, deinceps ostendit, dicens: Et pones sartaginem ferreã inter te & ciuitatem. Posteaquam ex luto ciuitatem constituit, quæ recedẽtibus ab eo statu supplicia immineant, debet ostendere. Vt muri separent à noxiis innocẽtes. Id præcipit Deus Ezechie-

Eze.33. li, fili, inquiens, hominis, dedi te speculatoré domui Israel. Et si videris gladium venientem, & nõ indicaueris eis, & aliquem ipsorum comprehenderit, animã eius è manu tua requirã. Talem murum & Moses sibi posuit, dicens Israelitis: Attẽde tibi. Ne studeas eos sequi, quos deleueris. Accidit enim, vt cùm sibi

negligentiùs attendunt, qui vitia profligarunt, & exciderunt, veluti ſtolones quidã pullulare incipiant, nempè ſpecies veterũ cupiditatum, quibus ſi quis locũ det, neq; aditum intercludat, animum rurſus occupant vitia, atq; ita poſt victoriam ſibi ſuſcitat aduerſariũ. Cupiditates enim domitæ, & boum inſtar edere fœnum edoctæ, negligentia manſuefacientis efferantur, & ad priſtinam ſæuitiem redeũt. Proinde ne id fiat, Ne ſtudeas, inquit, eos ſequi, quos à te deuictos expuleris. Ne animus quærendi cõſuetudine captus, eiuſmodi cogitationibus delectetur, & ad maliciã redeat. Iccircò Beatus Iacob, cùm animaduertiſſet, ea quæ videntur, & aſſiduè cogitantur, animo vehementius obeſſe, in eoq; ſpecies atque imagines hoſtium altius impreſſas defigere, Deos alienos in Sichimis abſcõdit. Labor enim, qui aduerſus vitia ſuſcipitur, abſcõdit & perdit ea non ad breue tempus, ſed quandiu eſt hodie, id eſt, in perpetuum. Omnis enim dies hodiernus ſæculo coæquatur, cùm præſens, tempus omne ſignificet. Porrò Sichima, quod eſt, humerus, ſignificant laborem, qui in domandis cupiditatibus ſumitur. Quare Iacob partem eximiã dat Ioſeph ipſa Sichima, quæ in gladio & arcu ſuo ſe dicit acquiſiuiſſe. In quo demonſtrat ſe certando & laborando vitia ſuperaſſe, & in terra Sichimorũ defodiſſe. Cæterùm contraria quodãmodo vident, abſcõdere Deos in Sichimis, & ponere Idola in abſcõdito. Illud enim laudabile eſt, hoc vitioſum, & execrãdũ. Maledictus, inquit, qui ponit Idola in abſcõdito. Neq; enim idẽ eſt in terra defodere in perpetuũ, & in abſcõdito ponere. Nã quod in terra defoſſum eſt, & à ſenſu remotũ, tempore ipſo deletur etiam è memoria. At quod in abſcondito poſitũ eſt, eos fortaſſe, qui foris ſunt, latet, ſed cùm ab eo, qui poſuit, aſſiduè cernatur, memoriã ſui renouat, & circũfert. Omnis.n. turpis cogitatio, quæ in animo fingiť, ſculptile eſt abſcõditũ, qđ.

Gen. 35.

Gen. 48.

Deu. 27

pudor vetat in medium proferri. Periculosum igitur est, ponere simulachrum in abscondito, sed multò periculosius sequi & exquirere formas iam obliteratas. Cogitatio enim facilè expulsa vitia repetit, & voluptatis lancem ad terram vsque deprimit. Nã virtutis habitus celeriter admodũ vertitur, in contrariaq; propendet, si negligatur. Quod figura quadam nobis scriptura significat, cùm ait: Terra, ad quã ingredimini, mutabilis est in mutatione populorũ ex gentibus. Simul ac enim ad cõtraria se vertit, qui virtutis habitum habet, pariter & ipsa conuertitur. Terra enim mutabilis est. Quamobrem initio prauis cogitationibus non est patefaciẽdus aditus ad animũ, neque permittendũ, vt in Aegyptum reuertat. Illinc enim ad Assyrios vi pertrahitur. Nam si ad tenebrosas immũditiæ angustias animũ demiserit cogitatio, vi deinceps à cupiditatibus ad vitia pertrahet. Iccircò per figurã legislator voluptati aditum occludẽs, serpentis caput obseruare iussit, quando & ille calcaneũ obseruat. Scopus enim illi ꝓpositus est, vt actio consequatur, quæ nisi fuerit cõsecuta, haud facilè potest morsui venenũ infundere. Nostrum verò studiũ in eo vigere debet, vt primum voluptatis impetum repellamus, quo quidẽ confracto, vis actionis est imbecilla. Nec Sampson fortasse alienigenarũ segetes combussisset, nisi conuersis vulpium capitibus, earũ caudas colligasset. Qui enim rõnum fallaciã ex principiis potest conücere, insidias, atq; initia contemnens, quæ illi grauia machinantur, vt finẽ assequi valeant, is & ex mutua terminorũ comparatione caudam cũ cauda deuinciens, & iudicii facem in medio ipsarum ponens, argumentorum poterit absurditatẽ redarguere. Verùm, vt, quod dictũ est, clarius fiat, duobus id exẽplis explicabo, quibus & reliquorũ veritas apparebit. Sæpè ab inani gloria descẽdit libidinis rõ, & ostendit præclara viarum principia, quæ ad

Iud. 15.

inferos ducunt. Abſcondit autẽ loca pernicioſa,per quæ ad mortis penetralia perducunt, qui temerè aſſentiunt. Proponit aliquando ſacerdotium,aliquando vitam Monachi perfectã,dat operam, vt multi ad eum propter vtilitatẽ accedant. Speciẽ probitatis tũ ex verbis,tũ ex factis affingit, & cùm ſatis eũ his opinionibus imbuerit, longeq́; abduxerit à naturali ſobrietate,tum grauis alicuius fœminæ conſuetudinẽ ſubiiciens ad flagitium allicit,hoĩemq́; ſibi nimis cõfidentem ad ſummũ dedecus impellit. Quiigitur caudã cum cauda vincire vult,ſumat vtriuſq; rõnis fines, hoc eſt,inanis gloriæ honorẽ, & libidinis fœditatem, & cùm eos inter ſe planè contrarios repugnanteſq́; conſpexerit,tum Sampſonis factum imitẽt. Rurſum gula voluptatẽ pro fine propoſitam habet. Voluptatis autẽ finis eſt dolor. Dolor enim & moleſtia ſtatim eos ſequitur,qui ab eiuſmodi cupiditatibus victi ſunt. Qui igiẽ pugnat,non ciborum oblectaméta, nec libidinis ſuauitatẽ conſideret,ſed fines ipſos,nempè dolorem atq; moleſtiam,atq; ita caudam cum cauda liget, & recta iudicii face ſegetes alienigenarũ comburat. Si igitur tanta opus eſt ſcientia in bello, quod cum cupiditatibus geritur:conſiderent,qui alios regendi munus ſuſcipiunt,quanta indigeant peritia,ut quos gubernandos ſuſceperunt,prudenter ad ſupnę vocationis brauiũ ducant,omneſq́; certaminis artes doceant,ne quæ ad victoriam pertinent, in aere tantum geſtibus exprimant,ſed in vera cum hoſtibus pugna letalia ipſis vulnera inferant,ne fruſtra ꝑ inane manus iactitent,ſed ipſum feriant & affligant aduerſarium. Gymnico enim certamine certamen hoc eſt multò difficilius. Illic enim pugnantium corpora proſternuntur,quæ facilè poſſunt excitari. Hic animæ concidunt,quæ vt ſemel afflictæ ſunt, vix erigi poſſunt. Quòd ſi quis non dũ cupiditates ſuperauit, ſed adhuc in pugna & ſanguine verſatur, & tamen

1.Pa.22 Dei templum ex animis humanis molitur, is nimirũ audiet à Deo: Tu mihi templum nõ ædificabis, quoniam vir sanguinũ es. Pacificum enim requirit statũ diuini templi constructio. Moses item extra castra figens tabernaculũ, ostendit, à tumultu bellico quàm longissimè abesse magistrum oportere, & qui ad pacificum & quietum ducit vitæ genus debere à castris cruẽtis esse remotissimũ. Cæterùm cùm tales inuenti fuerint præceptores, eiusmodi discipulos requirunt, qui se ipsos sic abnegauerint, & propriæ sic renuntiauerint voluntati, vt ab inanimatis corporibus, aut à materia, quæ artifici ꝓposita est, nihil differãt. Vt quemadmodum anima in corpore agit, quicquid vult, eo nihil omnino repugnante, & artifex in materia propriam artem ostendit, & nihil ab ea impeditur, quominus ad finẽ suum perueniat: ita magister in discipulis suis virtutis scientiã exprimat, obedientibus illis, & nihil prorsus aduersantibus. Qui enim curiosus est in explorandis consiliis præceptoris, quiq; sedulus examinat, & expendit ea, quæ ab ipso præcipiuntur, is sibi ipse, quominus progrediatur, atq; proficiat, est impedimento. Quod enim conueniens & consentaneũ ab imperito iudicatur, nõ idem verè conueniens & consentaneũ est apud artificem. Horũ enim iudicia sunt contraria. Artifex vtitur scientia. Artis ignarus coniectura. Porrò coniectura raro assequitur veritatem, sed plerunq; aberrat à rectitudine, & facilè fallitur atq; decipit. Quid enim primo aspectu videtur absurdius, ꝙ cùm gubernator in ea nauigatione, quam nautæ matutinã appellant, iubet, vt vectores, naui in obliquum vergente, in eo latere considant, quod vndis obruitur, relicto latere sublimiori, præsertim cùm ventus impellat atq; vrgeat latus illud, in quo iussit pondus inferri? Nónne cõiectura suadebat, vt alterum latus, quod erat sublimius, onere premeretur, omnesq; in eo considerent? At-

tamen gubernatoris iudicio potius, q̃ propriæ con-
iecturę atque opinioni vectores credunt & obediũt.
Quid ita? Quia, quanuis ea, quæ cernunt, aliter ſua-
deant, arti tamen illius, cui ſalutem ſuam commiſe-
runt, neceſſitas cogit obtemperare. Sic igitur qui ſa-
lutem animæ ſuę aliis crediderunt, omiſſis propris
opinionibus & coniecturis, periti rectoris arti cedãt,
& ſcientiam illius cogitationibus ſuis anteponãt. In
primis autem, rebus omnibus ita renuntient, vt ni-
hil excipiant, breuiſſimũ Ananię exẽplum veriti, qui Act. 5.
cùm ſe homines fallere exiſtimaret, diuinitus in fur-
to deprehenſus pœnas dedit, ſed quemadmodum
ſe ipſos, ſic etiam omnia ſua tradant. Si quid enim
excipitur, id aſſiduè cogitationem ad ſe trahit, & à
præſtantioribus ſtudiis animum auertit, ad extre-
mumq; penitus etiam abrumpit à fraternitate. Ideò
veterum Sãctorum vitas literarũ monumentis man-
dari voluit Spiritus ſanctus, vt quam quisq; viuẽdi ra
tionem elegit, eam ex propriis exemplis exploret &
dirigat ad veritatem. Quomodo igitur Eliſæus cùm 3. Reg.
ſe Heliæ magiſtro addiceret, mundo renunciauit? 19.
Reperit, inquit, Eliſęum arãtem in duodecim ignis
boum, & ipſe in duodecim iugis boum arãtibus vnus
erat. Et tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro
boum coxit carnes. Hęc promptum ardentis animi
ſtudium declarant. Neq; enim dixit, Vendam inſtru
menta boum, & prudenter diſponã. Neq; cõſidera-
uit, ea, ſi venderentur, emolumẽti plus allatura. Sed
cùm totus eſſet incenſus cupiditate, qua ad magiſtri
neceſſitudinẽ rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur,
& ab illis ſe tanq̃ à recto propoſito reuocantibus ſtu
duit explicare. Sciebat enim ſępe procraſtinationẽ
pœnitẽtiæ cauſam extitiſſe. Cur Dominus diuiti vitę Luc. 18.
ſecundum Deum perfectę leges præſcribens iuſſit,
vt omnia vẽderet, & pauperibus daret, niſi quia quic
quid excipitur, ita diſtrahit, vt omnia diſtrahebant?

Leu. 14. Moses itē cùm præcipit, vt qui se magno voto sancti-
Nu. 6. ficare volunt, totum corpus radāt, indicat, mea qui-
dem sententia, perfectam rerum omnium renuntia-
tionem: Secundo loco sanguine coniunctos sic obli-
uiscantur vt nulla vnq̄ eorum memoria interpellen
Reg. 6. tur. Si enim vaccę currui, quo arca vehebatur, iūctæ,
naturam & vitulos, qui domi tenebantur inclusi, sic
oblitæ sunt ipsius arcæ victæ maiestate, vt neque ad
dexteram, neq; ad sinistram declinantes sine errore
iter conficerent, neq; ceruicis inflexione vllum amo
ris erga filios signum ostēderent, neq; gemitu dolo-
rē, quòd ab illis seiunctę essent, testarentur, sed quan
uis eas & arcæ pondus premeret, & amoris aculeus
stimularet, tamen nō aliter, quàm si præscripta lege
incessissent, ne latum quidē vnguem à recto tramite
deflexerunt: cur nō ii, quibus spiritualis arca gestan-
da est, idem efficiant? ac multò etiam magis, ne qui
sunt rationis participes ab animalibus rationis ex-
pertibus in operibus necessariis superentur, nisi vi-
deantur id spontè & ratione facere, quod faciunt il-
la cogente vi ac necessitate? Ob id etiam fortasse Io
seph erat in solitudine, dū in fratrū nominibus per-
Gen. 37: fectionis terminū quærit. Quamobrem vir ille, qui
verba eius ad veritatē explorabat, intellecta erroris
causa, nempe affectione erga fratres, neque enim di
xisset eos pascere, sed gubernare greges, nisi falsum
in arte iudicium habuisset, dixit ad eum: Recesserunt
de loco isto. Audiui enim eos dicētes, eamus in Do-
thaim, quæ est perfecta derelictio. Indicat enim, eū,
qui circa corpus adhuc est occupatus, assequi perfe-
ctionem non posse, nisi planè derelinquat carnis affe
ctionem. Etenim siquis Charàm, id est, sensus, qui fo
ramina quædam sunt relinquit, & ex valle Hebrom,
hoc est, à seruilibus operibus discedit, tamen erat in
solitudinę Cathina, dum quęrit perfectionem, quod
nisi errorem in derelictionem cōmutauerit, nihil ei

proderit susceptus labor, cùm propter propinquorũ amoré aberrauerit à perfectione. Et Dominus Mariæ respondés, quòd se inter cognatos quæsiuisset, cumq;, qui patrem, aut matrem plus, quàm se, diligeret, indignum se iudicás, monet, propinquorum vincula prorsus esse relinquenda. His rectè constitutis, consulendũ est iis, qui nuper à mundi tumultu discesserunt, vt quietem ac silentiũ colãt, caueantq;, ne frequentius in publicum prodeũdo, vulnera per sensus accepta, cogitatione renouent, néue antiquis peccatorum simulacris alias formas adiungant, sed recentium impetu declinato, veterum memoriam omni studio deleat. Difficile autem est iis, qui nuper mundo renuntiarunt, quietis atq; silentii studium. Tunc enim memoria occasionem arripit, & omnem insitam mouet immunditiã, cui antea præ multitudine negotiorum id facere non licuerat. Famem enim, labore, & diuturnitate tẽporis auctã irritat improbarũ cogitationũ importunitate. Quare quibus propositũ est animũ ab omnibus inquinamentis abluere & expurgare, ii quàm lõgissimè debent ab omnibus rebus, quę sordes & maculas augent, abscedere, multamq; rationi trãquillitaté præbere, & ab irritamentis procul aufugere, ac vulgi cõsuetudinem euitare, & solam sapientiæ matrem quieté amplecti. Facilè enim in laqueos, ex quibus se extricasse arbitrabantur, rursus incidunt, qui sine timore cum immundis turbis versari student. Perniciosum enim est ei, qui ad virtutem se co tulit, iis rebus gaudere, quas ante damnauit & fugit. Nã vestigia in animo relinquunt, quieté magno studio quæsitã interrumpũt, ad pristina reuocãt instituta, & mala obliuioni tradita in memoriã reducũt. Més. n. eorũ, qui nuꝑ à malitia discesserũt, similis est corpori ex diuturno morbo conualescere incipiẽti, qđ nondũ viribus cõfirmatis quęlibet offensio grauioré in morbũ ĩpellit. Sic illorũ vi-

Luc. 2.

res adhuc imbecilles & nondum confirmatæ concutiuntur, vt verēdum sit, ne redeat ægritudo, id, quod ex turbæ commixtione fieri cōsueuit. Iccircò Moses cupiens populo nihil mali contingere à percussore,
Exo. 12. ita præcepit: Nemo vestrum egrediatur ostium domus suæ, ne vos percussor attingat. Eodem spectant & Ieremiæ verba dicētis: Ne exeatis in agrum, neq; in vias proficiscamini. Quoniam inimicorum gladius habitat per circuitum. Virorū fortium est contra hostes progredi, & tutò insidias eorum effugere. Quòd si quis nondum est aptus ad pugnam, domi sine detrimento maneat, & salutem in quiete sine periculo tueatur. Talis erat Iesus filius Naue, de quo scriptum est: Seruus autem Iesus, cùm sit adolescēs è tabernaculo non egrediatur: Nouerat enim, eos, qui in campum ad pugnam præproperam egrediuntur, à fratribus corporis & carnis amicis occidi, ex hi
Gen. 4. storia Abel admonitus. Nec minus ex iis, quę de Di-
Gen. 34. na scripta sunt, intelligimus, muliebris esse mentis atq; fœmineæ, ea, quę vires nostras superant, aggredi, & in iis, vt par est, iudicandis decipi. Nisi enim illa petulanter ad res incolarum spectādas properasset, earum delectatione allici & capi se non posse confidens, animi iudicium, rerum terrenarum cogitationibus nō corrupisset. Hoc arrogantiæ vitium hominibus insitum, cùm ex animis nostris vellet Deus radicitus euellere, dixit ad Mosem legislatorem, vt re-
Leu. 15. ligiosos & cautos faceret filios Israel. Quamobrem certamina vires nostras superantia confidentius adire à religione est alienū. Non igitur debemus, anteq̃ virtutis habitum adepti simus, negotiis nō ciuilibus immiscere, sed ab illis quàm longissimè discedere, & procul à strepitu & tumultu cogitationem auocare. Quid enim prodest, si cùm à negotiis recesserimus, eorum tumoribus interpellemur? Et relicta ciuitatis administratione, ad portam, vt Lot, sedeamus, &

tumultu ex ea proficiscente repleamur? Foras cùm Gen.19.
magno egrediendum est Mose, vt non solùm opera, Exo.19.
sed etiam cogitationes de illis cessent. Tunc enim ve Heb.13.
ra tranquillitas est, cùm non solùm facta, sed ne recordatio quidem nos impedit, quo minus animo vacet, loca conclusa videre, & cum singulis pugnare, & ex mēte, quæ praua sunt, euellere. Quòd si nouæ species superueniant, nec priores delere possumus, ratione in recentibus occupata, & labor in extirpandis perturbationibus maior efficitur, cùm ex noua accessione paulatim robur auxerint, & fluminis istar perpetuo nouarum cogitationum tanq̃ fluctuum cursu perspicax animi iudicium obruant. Quemadmodum enim qui fluminis alueum aridum videre cupiunt, nihil agant, si pergant exiccare partem illam, quam aridam volunt, cùm noui subinde fluctus superueniant, & exiccatū locū statim impleant. At si rursum ascenderint, & superiores partes exhauserint, aut fontem auerterint, vel obstruxerint, tunc, aqua spontè deficiente, aluei solum aridū relinquetur. Ita formæ cupiditatum effectrices facilè exhaurientur, si sensus, ex quibus illæ tanq̃ ex fontibus in animum influunt, sic obstruentur, vt eas extrinsecus suppeditare amplius nequeāt. Quòd si nouas rerum species assiduè suggerant, difficilè, vel nullo potius pacto fieri potest, vt animus ab eiusmodi inundatione liberetur. Licèt cupiditates non lædāt, quòd propter assiduos congressus lędendi non inueniunt opportunitatem, clam tamen insinuant se se, & corroborantur, ac maiores ex temporis spatio vires colligunt. Et quemadmodum terra frequenti pedum incessu conculcata, quanuis habeat spinas, tamen eas nō profert, exortum enim illarum cohibet pedum conculcatio: Interim tamen propagantur radices, & simulac tempus concesserit, vberes spinæ florentesq; prodeunt. Sic & cupiditates, dum assiduis congressibus & occupatio-

nibus in apertũ prodire nequeũt, occultè fouentur, & fiunt robustiores, dataq; per otium & quietẽ occasione, graue & periculosum illis, qui eas initiò expugnare neglexerunt, bellum inferunt. Itaq; Propheta semen è Babylone delere iubet, idest, species ipsas, dum adhuc in sensibus sunt, abolere, ne in animi terrã incidentes, coalescant, & germinent, & ipsa meditatione, quasi aquarũ copia irrigatę multiplicẽ malitiæ fructum ferant, Alius autem propheta beatos appellat, qui cupiditatum fœtus non excipiũt, sed obli
Psal. 136 uione statim natos interficiunt, Beatus, inquiẽs, qui
Iob. 8. tenebit, & allidet paruulos suos ad petram. Fortè Magnus item Iob de rebus suis differens tale quippiam innuit, cùm in humore virere scirpum didicit, & crescere carectũ in aqua, eaq; deficiente herbam omnẽ arescere. Et illud: Mermycoleo, seu formicoleo interiit, quia pabulũ nõ habet, videtur aliquid eiusmodi significare. Cùm enim cupiditatũ & vitiorũ insidias indicare vellet Magnus Iob, ex audacissimo leone, & animaliũ oĩum abiectissima formica vocabulũ cõposuit. Nã impetus cupiditatũ ab abiectissimis cogitationibus incipiũt, & formicarũ more sensim repunt. Paulatim autem in eam crescunt magnitudinem, vt cuilibet non minus, quàm leones terrorem atq; periculum afferant. Quamobrem oportet, vt strenuus pugil tunc cùm cupiditate luctetur, cùm accedẽs, veluti formica vilem escam suggerit. Nam si leonis magnitudinẽ & robur assecuta adoriatur, maxima cùm difficultate superabitur. Pabulum est detrahendum: cupiditatũ autem vitiorumq; pabulum, vt sæpe iam dictum est, sunt species & imagines rerum sensilium, quæ cupiditates & vitia nutriunt, armantq; aduersus animam. Iccircò fores templo reticulatas legislator
Exo. 27. instituit, significans, eos, qui mentis suę templum purum seruare volunt, quemadmodum illud cancellatis foribus instructum erat, nequid immundũ ingre-

di posset, sic ipsos ostacula sensibus preponere oportere, nempe horrenda futuri iudicii monumēta, quę species atq; imagines rerum impuras ingressu prohibeāt. Ob id fortasse & Ochozias ægrotauit, posteaq̃ cecidit per cancellos. Pœnas enim futuri iudicii non meminisse in tēpore tentationum: & in voluptates delabi, est è cancellis decidere. Quid autē hac ægritudine grauius? Corporis enim morb⁹ est ex naturali elementorum æqualitate, aliquo ex illis prędominante, conuersio in habitum naturæ contrariū. Animi autē ægritudo est à recta ratione declinatio, quæ fit, cùm animus à pestiferis vincitur perturbationibus. Hos cācellos visui prefixit Salomon, Cùm oculi tui, inquiens, viderint alienam, tunc cor tuum loquatur aduersa: aduersa vocat ea, quæ in tempore retributionis sunt euentura. Hęc enim rectè considerata prohibēt omnem periculosum oculorum obtutum. Ostēdit etiam, qualis tunc esse debeat rationis constitutio: Iacebis, inquit, tanq̃ in corde maris, & sicut gubernator in multa tempestate. Qui enim eo tempore poterit visum irritātem vincere, is à suppliciis impendentibus erit liber, vt qui maris tempestate iactatur, sine dolore pertransit, fluctibus colluctantibus, nec sentit illatas plagas. vt possit dicere: Verberauerunt me, & non dolui. Illuserūt mihi, & ego nō sensi. Sagittæ enim paruulorum. Et ad dolos eorum non sum conuersus, perinde ac si non adessent. Sic & Dauid eiusmodi contemnens aduersarios dicebat: Declinantem à me malignum non cognoscebam. Neq; cùm accederent, inquit, neq; cùm recederent, sensum adibui. Qui autē nescit, magnā inter sensus & res sensiles intercedere coniunctionem, ex qua fraus facilè proficiscitur, nec damnū inde proueniēs timet, sed incōsideratè se illis committit, quomodo fraudis tempore insidias animaduertet, cùm nullum in ipsis discrimen agnoscat? Nam q̃ inter sensus &

4.Reg.1.

Pro.23.

Pro.23.

Psal.100

Psal.63.

res sensiles fiat contentio, patet, ex bello, quod Assyrii cum Sodomitis gesserunt. Historiam enim describit scriptura quatuor Regum gentis Assyriorũ, qui
Gen. 14. bellum quinq; Regibus Sodomę regionis intulerũt. Primùm quidem coniunctionem, & fœdera & pacificas victimas exponit ad mare salis: deinde quinque Regum seruitutem per annos duodecim, mox tertiodecimo anno defectioné, tum quartodecimo anno bellum à quatuor Regibus illatum quinque Regibus, & captiuos ab illis factos: Atq; historia quidẽ sic finem habet. Nos autem ex hac historia discimus bellum, quod inter sensus & res sensiles intercedit. Nemo enim nostrum ab ortu suo vsque ad duodecimũ annum planè discernit, sed sensus rebus sensilibus tanq̃ dominis subiicit ad faciendum imperata, vt visum coloribus, auditum vocibus, gustũ saporibus, odoratum odoribus, tactum rebus, à quibus naturaliter mouetur, nec vllo modo potest illis propter ætatis imbecillitatem repugnare. At cùm ratio consilio confirmata cœperit detrimẽtum agnoscere, deficere statim cogitat, & eiusmodi seruitutis iugum exuere. Quòd si quis strenuus constanter in ea sententia perstiterit, acerbos dominos fugiẽs, liber perpetuò manet. Sin iudicii imbecillitate studium diligẽtiamq; remiserit, rursum sensus victos captiuosq; relinquit sub rerum sensiliũ dominatu, qui deinceps sine vlla bona spe tyrannicam seruiant seruitutem. Propterea enim quinque Reges, vt historia tradit, à quatuor victi in bituminis puteos compulsi sunt. Vt intelligamus eos, qui rebus sensilibus cedunt, in sensus, tanq̃ in puteos & barathra cõpelli, vt nihil aliud, quàm sensilia percipiant, propterea quòd defixa in rebus terrenis cupiditate, eas cœlestibus anteponat. Sic & seruus, qui diligens dominum suum & vxorem eius, ac liberos, veram recusat libertaté, propter cõiunctioné, quam habet cùm rebus corporeis, seruus perpe-

perpetuus manet,eiq; subula auris perforatur, ne fo Exo.21.
ramine auditus audiens naturali cognitionem vnq̃
percipiat libertatis,sed in perpetuum seruus sit,quia
bonis futuris præsentia prętulit.Iccircò lex etiam iu Deu.25.
bet,mulieris manum amputari,quæ duobus viris cõ-
tendentibus,verenda apprehendit. Quoniam obor-
ta de rebus æternis & caducis cõtentione caduca di-
missis æternis complexa est.per veréda enim,ea,quę
ortui atq; interitui sunt obnoxia,intelligũtur. Nihil
igitur prodest ; mundo renuntiasse,nisi in proposito
perseueres,sed sinas te retrahi, & terga vertas ratio-
ni,ac semper ad ea,quæ reliquisti,te conuertens,tuũ
erga illa studium declares, vt vxor Loth, quæ respi- Gen.18.
ciens retrò stetit exéplum inobedientibus, conuersa
vt nunc est,in statuam salis. Consuetudo enim,cuius
illa speciem gerit,eos,qui volunt omnino recedere,
ad se retrahit. Lex verò,quæ præcipit, vt ingressus in
templũ,postea q̃ vota persoluerit, per aliam portam
egrediatur,quo rectum iter faciat, & nõ vertatur re-
trò,quid aliud indicat,nisi continuam & rectã ad vir
tutem ducentem viã non esse dubitationum diuerti
culis interrumpendam. Assidui enim ad ea, à quibus
discessimus, prospectus ab instituto cursu nos retra-
hunt,& progredi non sinunt,sed ad pristina mala re-
dire compellunt. Magna est consuetudinis vis. Ad se
nos trahit, nec ad instituta virtutis studia reuerti ꝑ-
mittit. Ex consuetudine habitus,ex habitu natura ꝓ-
ficiscitur. Naturam porrò mutare difficillimum est.
Licèt enim vi paulisper inclinetur, celeriter tamen
ad seipsam recurrit. Mouetur illa quidem à propriis
terminis,sed nunq̃ planè transfertur, nisi magnus &
assiduus labor cõtrarium habitum introducat. Vide,
quomodo animus cõsuetudinem sequens Idolis insi
deat , quomodo se ipsam in materia informi defigat,
rationemq; surgere hortantem non audiat. Surrectu Gen.31.
ram se negat. Nõ possum,inquit,assurgere coràm te,

quia iuxta consuetudiné fœminarum accidit mihi. Animus, qui in huiusce vitæ rebus longo iam tempore conquiescit, idolis incubat, quibus ex informi materia constantibus ars humana formam adhibuit. Nónne res informis diuitiæ sunt, & gloria, & reliqua huius vitæ bona, quæ nihil solidum, aut verum habẽt, sed similitudine quadam affiċta veritatẽ præseferũt, & aliam ex alia subinde speciem sumunt? Nos autem illis formã adiungimus, cùm ea ex hoĩum opinione ad vsus minimè necessarios adhibemus. Cùm enim. vt corpori satisfaciamus, sumptus incredibiles facimus, & epulas innumerabilibus condimentis instruimus, cumq; voluptatis & deliciarum gratia ambitiosè tot vestimentorum varietatẽ excogitamus, &, si vanitatis accusemur, ꝙ frustra tam ingentes impensas facimus, cùm natura paucis expleri possit, nos ea vt honesta congruentiaq; defendimus, quid aliud, q̃ rebus informibus, conamur formam imponere? His autem rectè dicimus animam insidere. Si enim de iis, quæ dicta sunt, ita secum ipsa constanter iudicat, rebus istis terrenis inhæret, nec veritati seruit, cui non potest assurgere, sed cõsuetudini, qua tanq̃ immunditia mẽstrua, rerum naturã coinquinat. Sedere enim accipitur in scriptura pro ignauum esse, & voluptati-
Ps. 106. bus deditum. Ignauiam locus ille significat: Sedentes in tenebris & vmbra mortis: Vinctos in mendicitate & ferro. Tenebræ enim & compedes agentibus sunt impedimẽto. Voluptatis studium ostendit scriptura, cùm de illis loquitur, qui corde in Aegyptum
Exo. 16. reuertebantur, sic inter se colloquentes: Meminimus, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus carnes ad saturitatem. Verè sedent super ollas carnium homines voluptarii & libidinosi, humido & perpetuo calore suas incendentes cupiditates. Porrò libidinis mater est gula. Hæc enim libidinem gignit, & multa item alia vitia, quæ ab eius

radice tanq̃ stolones pullulant, & paulatim in arbores magnas euadunt, malitiæq; fructus edunt vberrimos. Auaritia enim, & iracundia, & tristitia ex gula proficiscuntur. Nam gulosus pecuniis eget, ad insatiabilem explendam cupiditatem, quam tamen explere nunq̃ potest. Illis autem, qui obstãt, quominus pecunias paret, irascitur necessariò. Et quia nequit vlcisci, in mœrore tristitiaque versatur. Tristitia enim, cùm explendæ voluptatis materia suppetit, in ventrem descendit, deficiente autem illa, in pectus, vbi est iracundiæ sedes, ingreditur. Homines.n. voluptarii, si priuentur voluptatibus, irascuntur & indignantur. Quamobrem magnus Moses super sacerdotis pectus ponit Rationale, ea nota significans, iracundiæ motus rationis iudicio esse cohibendos. Rationale enim est iudicii regula, quã ratio reiicit iracundiæ vitium, vt imperfectum: Perfectus autem Moses totã adimit iracundiã, quæ rationi reluctatur. Pectusculum autem aufert. Accipiens enim pectusculum abstulit illud impositionem coram Domino. Sunt alii, qui neque totam excindunt iracundiam, neq; illam ratione cohibent, sed labore superant. Hi pectusculũ cum brachio auferunt. Brachium enim est laboris actionisq; nota. Ex ventre similiter libidinem proficisci verissimum est. Est enim ferè libidinis causa. Nã expleto vẽtre statim aliarum voluptatum cupiditates excitantur, quæ illo esuriente quiescunt & iacẽt. Hic animaduertenda est inter proficientẽ & perfectum differentia. Moses enim perfectè reiiciẽs ciborum voluptatẽ, ventrem & pedes lauit aqua, ventrem quidem voluptatẽ, pedibus autem incessum progressumq; significans. At ille, qui proficit, quæ in ventre sunt, lauat, non ventrẽ totum. In eo quoque, quod dicit, lauit, & lauent, magnum inest discrimen. Illud enim ex voluntate fit, hoc ex præcepto. Perfectus enim vir spõtè sua ad colẽdas virtutes moueri debet.

Exo. 28.

Lu. 8.

Proficiés verò, ducis præcepta sequens. Illud prætereà maximè est obseruandū, quòd cùm pectusculum totum auferat, ventrem non aufert, sed lauat. Sapiens enim totam potest iracūdiam vincere & amputare, ventrem non potest excindere. Cibis enim vesci natura cogit necessariis uel homines temperatissimos. Qui verò rectæ firmæque rationi non acquiescit, luxuria atque libidine corrumpitur. Idcircò, venter comburitur. Cùm enim nimium expletus fuerit, libidinis cupiditas exardescit. Ventre combusto, sequitur, vt femur concidat. Mens enim debilis fit, ad ea, quæ honesta sunt, facienda: quoniam ventre, ciborū copia, libidinis incendiū excitante, spiritus nerui dissoluuntur. Hos enim in lege femur significat. Homo voluptarius super vētrem ingreditur, serpens ad voluptates perfruendas. Qui viā virtutis capescit, ventris adipem circūcidit, dum epulas subtrahit, quibus corpus pinguescit. Qui proficit, ventris abluit intestina. Qui perfectus est, totū ventrē lauat, quæ vsui necessariò superuacanea sunt, penitus abiiciens. Valdè autem pectori ventriq; cōuenit illud, Gradieris. Voluptas enim non est ex eorum numero, quæ stant & quiescunt, sed ex eorū, quæ mouētur, & perturbationis sunt plena. Ideoq; gulæ & ventri rerū uenerearū commotio est coniunctissima, quam quidem coniunctionem natura cùm uellet ostendere, generationis instrumenta sub uentre collocauit, ut ex propinquitate necessitudinē declararet. Ac libidinis quidē vitium ex ventris imbecillitate fit infirmum & debile. Contrà uiget ac feruet, cùm illi robur & uires uēter sufficit. Neq; uerò gula & uentris ingluuies istorū uitiorum tantùm est mater ac nutrix, uerùm omnes aufert uirtutes. Ea enim superāte & dominatū obtinente, temperantia, modestia, fortitudo, constantia, & reliquę uirtutes cōcidant, necesse est. Quod ænigmate Ieremias ostēdit: Euertit inquiēs, muros Hie-

Leu. 1.

rusalē per circuitum princeps coquorum Babylonis. Ier. 52.
Gulæ uitiū appellat coquorum principē. Sicut enim ille omnem adhibet diligentiā ut gulæ uentriq́; satisfaciat, & innumerabiles uoluptatum artes excogitat, sic uitium gulæ omni studio quærit gutturis uoluptatem explere. Et ciborum uarietas euertit ac diruit uirtutū propugnaculum. Suauitas enim condimentorum, tanquā machina bellica, prosternit munimenta iam à uirtute constructa, & firmum ac solidum robur ipsius affligit humi. Iam sicut luxus uirtutes opprimit, ita frugalitas malitiæ deiicit munitiones. Quēadmodum enim muros Hierusalem, id est, animæ pacificæ, princeps coquorū Babylonis destruxit, uentris uoluptates obsoniorū condimentis irritans: sic Israelitarum panis hordeaceus uoluitur, & Madianitarum tabernaculū subuertit. Frugalis enim uictus uoluendo proficit, & libidinis uitium prosternit. Madianitæ libidinis symbolum gerunt. Hi sunt enim, qui ad fornicationē pellexerunt Israelē. Aptè aūt dixit scriptura, Madianitas habere tabernacula; muros uerò Hierusalem. Omnia enim, quæ uirtute circundata sunt, firma sunt ac munita. Quę autem uitiis sunt circūsepta, tabernaculi speciem habent. Ciuitates fugiebant Sancti, & multitudinis congressus euitabant, quia corruptorū hoīum cōsuetudinē quouis morbo pestifero perniciosiorē existimabant. Idcircò relictis oībus in loca deserta & solitaria, ꝓcul ab horū interpellatione se conferebant. Ideò Helias relicta Iudæa montē Carmelum desertum & ferarū plenum incolebat, & præter arbores nullum habebat uictus solatium. Harū fructibus usum explebat necessariū. Elisæus itidem eandē uiuēdi rationē seruabat: à magistro enim suo cum reliquis uirtutibus didicerat, & solitudine delectari. Et Ioannes loca Iordanis deserta colens locustas edebat & mel siluestre, multitudini declarans, q̃ facilè possit corporis necessita-

ti satisfieri, & exprobrans illi sollicitudinem in voluptatibus conquirendis. Ac talem fortè legem in vniuersum Moses tulit, cùm Israelitis præcepit, vt manna in dies singulos colligerēt. Clàm enim indicabat, quotidianum esse debere hominis victum, non autē longum in tempus conquisitum, & homines ratione præditos, rebus esse cōtētos præsentibus, & reliquarum curam in Deum, cuius prouidentia cuncta disponeret, reiicere oportere. Tam anxia profectò sollicitudo coarguit nos, ꝙ Dei gratię diffidamus, quasi non perpetuò munera sua hominibus largiatur. Omnes denique Sancti, quibus dignus non erat mundus, propterea relictis hominum celebritatibus, in solitudinibus, & montibus errabāt, & speluncis, & cauernis terræ, & circuibāt in ouillis pellibus & caprinis, egentes, angustiati, afflicti, mansuefacta hominum vitia, & rerum alienarum exundationes, quæ in ciuitatibus sunt fugientes, ne ipsi quoque earum vi tanquā torrentis impetu in promiscuam populi confusionē raperentur. Ferarum consuetudine gaudebant, & minus ab illis, q̃ ab hominibus metuentes detrimenti, homines, vt insidiatores, euitabant, feris tanquam amicis confidebant, ꝙ illæ neque vitia docerent, neque à virtutum admiratione & cultu reuocarent. Danielem quidem, cùm homines, vt ipsi putabant, perdidissent, leones seruarunt. Quem homines ex inuidia iniustè damnauerant, custodierunt, & iustitiam, à qua recesserant homines, rectum ipsi de iniustè dānato iudicium ferentes declararunt. Hominis virtus apud homines inuidiæ & contentionis, apud feras venerationis & honoris occasio fuit. Nos igitur, quibus vitæ præstantioris amor insitus est, Sanctorum virtutes æmulemur, & deserto in loco ab opifice Deo dimissum onagrum, vectigal exigentis increpationem non audientem, deridentemq; tumultus ciuitatum, si adhuc onera vehere assuefecimus, & ma-

Exo. 16. Heb. 11. Dan. 14. Iob. 39.

litiæ iugum imposuimus, nūnc saltē à vinculis soluamus. Quòd si repugnent aliqui non veri domini, sed qui ex consuetudine sibi dominium vindicarint: audiant nos, si audire volunt, nō lingua solùm, & demissa voce, sed ex mandato dicentes: Dominus opus illius habet. Statim dimittent eum, vt apostolicis ornatus vestimentis Christi vehiculum fiat, aut ad pristinam rediens consuetudinem in lætis pascuis versetur. Quod illis accidit, qui virentia diuinæ scripturæ dicta sequentes, vitam ab omni reprehensione remotā amplectuntur, in qua magnum animi pastum, delectationemq; percipiunt. Sed quærendū est, quomodo lætis in pascuis onager à Deo dimissus versetur, cùm in locis desertis vitā degat, & in terra salsuginis tabernaculum habeat. Loca enim deserta & salsa ad herbā ferendā non sunt admodum idonea. Deserta nimirum loca, id est, à perturbationibus & vitiis remota, sunt opportuna, vt in rerū diuinarū contēplatione tanq̄ in pascuis lætissimis versemur. A cupiditatibus & vitiis liberati, sæcularia negotia relinquamus, & animi bona cōplectamur. Quādiu ludis pueri libus delectabimur? Nōdū virile sensum accepimus? Quādiu in agendo erimus infantibus imbecilliores? Ab illis saltē discamus ad præstantiora contendere. Nā ipsi ætatem mutantes, mutant etiā in rebus ludicris voluntatem, abiiciuntq;, quam habebant ad res leuiculas, propensionem. Nucibus exempli gratia, & talis, & pila ludunt, his illi se ludis oblectant, & sibi honori ducunt hæc comparare, quoad prudētia sunt imperfecta. At cùm aliquis eorū in virū euaserit, ea abiicit, & ad gerendam Rempublicā omne studium confert. Nos autem in infantia persistentes, ludicra, & risu digna suspicimus, neglectisque melioribus, prudentiam viris conuenientem sumere recusamus, & terrenis in rebus studium ac delectationem nostram collocantes, risum mouemus iis,

Matt. 21

Iob. 39.

qui natura duce rectè iudicant. Quemadmodum enim turpe est, uirum ætate prouectũ in cinere aut puluere cõsidentẽ pucrilia describere:ita turpe, imò longè turpius est eos, qui de rebus æternis perfruendis deberent esse solliciti, in rerũ terrenarum puluere uolutari, & studiorũ turpitudine professionis suæ fœdare perfectionẽ. Huius peruersitatis eã causa est, quòd iis,quæ cernuntur, nihil præstantius ducimus, neq; ex præsentium futurorũq; bonorum cõparatione,uilitatẽ illorum,atq; horum præstantiã cognoscimus. Præsentium.n.splendor nos capit,& mẽtis oculos præstringit.Nã semper fit absentia præstantiorũ, ut deteriora pro illis habeanť in pretio. Quòd si de futuris bonis gustum aliquẽ haberemus,haud ita prę sentibus inhiaremus. Incipiamus igitur à terrenis animũ auocare.Pecuniã,& omnia, quæ mentem demergunt atq; oprimũt,cõtẽnamus. Onus abiiciam⁹, ut nauis parumper subleueť.Tẽpestate iactati abiiciamus,& magnã supellectilis partem, ut animus tanq̃ gubernator undarũ impetũ queat sustinere, salutiq; consulere.Si illi,qui in mari nauigãt, sæuiente tẽpestate merces negligũt,&ꝓpriis manibus onera in mare ꝓiiciũt, & fortunis uitã anteponunt; ac ne nauis põdere oppressa submergať,eam subleuãt, & pretiosissima quæq; uel in profundũ iaciunt:cur non etiam nos propter vitam præstantiorem ea despicim⁹,quæ animum in profundum detrahunt? Cur idem nõ potest Dei timor,quod potest timor maris? illi caducæ vitæ cupiditate aliarũ rerum iacturã leuem putant. Nos qui ad vitã æternã aspiramus propter illã nihil, quãuis abiectum,contemnimus, sed malumus simul cũ onere perire,q̃ illo proiecto seruari. Agitè exuamus omnia.Nudus.n.constitit aduersarius. Nũquid induti luctantur pugiles? Nónne certaminis lex iubet eos nudos in stadium ingredi? Siue calor sit, siue frigus,depositis vestimentis ingrediuntur. Siquis

nuditatem recusat, idem certamen recuset, necesse est. Nos autem, qui nos pugiles professi sumus, quiq; multo grauiores habemus aduersarios, nó modò nó exuemur, sed innumerabilibus in humeros oneribus sublatis, multas aduersariis lædendi ansas præbétes, conabimur decertare? Quomodo pugnabit aduersus spiritalia nequitiæ, qui possessionibus vacat acquirendis, vt vndiq; possit facilè supplantari? Quomodo cũ auaritię spiritu certabit, qui pecuniis obruitur? Quomodo curret aduersus Dæmones omni nudos sollicitudine, qui curis indutus est innumerabilibus? dicéte scriptura, Nudus persequetur in illa die: nudus, inquit, non variis negotiorum curis, tãquam centonibus, circundatus. Nudus, non graui possessionum & pecuniarum sarcina à cursu retardatus. Insidiis enim nudus aut non petitur, aut ægrè capitur. Quare si nudus fuisset Magnus Ioseph, non reperisset Aegiptia, quo illum apprehenderet. Apprehensa enim, inquit diuina scriptura, lacinia vestiméti eius, dixit: Dormi mecum. Vestimenta sunt negotia, corporea quibus apprehensis voluptas nos trahit. His negotiis qui incumbit, necessario distrahit, dum pugnat cùm illis, qui ea detrahunt. Ita pudicus athleta, cùm animaduertisset, ex iis etiam, quæ corporis vsui sunt necessaria, se per vim ad voluptatis amplexus trahi, cum sciret, opus fore, vt cum domina, quæ tenere se, & vim afferre posset, nudus coiret, relicto in manu eius pallio aufugit, & egressus est foras, tãquã in virtutis paradiso nudus ambulans, primum illum parentem nostrum imitatus, qui præclarum nuditatis munus à Deo cóceßum obtinuit, quoad per contumaciam in vestimentorum necessitatem incurrit. Quandiu enim restitit aduersariis suadétibus, vt Dei mandatum violaret, nudus, vt luctator in stadio stetit. Victus verò & seruus effectus, deposita simul cũ certãdi habitu nuditate, indutus est. Iccircò prouer-

Ephe. 6.

Gen. 36.

biorum auctor si pugilē alloquitur. Exue vestimentum tuum, accessit enim. Nam quoad extra stadium fuit, meritò vestimentis non decertantiū vtebatur, pugnandi fortitudinem sub rerum sensilium tegens indumentis. At vbi in stadium introiuit, vestimenta deposuit. Nudum, immò verò & vnctū oportet certare. Nuditas enim facit, vt ab aduersario luctator apprehendi non possit. vnctio autem, vt siquando fuerit apprehensus, elabatur. Propterea luctatores puluere aduersariis conantur aspergere, vt olei leuitatē iniectu pulueris exasperent, atque ita faciliùs eos apprehendere valeant. Iam quod illic est puluis, id in nostro certamine est terrenis in rebus occupatio. Et quod illic est oleum, hìc est quietis studium ab omni sollicitudine vacuum. Et quemadmodū illic qui vnctus est, facilè vitat, quas ipsi vocāt, apprehensiones, sin puluerē admiserit, ægre colluctantis declinat manū: ita hic qui nulla de re sollicitus est, difficilè capitur à Diabolo, quòd si occupatus sit, & sollicitudine, tanq̃ puluere, mentis exasperet tranquillitatem, ex illius manu haud facilè effugiet. Animus perfectus, ab omni est sollicitudine vacuus. Impius sollicitudinibus teritur. De animo perfecto dicitur: Lilium est inter spinas. Hoc nanq; illum inter curas tranquillè degentē indicat. Lilium enim & in Euangelio quietum animum ac minimè sollicitum significat. Nō laborat, inquit, neq; net, & tamen maiore, quàm Salomon gloria circūdatur. De illo autē, qui magnam in rebus corporeis curā & sollicitudinē ponit, scriptum est: Tota impii vita in sollicitudine. Etenim verè impium est, totū vitæ spatiū in corporis negotiis consumere, & nullum in rerū futurarū cogitatione studiū collocare, & corpori, cuius necessitati facilè potest satisfieri, omne tempus impēdere: animo autem, cui proficienti tam multa sunt necessaria, vt vix tota vita sit satis ad perfectionē assequendā, ne successiua qui-

Cant. 2.

Matt. 6.

dem tempora impertiri. Ac si quid etiam ei aliquan do temporis tribuimus, id segniter admodum ignaueq; facimus, rerum terrenarū specie capti ac deliniti. Nobis enim idem accidit, quod illis, qui amore meretricum turpissimarū insaniunt. Illæ enim cùm naturali careāt pulchritudine, adulterinā assumunt, atq; ita fœditatem suam tegūt, & amantium oculos decipiunt. Semel enim rerū præsentium vanitate superati, materiæ turpitudinē affectione decipiēte, cernere non possumus. Et icircò, eo, quod necessitatis vsus exigit, minimè contenti, saturitatē vitæ ignominiosam adiunximus in variis possessionibus conquiescentes. Nec videmus possidendi mensurā corporis necessitate circunscribi, & quod eam excedit, nō vsui esse, sed dedecori. Vt enim tunica corporis quadrās magnitudini, vtilitatem affert & ornamentum: quę autem vndiq; circunfluit, & pedibus implicatur, & humi trahitur, præterq̄ quòd turpis est, agenti etiam est impedimento: Sic possessio corporis necessitate maior & ad virtutem tendentes impedit, & valde vituperatur ab iis, qui naturā hominis rectè metiūtur. Non igitur audiendi sunt, qui rerum sensilium amore decipiūtur, nec temerè sequendi, qui cùm rerum cœlestium gustum nō habeant, ad terrenas sunt propensiores, tanq̄ recta ratione ducti id faciant. Horū enim in rebus expendendis iudicio vti perinde est, ac si ad discernēdos colores, cæcos homines adhiberemus, aut surdos in musicis ad sonos diiudicandos. Cæci enim sunt, & maximè necessariis rationis oculis capti, quibus honesta à turpibus, vtilia a cōtrariis discernūtur. Vnus ex his erat Acham filius Charmi, qui cōfessus est Iosue, se in tabernaculo vitæ abscondisse, quæ furto abstulerat, & argētū sub iis, fossa humo, operuisse. Qui enim varia & splēdida materię opera magnificiēda existimat, rōnē verò sub his defodit, is, vt animalia bruta, sensibus cedit & indulget. Iof.7.

Nam ex principatus solio rationem in subiectorum immo verò damnatorum ordinem redigit. Etenim si ratio in sua dignitate sedés de rebus istis iudicasset, iustã & rectam tulisset sententiam, impetumq; ad falsa ac decipientia currentem damnasset. Honestũ igitur est ac laudabile, intra necessitatis terminos se continere, eosq; minimè transilire. Siquis enim cupiditate ductus, ad ea, quæ in vita iucunda sunt paulisper deflexerit, nulla deinde ratione retineri poterit, quominus ad vlteriora progrediatur. Cùm enim vsui ac necessitati præscriptos fines excesser s, nullus amplius terminus inuenitur. Sed omnia vasta, atq; infinita, vt inani labore cupiditas non expleatur, sed assiduè magis augeatur, instar flammæ, quæ quò plus materiæ suggeritur, eò fit maior. Qui enim semel naturalis necessitatis terminos transierint, in vita solutiore liberiùs progredinuntur, ac pani quidem iucundum aliquod obsonium adiiciunt, aquæ autẽ primò tantulum vini, quod valetudini, deinde quod voluptati satisfaciat. In vestitu non cõtenti iis, quæ ad tegendum sunt necessaria, primùm lanas emunt excellentiores, & velleris eligunt florem. Deinde transeunt ad mixta, quę ex lino & lana cõtexta sunt. Mox serica cupiunt, & ea primò quidem simplicia, tum prœliis, & animalibus, atque historiis distincta. Vasa argentea aureaq; conficiunt, quæ non conuiuiis solùm satisfaciant, sed animalibus etiã, & lectulis abundè sint ornamento. Verùm quò progredi importuna longius potest ambitio, cùm ad fœdissimos quoque vsus adhibeatur? Neque enim corporis sordes in vasa dignantur excernere, quæ ex alia materia, quàm ex argento sint conflata. Hæc omnia sunt præter naturam. Victus enim secundum naturam idem nobis atque animalibus præfinitus est ab ipso rerũ omniũ procreatore: Ecce, inquit Deus, cùm hominem alloqueretur, dedi vobis omnem herbam agri, vt sit vo-

bis in escam & cunctis animalibus. Cùm igitur communé cum cæteris animalibus escam acceperimus, & ad delicias & luxum conuersi sumus, nónne magis, quàm illa, rationis expertes meritò possumus iudicari? Ferę intra naturę terminos manent, neque recedũt à Dei præcepto: nos, qui ratione prędιti sumus, prorsus à prima Dei constitutióne declinamus. Quę feris sunt obsonia? quæ condimenta? quæ coquorũ artes earum voluptatibus obsequuntur? Nónne pristina frugalitate contentæ herbis vescuntur, & aquã bibunt? Quamobrem voluptates, quæ sub vẽtre sunt, minuunt, nec vllo pingui cibo earum cupiditatem inflammant, nec vllum vnq̃ maris, aut fœminę discrimen norunt. Vnum.n. atq; idem anni tempus hunc vtrisq; sensum mouet, cùm ad similes gignendos fœtus, conseruandi ac propagandi generis causa, naturæ lex mutuos illis cõgressus inuenit. Reliquis autẽ temporibus ita separantur, vt nullum eiusmodi coniunctionis appetitum habeant. Hominibus verò ex ciborum luxu libido veneris insatiabilis tam efferatas cupiditates inseuit, vt nullo tempore quiescant. Proinde cùm magna ex possessionibus detrimenta proueniãt, & omnibus vitiis pestiferis pabulũ subministretur, causam hanc abscindamus, si bonæ animi valetudini consulere volumus. Paupertate curemus auaritiæ morbum. Hominum inutilium familiaritatem fugientes solitudinem amplectamur. Perniciosa est cùm vanis hominibus cõsuetudo. Quemadmodum qui in aere pestilenti versantur, in morbos incidunt necessariò: sic qui temerè cùm quibuslibet viuunt, in vitia illorum incurrunt. Quid amplius habent commune cùm mundo, qui mundo renuntiaue runt? Nemo militãs implicat se negotiis vitæ vt placeat ei, qui se militem delegit. Eiusmodi enim occupatio militaria impedit exercitia. Milites autem inexercitati, quomodo pugnantes peritorum impetũ

Gen. 1.

2. Tim. 2

sustinebunt?Quanq́ nos, si verum dicendum est, tam ignauè soluteq́; pugnamus, vt ne iacenti quidem hosti repugnare valeamus, sed stantes ab iis, qui ceciderũt, permittamus nos vinci. Quod enim quibusdã accidit propter auaritiã, vt dum mortuos spoliãt, post victoriã sæpe à iacẽtibus interimãtur, & turpis quæstus gratia post trophæa miserabiliter pereant ad iacentẽ hostẽ & spirantẽ appropinquantes: Vt enim illi mortuos hostes ob prędã excutiendo, sępe in semi necẽ aliquem incidũt, & clam letali vulnere accepto cadunt, gloriosamq́; victoriã temeritate fœdant: sic & nos cùm barbarum aduersariũ cõtinentia ac tẽperantia deiecerimus, aut videbimur deiecisse, tũc spoliorũ cupiditate capti, eorum nimirũ, quæ in pretio sunt apud homines, cuiusmodi sunt diuitiæ, principatus, bona valetudo, gloria, ad eũ accedimus, aliquid, quòd illius sit, detrahere cupiẽtes, atq; ita spontè in

Matt. 25. perniciẽ atq; interitũ ruimus. Sic interierunt quinque illæ virgines, quæ cùm aduersariũ pudicitia sustulissent, propter crudelitatẽ, quam auaritia parit, se ipsas in gladiũ coniecerunt illius, qui quòd iaceret, stantes interimere nequiuisset. Nihil igitur ex hoste cupiamus, ne cùm spoliis eius animã quoq; nostrã perdam⁹. Vocat enim & inuitat omnes ad ea, si

Matth. 4. cui valeat persuadere. Nã si Dominũ ipsum hortatus est, Hæc oĩa, inquiens, tibi dabo, si cadens adoraueris me; & his, quę in hac vita iudicãtur preclara, nihil eis indigentẽ decipere conatus est: quãtò magis homines infirmos & pronos ad ea perfruẽda, quæ sensibus sunt obnoxia, se decepturũ sperabit? Mens igitur ad pietatẽ est exercẽda. Nã corporis exercitatio ad mo

1. Ti. 4. dicũ vtilis est, nempe disciplinis puerilibus similis. Pietas verò ad oĩa vtilis est. Animi enim robur corfirmat iis, qui de vitiis cupiũt victoriã reportare. Sicut enim qui ad ludicra se exercẽt spectacula, corporis artus mouere decet assiduè, viris autẽ luctatori-

bus cõuenit, vires ad pugnandũ idoneas parare, seq́; ad sacra certamina vngere: Sic q pietatis stadiũ ingrediuntur, principiò curẽt, vt opera mala declinẽt. Satis.n.est, si vitia superant, qui œstro voluptatũ, in quibus sunt innutriti, cõcitantur, & spontè propemodũ mala trahente cõsuetudine, ruunt in peccata. At qui in agẽdo virtutis habitum sunt assecuti, & mẽtis contemplationi vacãt, omni studio cauere debẽt, ne inordinato aliquo motu ratio ad inutilia distrahatũ. Deniq; sicut illis curãdũ est, vt corporis impetus cohibeant, sic his rationis motus ita sunt tẽperandi, vt cõcinnè ad vitã homine sapiẽtiæ studioso dignã dirigãtur, ne vlla mũdi cogitatio à diuinis meditationibus animũ auertat. Oportet enim, vt Dei cultor omni studio in eius amorẽ ita feratur, vt nulla humana cogitatio tẽpus vllũ inueniat, propriis cupiditatibus indulgendi. Si enim quælibet cupiditas, cũ in eo, quẽ possidet, mouetur, rationẽ tanquã cõpedibus vinctã cõtinet: cur nõ virtutis amor animũ ab omni alia cogitatione remotũ cõtinebit? Quẽ enim ira percitus aliarũ rerũ sensum habet, cùm in eo, à quo lęsus est, vlciscendo cogitatione defixus sit? Quẽ pecuniæ cupidus, cùm animũ ad lucrum aliquod intendit? Quid impudicus, nónne sæpe in hominũ corona sedens ita speciẽ concupitã mente cõplectitur, vt cũ illa loquatur, pręsentiumq́; oblitus, tanq̃ statua, mutus atque immobilis manet, nihil eorũ audiens, aut videns, quę in auribus & oculis eius dicũtur, aut fiũt, sed intẽtus iis, quæ intus gerũtur, totus hæret in ea cogitatione? Animã eiusmodi fortè lex mẽstruatã appellat, quando procul à sensibus sedẽs propriã sistit actionẽ, nec extrinsecus omnino quicquã admittit, propter cogitationẽ fœdã, qua detinetur. Si hęc rationi ita dominãtur, & sic eã afficiũt, vt sensus inertes à suis cessent actionibus: quantò magis sapientiæ studiũ & amor mẽtẽ à rebus sensilibus, & ab ipsis sensibus abstractã

rapiet in sublime,& rerũ cœlestiũ cõtemplatione fixam retinebit? Quemadmodũ enim qui secatur,aut vritur, præ doloris magnitudine non potest ab eo, quod fit, cogitationẽ auertere: Ita qui perturbatione aliqua torquetur,nõ potest inde cogitationẽ auocare:perturbatio.n.rationẽ ad se totã rapit,& in natură propriã conuertit.Voluptas dolorẽ non admittit, nec letitiã mœror, neq; tristitia hilaritatẽ,aut cõtrà. Nã inter se coniũgi nequeunt affectiones contrariæ, neq; in idẽ vnq̃ cõcurrũt,aut cõciliantur,quippe quę naturali dissidẽt inimicitia. Virtutis igitur splendor terrenis cogitationibus ne coinquinetur,neue contemplationis synceritas corporeis sollicitudinibus ꝑuertatur,vt imago veræ philosophiæ propriã retineat pulchritudinẽ,neq; à linguis temerarius vituperetur,aut ꝓpter describentiũ imperitiã derideatur, sed laudetur,si minus ab hominibus,ab Angelis certè, & à Domino Iesu Christo, à quo & viri sancti laudẽ
Psal.21. quæsiuerũt.Vt magnus ille Dauid,q̃ humana gloria
Psal.33. cõtempta,laudẽ à Deo requirebat,A te,inquiẽs,laus mea.Homines enim inuidia plerunq; vituperãt,quę honesta sunt. At in cęlesti theatro res incorruptè iucantur,& veritas oĩbus suffragiis cõprobatur.Hoc ergo theatrũ,qđ delectare necesse est, bonis operibus oblectemus.Homines verò,q̃ nec piè viuẽtibus pręmia tribuere, nec impiè vitã traducentes suppliciis afficere possunt,si per inuidiam virtutis operibus vitiorũ nomina imponentes,vitã Deo atq; Angelis approbatã fictis calumniis & maledictis fuerint insectati,ne moueamur. Eos enim qui bene vixerint,in tẽpore retributionis, non ex hominũ opinione, sed ex bonorũ operum veritate sequentur præmia sempiterna, quibus vtinã nobis omnibus liceat frui per gratiã benignitatẽ Dñi nostri Iesu Christi,cum quo, Patri gloria simul cũ Spiritu sancto,nunc,& semper, & per immensa,atq; infinita sæculorũ secula. Amen.

SANCTI

SANCTI NILI ABBATIS
Ad Monachos Institutio.



ICTVS intemperantiam ieiunium tollit, carnis lasciuiam amputat continentia atque precatio.

Auaritiã, quæ mater est idolatriæ, paupertas cohibet volũtaria: spes autem in Christum corpoream aufert sollicitudinem.

Animum errantem dirigit diuinarum lectio scripturarum cum vigiliis & orationibus: iracundiæ verò impetum patientia mitigat, psalmorumq; cantus.

Acediam sedant tolerantia & lacrymæ, mundi tristitiam coercet odium voluptatum.

Hospitalitatẽ amplectitur humilitas, & principatus excellentiæq; despectus: antiquum autẽ, & Domino inuisum superbiæ malum, cui Deus etiam aduersatur, cohibet summissa illa hoĩs de se opinio, qua se terram & cinerem agnoscit. Atq; illa itẽ consideratio, Nisi Dominus ædificauerit domũ, in vanum laborare, qui eam ædificare conatur & custodire. Psal. 126.

Vt aqua turbata nisi cõsistat, fluere nequit, ita monachus constitui sine quiete non potest.

Quemadmodum pugil nisi certauerit, non coronatur: ita sine certamine Christianus esse nõ potest.

Quemadmodum lances si grauius in altera pondus sit, æquales esse non possunt sic Dei mandata, si carni ratio cedat, nequeunt obseruari.

Quemadmodum nisi adhibita diligentia, ars nulla percipitur: sic orationis fructum, nisi in cordis rectitudine Deo vaces, assequi non poteris.

Qui puræ orationis præsidio munitus non est, is armis in bello caret.

Qui Dei virtutibus ornatus instructusq; non extiterit, is Dæmonum erit domicilium.

Vt in sordida pauperis casa Regem habitare non decet: ita Christus in anima peccatorum sordibus

contaminata non habitat.

Vt ager incultus atq; siluestris agriculturæ diligétia mansuescit: sic animus peccatorum sentibus horridus diuinæ legis studio purgatur atq; excolitur.

Vt saxum in mari quamuis fluctibus vrgeatur, non tamen frangitur, sed firmum atq; immobile manet: sic animus virtutibus excultus & confirmatus, licèt Diaboli prematur insidiis, non opprimitur, nec de constantiæ proposito dimouetur.

Quéadmodum medicus congruenté morbo medicinã adhibet: sic q Dei cognitione pditus est, docet, qũo pellatur animi ægritudo, & sanitas conseruetur.

Quéadmodum torrens sibi ipse per præceps aditũ patefacit: sic & peccator sibi ipse per scelera ruẽs parat interitum.

Vt ceruus in plagas incurrens haud facilè põt ex illis effugere: sic qui in mũdo cupiditatibus indulget, difficile põt se è peccati laqueis explicare. Prauæ.n. cupidines & voluptates catenæ sunt insolubiles.

Vt vitis, nisi fructus bonos ferat, exciditur, ne frustra solum occupet: sic quicunque Spiritus sancti fructus non producit, à Domino eradicabitur.

Vt is, qui sagitta percussus est, læditur necessariò: sic monachus, quem improba inuasit cogitatio, necessariò vulneratur.

Vt qui recta via relicta, errat in aliena regione, quò tendat, ignorat: sic qui in vnius & eiusdem essentiæ Trinitatem non credit, in errore versatur.

Quéadmodum si quis multas in partes diuidaẽ, natura tamen est vnũ: sic & sancta Trinitas, licèt & noĩbus, & personis distinguatur, natura tamen est vna.

Dei naturam assequi non vales, ne si volatu quidem & alis feraris: est enim noster pcreator Deus, & iccirco à nobis comprehendi non potest.

Quéadmodum vas figuli naturã & principiũ ignorat: sic hõ nequit Dei naturã, & principiũ intelligere.

Curiosiùs noli Trinitatē scrutari, sed crede tantū, & adora. Qui enim curiosiōs scrutatᷣ, non credit.

Sapientiam non argentū possidete. prǽclarū Christi Dñi nostri vestimentū omni veste purpurea splendidiꝰ induite. Nā in die mortis nihil diuitiæ ꝓderūt.

Vt ignis syluā exurit, sic peccatores igne cōburentᷣ sempiterno. nullum enim habebit finē, cùm illa, quæ comburentur, æterna sint.

Nihil magnū faciemus, si iusti euadamus: id enim erimus, quod initio eramus, cùm à Deo fuimus procreati, nempè valdè boni.

Qui præter naturā viuit, Dei mandata nō seruat.

Omnis sapiētia in eo sita est, vt Deum timeamus. Nam quæ Domini legem disciplina non docet, stulta atque insipiens est.

Ab æterno igne non liberabit te fides, nec baptisma sine iustitiæ operibus. Si enim Christo mandata eius te seruaturum promisisti, & quæ futura sunt, credis, ad gloriā contende sempiternam, & flammeum gladium pertimesce. Quod si Dei mandata non obseruas, ne te fidelem dicas esse. Omnes res procreatæ Dei mandato parent. homo autem illi, per quem facta sunt omnia, non obtemperat.

Si nos integros sanctósque seruabimus, nihil commodi afferemus Deo, sed vitam nobis ipsi parabimus, & bonis illis, quæ verbis explicari nō possunt, perfruemur.

Ne dixeris, te vel à patre, vel à matre, vel ab vxore, vel à liberis, aut quouis alio impediri, quominus Dei mandatis obtemperes: neque enim illi te ab imminenti ira, & à perpetuo verme liberabunt. Quisquis autem ab obseruatione mandatorum Dei, virtutumque studio te reuocat, is tibi sit execrabilis, ac detestandus; cum eiusmodi enim ne cibus quidem capiendus est.

EIVSDEM SANCTI NILI ABBATIS
ADVERSVS VITIA
ORATIONES VIII.

De Gula Oratio prima.




RINCIPIVM flos est proficiendi. Et rectè viuendi principium est tēperantia. Qui ventrem cohibet, voluptatis vim frangit: qui autem cibis indulget, incitat cupiditates. Gentium princeps Amalec, & cupiditatum dux est ingluuies. Ignis materies sunt ligna, ventris autem cibi. Lignorū copia ingens excitatur flamma, & ciborum multitudine voluptatis incendium adaugetur. Deficiente materia ignis extinguitur, & ciborum inopia cupiditas coercetur. Qui gulam domuit, is alienigenas superauit, & manū suarum vincula facilè disiecit. Deuicta gula fons aquæ gignitur, & ingluuie oppressa cōtemplationis vsus acquiritur. Tabernaculi clauus gulam aduersariam tollit, & continētiæ ratio cupiditatem interficit. Appetitio cibi peperit inobedientiam, & gustus iucunditas eiecit hominem è paradiso. Ciborum magnificentia ita gulam oblectat, vt insomnem lasciuiæ vermem nutriat. Venter esuriens orationi vigiliam subministrat, plenus autem somnū adducit. In victu parco fit animus prudens, in lauto mens in profundū demergitur. Sobrii oratio volat vt aquila, ebriosi autem crapula grauis humi repit. Ieiuni mēs vt stella sereno cœlo fulget, saturi verò tenebris oppressa iacet obscura. Nebula Solis radios tegit, & ciborum multitudo mentis splendori caliginē offundit. Speculum inquinatū accedentis faciem nō exprimit, & animus crapula contaminatus Dei notitiam non admittit. Ager incultus spinas gignit, & animus gulosi fœdas parit cogitationes. In cœno non licèt aromata reperire, neque in guloso contemplationis

ſuauitatem. Oculus guloſi conuiuiis inhiat, ſobrii verò ad conſilia ſapientum aſpirat. Animus guloſi Martyrum memorias numerat, ſobrii autem vitas eorũ imitatur. Miles ignauus ad ſonitum buccinæ præliũ indicantis exhorreſcit, & homo guloſus ſermone ad ieiunium & temperantiam cohortante cõtremiſcit. Gulæ deditus ac ventri obnoxius monachus, ne verberibus quidem curſum diurnum abſoluit: at temperantiæ ſtudioſus, quemadmodum viator expeditus celeriter ad ciuitatem, ſic ipſe ad animi pacẽ & quietem peruenit. Viator tardus ac piger in ſolitudinẽ deprehenſus ſub dio cõmorabitur, & monachus indulgens gulæ ad tranquillitatis hoſpitium non accedet. Vapor incenſi per aera diffundit odorem ſuum, & oratio hominis temperati ſuauiſſima aſcendit in conſpectu Dei. Si te ipſum dederis ciborum cupiditati, illam explebis nunquam: eſt enim velut ignis, qui quantò plus materię ſuſcipit, tantò magis eſurit. Vas, cùm id, quod capere poteſt, acceperit, impletum eſt: venter autem, quamuis diſrumpatur, ſibi ſatis eſſe non dicet. Manuum Moſis ſublatio Amalec in fugam conuertit: & monachi honeſtis in rebus occupatio carnis cupiditates expellit. Abiice quicquid malitiam ſpirat, & membra carnis tuæ mortifica vehementer. Nam vt hoſtis ſublatus terrorem amplius non affert, ſic corpus mortificatum animam nõ perturbat. Vt cadauer ignis ardorem non ſentit, ſic qui voluptati mortuus eſt, cupiditatis incendio minimè commouetur. Si percuſſeris Aegyptium, in ſabulo illum abſcõdito: & victa cupiditate corpus ne pinguefacito. Quemadmodum enim quod in terra fœcunda cõditum eſt, erumpit, & naſcitur: ſic in pingui corpore cupiditas reuireſcit. Extincta flamma, ſi materiam aridam adhibueris, rurſum accenditur: ſic in ciborum ſatietate iam edomita voluptas excitatur. Noli corpus ob debilitatem querulum miſerari, aut cibo-

rum copia pinguefacere, nam si vires recuperabit, in te consurget, teque tandiu bello vexabit, quoad animam tuam captiuam reddat, luxuriæq; dominationi subiiciat. Equus bene frænatus, corpus inedia domitum. Vt enim ille fræno cedit, & equitis paret imperio: sic corpus fame vigiliaq; subactũ rõnis obtẽperat voluntati, nec cupiditatis impetu lasciuiẽs reluctat.

De Luxuria. *Oratio. II.*



PVDICITIAM parit temperantia, gula mater est impudicitiæ. Lucernæ flammam oleum nutrit, & libidinis ardoré accendit consuetudo fœminarũ. Vndarum impetu nauis malè instructa periclitatur: & verborum impudicorum vi mens imparata peruertitur. Libido gulam sibi sociam assumit in bello, vt eius auxilio atque insidiis tandẽ expugnet aduersarios. Inimici iaculis inuulnerabilis est, qui solitudinem diligit. Qui autem in multitudine versatur, assiduis vulneribus afficitur. Mulierum aspectus sagitta veneno illita, quæ ferit animum, & venenum immittit, & quo diutius manet, eò magis vulnus computrescit. Qui vitare cupit eiusmodi vulnera, is à publicis spectaculis abstinebit, neque in celebritatibus versabitur. Satius est enim vt domi maneas, quàm dum putas te celebritates venerari, in manus inimicorum incidere. Si vis pudicè viuere, mulierum fuge familiaritatem, nec aditum illis ad te liberum permitte. Principiò enim religionem & verecundiam præseferunt, mox impudenter audẽt omnia. Cùm primũ adeunt, oculos humi defixos tenent, modestè loquuntur, pias effundunt lacrymas, in gestu sunt graues, & acerbè suspirãt, de castitate quærunt aliquid, atq; audiunt diligenter. Cùm iterũ accedunt, oculos sublimiùs tollunt. Tertiò nulla pu-

doris habita ratione irruunt. Si paululum lubrifisti, & illæ cachinos edunt. Ornantur deinde, ostentantque se iam liberè, & vultus ornatu, quid in animo lateat, indicant, intendunt supercilia, & palpebras circumuoluunt, collum aperiunt, & toto corpore delicias agunt. Mollibus vtuntur verbis, & dulci vocis sono auribus blandiuntur, donec animam tuam planè diripiant, & deprædentur. His veluti hamis atque esca ad mortem raperis imprudens his retibus & variis plagis captus traheris ad interitum. Caue, ne te blandis sermonibus irretiant. Pestiferum enim illis venenum inest. Ad ignem potius ardentem quàm ad mulierem iuuenem iuuenis appropinqua. Nam si ad ignem accesseris, dolore affectus celeriter resilies: At si fœminæ verbis incensus fueris, haud ita facilè recedes. Florent olera propter aquam sata, & libidinis semina familiaritate mulierum excitantur. Qui vétrem cibis explet, & se castè victurum profitetur, ei similis est, qui dicit, in stipula se flammæ impetum fræno cohibiturum. Quemadmodum enim furor ignis in stipula sæuiés coerceri non potest: ita luxuriæ vis in corpore cibis distento percurrens retineri nequit. Columna innititur basi sua, & libidinis vitium in satietate requiescit. Nauis tempestate iactata portum quærit, & viri pudici anima expetit solitudinem. Vt enim illa fluctus maris naufragium minitantes fugit, ita hæc mulierum aspectus perniciem afferentes vitat. Facies mulieris exornata quauis procella perniciosior est: ex hac enim quisque desiderio vitæ studet euadere: fœminæ verò species ita decipit, vt vitam etiã contemnere persuadeat. Vt rubus in solitudine ab ignis flamma non est combustus, sic homo castus à mulierum conuictu recedens ardore libidinis non exuritur. Nam vt ignis recordatio mentem non vrit, ita cupiditas absente materia nihil potest. si te

hostis misericordia ceperit, is aduersum te consurget,& si cupiditati peperceris, te adorietur atq; oppugnabit. Mulieris aspectus impudicum allicit ad voluptatem: pudicum verò ad Deum laudandum adducit. Si in mulierũ familiaritate cupiditas animum nõ commouerit, ei tamen tu minimè fidas. Canis enim, qui multitudini abblanditur, egrediens irruit,& insitam improbitatem ostendit. Cùm te mulierũ recordatio nihil læserit, scito te ad pudicitiæ culmen peruenisse. At cùm imagines earũ & simulacra sic in animo tuo obseruabuntur, vt eum ad cogitandũ de specie & membris illarum excitent, tunc à virtute abesse te puta quàm longissimè. Noli diutius in eiusmodi cogitationibus immorari, neq; mulierum formas animo considera. Hoc enim vitium subinde reuertitur,& in propinquo periculum manet. Ignis moderatus argẽtum expurgat, immoderatus ac nimis diuturnus consumit. longior item de mulieribus cogitatio castum animũ corrũpit. Caue ne diu ante mentis oculos mulieris species obseruetur, ne cupiditatis ignẽ accendat,& animæ tuæ aream exurat. Quẽadmodum enim scintilla inter paleas diutius morãs excitat flammam: sic diuturna de mulieribus cogitatio cupiditatem incendit.

De Auaritia. *Oratio.* *III.*



AVARITIA malorum est omnium radix, & reliqua vitia tanq̃ ramos improbos nutrit, nec quæ ex se pullulãt, ea sinit, arescere. Qui vitia cupit excindere, radicem euellat. Licèt enim reliquos amputes ramos, manente auaritia nihil proficies: nam iterum renascentur. Monachus qui multa possidet, est veluti nauis onerata, quæ in fluctuum tempestate facilè submergitur, quemadmodum enim illa singulis vndis aspergitur, sic opu-

lentus ſollicitudinibus opprimitur. Monachus, qui nihil poſſidet eſt veluti viator expeditus, qui tectũ vbique reperit. Monachus pauper eſt tanq̃ aquila in ſublime volans, quæ tũc ad eſcam ſeſe demittit cum vrget neceſſitas. Qui talis eſt, omnes ſuperat tẽtationes, præſentia deſpicit, & quę futura ſunt animo cõplectitur: à terrenis recedit, & in cœleſtibus verſatur. Alas enim leues habet, & nullis onuſtas ſollicitudinibus. Si calamitas inuadit, loco cedit ſine moleſtia. ſi mors aduenit, æquo animo migrat è vita. Nullo enim terreno vinculo anima eius obſtricta eſt. Diues autem ærumnis & moleſtiis impeditur, & canis inſtar catenis deuinctus eſt. quòd ſi migrare compellatur, diuitiarum memoriam & dolorẽ inutilem tanq̃ grauem ſarcinam circumfert, mœrore ſtimulatur, & animo angitur vehementer. Diuitias reliquit, & moleſtia torquetur. Si mors inſtat, à præſentibus diſcedit iniquo animo. Animam agit, nec oculos ab opibus auertit. Inuitus trahitur veluti ſeruus fugitiuus. A corpore, non autem à diuitiis ſeparatur, immò verò ab illis rapitur & detinetur. Nec multitudine fluminum mare, nec diuitiarum copia auari animus expletur. Pecuniã duplicauit, & eam rurſum ſtudet duplicare, nec à duplicandi augendiq; ſtudio deſiſtit prius, quàm inane ſtudiũ ipſius mors interrumpat. Prudens monachus corporis conſulet neceſſitati, & pane atq; aqua uentri ſatisfaciet. Propter ventris voluptatem diuitibus non adulabitur, nec animi libertatem multis Dominis ſubiiciet. Manus enim idoneę ſunt, quæ corpori ſeruiãt, & quæ naturę ſunt neceſſariæ, ſubminiſtrent. Monachus, qui nihil poſſidet, eſt pugil inuictus, & curſor leuis, qui vocationis brauium celeriter aſſequitur. Monachus auarus cumulari prouentibus gaudet: pauper autem ſpiritu, coronari virtutũ officiis & rectè factis. Monachus auarus laborat vehementer: pauper ſpiritu precibus &


lectionibus incumbit. Monachus auarus auro studet arcam implere. pauper spiritu thesaurum in cœlo reponere. Execrabilis est, qui facit idolũ, & in abscondito ponit: Huic similis est qui auaritiæ vitio laborat. Vt enim cultor idoli numen adulterium & inutile veneratur: sic auarus vanam diuitiarum imaginem animo complectitur, & colit.

De Ira. Oratio. IIII.


RA furori atq; insanię affinis est, perturbatio efferatos animos reddit, & ab hominũ cõsuetudine aba lienat. Vehemẽs ventus nõ mouebit turrim: nec animũ ab iracundia alienũ cõcutiet indignatio. Aqua vẽtorũ impetu cõmouetur, & iracundus imprudẽtibus cogitationibus perturbatͬ. Monachus iracundus aper syluestris: videt aliquẽ, & dẽtes exacuit. Aerẽ caligo crassiorẽ efficit, & iracũdi animũ obtundit indignatio. Solis radios nubes intercipit, & hoĩs rationem memoria impedit iniuriarũ. Leo frequẽter in cauea cardines mouet: & iracundus in cella versat iræ cogitationes. Tranquilli maris aspectus iucũdus est, sed pacifici animi status lõgè iucũdior. sedato enim mari dephines insultant, animo autẽ pacifico diuinis de rebus cõtemplationes insidẽt. Monachi mãsuetudo fontis instar amœni, iucũditate cunctos aspergit: iracũdi autẽ acerbitas tanq̃ aqua turbata cœnoq; oppleta nulli⁹ sitim valet extinguere. Iracundi hominis oculi horribiles & cruẽti perturbatę mẽtis indices sunt: mãsueti verò vultus trãquillus & oculi iucũdi recta intuentur. Vir mãsuetus in pretio est apud Deũ, & animus ab iracũdia alienus tẽplũ est Spiritus sancti. In spiritu mãsuetudinis Christ⁹ caput inclinat, & mẽs pacifica sanctę Trinitatis est domiciliũ. In animo vltionis cupido vulpes inhabitãt, & in

corde iracũdo & perturbato feræ nidos efficiũt. Vir grauis à turpi abhorret hoſpitio, & Deus ab animo iracũdo. Lapis in aquã coniectus eã perturbat, & hominis mẽté ſermo malus. Expelle ab animo tua iracundiç mot⁹, & indignatio ne reſideat in corde tuo, & ne turberis in tẽpore precationis. Quemadmodũ enim palearũ fumus offendit oculos, ſic iniuriarum memoria precationis tẽpore mẽtẽ peruertit. Iracundæ cogitationes tãquã viperæ fœtus cor, vnde ortæ ſunt, extẽdut: Iracundi ꝑcatio thus fœtidũ ac deteſtabile, & pſalmorũ decãtatio ab iracũdo proueniẽs inuiſa atq; execrabilis. Munus illius, qui vltionem aĩo voluit, tanquã hoſtia verrucis plena ad altare nõ admittit. Homo iracũdus in ſomnis ſpectra cernit horrẽda, & ferarũ incurſus cogitat: Vir mãſuetus in quiete fruitur Angelorũ cõſuetudine, & ſermones verſat ſpirituales, & in nocte ꝑcipit myſteriorũ ſolutiones.

De Triſtitia. Oratio. V.




SPIRITVS voluptatẽ ignorat Monachus, qui ſe triſtitiæ dat. Eſt autem triſtitia, animi contractio & mœror ab iracundia proficiſcẽs. Cùm enim iracundus ab vltionis, quam appetit, ſpe depulſum ſe videt, triſtatur & mœret. Triſtitia leonis eſt os, quod hominem mœſtum facilè deuorat. Animi vermis triſtitia eſt, qui parentem exedit. Doloribus afficitur mater, dum filium parit, ſed poſteaq̃ peperit, non dolet amplius. Triſtitia vero & in ipſo partu dolorem affert, & poſteaq̃ nata eſt vehementer excruciat. Vt ille qui febri magna laboret, mellis dulcedinem non ſentit, ſic Monachus, qui ſe triſtitia ſinit opprimi, ſpirituum eſt expers conſolationis. Monachus triſtis non excitat animũ ad contemplandum, nec puras vnq̃ effundit preces.

Omnibus enim rebus bonis tristitia est impedimento. Vt vincula pedes à cursu prohibent, sic tristitia mentē auocat à contemplatione. Qui capiuntur à barbaris ferreis compedibus vinciuntur, & qui superantur à cupiditat bus, tristitię vinculis coercentur. Nihil roboris habet tristitia, nisi reliquæ adsint perturbationes: quemadmodum nec vincula quicq̄ possunt, nisi adsint, qui illa admoueant. Qui tristitia obstrictus est, is victus est à perturbationibns, & tristitiæ vincula circunfert, tanq̄ indicia calamitatis suę. Tunc enim præsto est tristitia, cùm id, quod appetebat caro, consequi nō potuit. Appetitio omnibus inest perturbationibus. Qui vicit appetitum, is perturbationes superauit: & qui perturbationum est victor, is tristitiæ non succumbet. Vir temperatus ciborum penuria non tristatur: nec castus, quod libidinis nequeat indulgere, nec qui vitio caret iracundiæ, quod vlcisci se nō potuerit. Nec humilis dignitatumq; cōtemptor, quod ad honores humanos nō peruenerit. Nec ab auaritia alienus, quod iacturam aliquam fecerit. Quid ita? quia rerum eiusmodi cupiditates abiecerunt. Virum probè armatum minimè lędunt ictus iaculorum: & qui aduersus cupiditates munitus est, à tristitiæ aculeis nō vulneratur. Clipeo miles, & ciuitas muro defenditur, Monachus autē victis cupiditatibus vtroq; munitior est. Clipeus enim plerunque sagitta transfigitur, & oppugnantium multitudine murus suffoditur: At tristitiæ vis nihil in eum potest, qui domuit cupiditates. Qui verò succubuit voluptati, is tristitiæ vincula non effugiet. Qui tristatur assiduè, seque à perturbationibus liberū simulat, similis est ægrotāti, qui valere se fingit. Quemadmodum enim ex colore æger, sic ille agnoscitur ex tristitia. Qui mundum diligit, sæpe tristitia afficietur: qui autem contemnit ea, quæ in mūdo sunt, in perpetua lętitia versabitur. Auarus facta iactura vitā sibi acer-

bam putabit, qui autem pecuniã negligit, animo erit tranquillo. Ambitiosus dolebit ignominiæ, honoris despector eam vt sociam æquo animo suscipiet. Fornax argentum haud ita probum expurgat, & tristitia secundùm Deũ emundat cor peccatis contaminatũ. Ignis assiduus plumbum imminuit, & mundi tristitia mentem atterit. Oculorum aciem hebetant tenebræ, & cõtemplatricem animi vim obtundit tristitia. Aquæ profunditas Solis non admittit splẽdorem, & cor triste non exhilarat lucis cõtemplatio. Solis ortus, qui omnibus hominibus iucũdus est, displicet animæ in tristitia versanti. Vt gustus vim adimit febris, sic animi sensus aufert tristitia. Verùm qui mundi voluptates aspernatur, is à tristitia non opprimetur.

De Accidia. *Oratio. VI.*



NIMI debilitas est acedia, quæ sanè debilitas nec robur habet naturale, nec strenuè pugnat aduersus tentationes. Quod corpori sano valentiq; cibus est, idem est tentatio animo forti ac generoso. Plantas enutriũt venti, & tentatio confirmat animi fortitudinem. Nubes sine aqua à vento disiicitur, & animus patientiæ expers ab acedię spiritu dissipatur. Aeris ros auget fructum agri, & sermo spiritalis animæ statum fouet. Acediæ spiritus domo monachum extrudit, qui autem cõstans & patiens est, perpetuò quiescit. Aegros visendos proponit acediosus, sed propriæ desidiæ satisfacit. Monachus acediosus ad ministerium velox, & mandatum sua metitur voluntate. Plantam imbecillam inflectit aura tenuis, & peregrinationis cogitatio trahit acediosum. Arborem bene fixam non euellit impetus ventorũ, nec firmum animi propositũ flectit acedia. Monachus vagus, vt frutex aridus in solitudine pau-

lulum quiescit, & rursum vel inuitus commouetur, Planta quæ subinde trãsfertur, haud facilè coalescit, & monachus vagus virtutis fructũ non feret. Aeger vno cibo nõ est contentus, nec vno opere monachus accediosus. Homini libidinoso mulier vna non satisfacit, nec accedioso monacho vnica cella. Monachus accediosus oculos ad fenestras conuertit assiduè, & semper de inuisentibus cogitãt. Crepant fores, & ille exilit. Vocem audit, & per fenestram despicit, nec inde recedit prius, quàm desidés marcescat. Accediosus dum legit, idétidem oscitat, & somno facilè capitur. confricat palbebras, & manus extendit, oculos auertit à libro, atque defigit in pariete, eosq; rursum reuocans paulisper legit, & orationũ fines exciplicãs inaniter laborat, folia numerat, quaterniones recenset summissa voce, literarũ formas atque ornatũ improbat, tum plicat librũ & capiti supponit, ac somnũ dormit haud satis profundũ. Fames enim animũ eius excitat, & curas affert. Monachus accediosus ad præcandum est piger, nec de obseruationibus vnquam verba facit. Quemadmodum enim æger graue pondus ferre non potest, sic accediosus opus Dei non nisi negligenter facit. Vt enim illũ corporis vires, sic hũc animi nerui deficiunt. Accedię morbũ curabis patientia, & si feceris omnia diligẽter, & cũ timore Dei. In omni re gerẽda modum tibi prę scribe, nec prius ab opere desiste, q̃ illud absolueris. Assiduè & studiosè precibus incumbe, & accedię spiritus à te fugiet.


De Inani Gloria. Oratio. VII.



NANIS gloria, est animi perturbatio rationi cõtraria, quæ omnibus virtutis operibus facilè implicatur. Linea in aqua impressa cõfunditur, itidẽ labor in animo inanis gloriæ cupido.

Manus in ſinu latens fit candida, & opus abſconditũ luce nitet ſplendidius. Hedera ſic arborem complectitur, vt cùm altius ſeſe ſuſtulerit, radicem eius areſaciat: inanis gloria ſic iuxta virtutes naſcitur, vt nõ recedat prius, quàm vim illarum exciderit. Racemus humi iacẽs facilè putreſcit: & virtus inani gloriæ inhæres corrumpitur. Monachus inanis glorię ſtudioſus, eſt operarius ſine mercede, laborẽ ſubit, & mercedem non accipit. Dolium pertuſum non retinet, quę ſunt infuſa: & inanis gloria profundit virtutis prẹmia. Hominis gloria cupidi temperãtia veluti camini fumus in aera diffunditur. Pedis veſtigium ventus delet: & inanis gloriæ ſtudium perdit eleemoſynam Lapidis iactus nõ aſcendit cœlum, nec glorioſi hominis preces ad Deum perueniunt. Inanis gloria eſt veluti ſcopulus ſub aqua latitans, ad quẽ ſi nauẽ illiſeris, periiſti. Vir prudens theſaurum cẹlat, & monachus ſapiens abſcõdit virtutis opera. Vt in plateis ores, inanis gloria cohortatur: ſed qui ab illa eſt alienus, orat in cubiculo ſuo. Homo ſtultus palàm oſtentat diuitias ſuas, ex quo multi ad ſtruendas inſidias comouentur. Tu verò cùm inter latrones verſeris, abſcõde quæ tua ſunt, donec ad pacis ciuitatem peruenias, vbi rebus tuis tutò perfruaris. Virtus hominis glorioſi eſt victima mutila, quæ ad altare Dei nõ admittitur. Acedia robur animi diſſoluit, inanis gloria neruos addit animo Deum relinquenti, infirmos corroborat, & ſenes quouis adoleſcẽte fortiores efficit. Modò multi adſint teſtes eorum, quę fiunt, leue ieiunium videtur, vigilia facilis, atque preces. Laus enim multitudinis excitat animum, & alacrem reddit. Tu verò labores tuos ne vendas humanis laudibus, nec futili fama proiicias futuram gloriam. Laus enim humana in puluere domicilium habet, & gloria eius extinguitur ſuper terram. Vera autem & ſolida virtutis gloria manet in ſempiternum.

De Superbia. Oratio. VIII.



VPERBIA est animi tumor saniei plenus, qui si maturuerit in magnum erumpit fœtorem. Fulguris splendor tonitru sonitum prænuntiat, & inanis gloriæ præsentia superbiam indicat. Animus superbi valde tollitur in sublime, vnde preceps ruit in profundum. Superbiæ nidum struit, qui à Deo deficit, & viribus accepta refert, quæ rectè facit. Qui propriȩ confidit virtuti, non aliter, quàm si araneæ telam conscendat, humi delapsus affligitur. Fructuum multitudo ramos arboris inflectit, & virtutum copia sensum hominis humilem reddit. Fructus putris ingratus est agricolæ, & virtus superba displicet Deo. Ramum fructibus onustum palus sustentat, & animũ virtutibus ornatum timor Dei. Vt fructuũ onus ramos deiicit, ita superbiæ põdus animum opprimit virtutibus excellentem. Animũ superbiæ ne subiicias, & non videbis visa formidanda. Animus enim superbus à Deo deseruitur, & Dęmonum fit ludibrium. Noctu ferarum irruentiũ multitudinẽ cernit, & interdiu formidine perhorrescit. Dormiẽs frequenter exilit, & vigilans volucris vmbram timet. Foliorum strepitus superbum perterret, & aquæ murmur illũ examinat. Qui enim paulò ante Deo seipsum opposuerat, quiq; eius auxiliũ recusarat, rebus inanibus deterretur. E cœlo deiecit Archangelum superbia, & tanquàm fulgur fecit eum in terram decidere. Humilitas autẽ hominem in cœlum tollit, & inter choros collocat Angelorũ. Quid superbis, homo, cum sis lutũ, & putredo? Quid supra nubes extolleris? Considera naturam tuam. Nónne terra es, & cinis, & paulòpòst in puluerẽ reuerteris? Quid superbis mox vermium cibus futurus? Quid ceruicem erigis

gis,quæ breui putrefcet? Magnum quid videtur homo,cùm Dei adeft auxilium, à quo derelictus naturæ fuæ agnofcit imbecillitatem. Nihil habes boni, quod non acceperis à Deo. Cur igitur alienis rebus gloriaris vt tuis? cur Dei gratia tanquam propria poffeffione te iactitas? Eum agnofce, qui dedit, & ne admodum extollaris. A Deo creatus es, noli contemnere creatorē. A Deo beneficia accipis, noli benemērentem negligere. Ad fublime vitæ genus afcendifti, fed illè tibi dux extitit. Eum qui te fublimem extulit, confitere, vt in ea fublimitate permaneas. Proximum, qui eiufdem eft naturæ, qua tu, complectere. Noli ita effe arrogans, vt naturalem neceffitudinem neges. Abiectus eft ille, & mediocris conditionis, vtrunque tamen Deus procreauit. Abiectiorem defpicias hominem, caue. Tutius ille viuit, quàm tu. Humi repit ille, nec facilè cadit: Tu, qui fublimis incedis, fi cecideris, confringeris. Superbus Monachus, vt arbor fine radice, impetum venti non fuftinebit. Mens fuperbiæ expers eft tanquam vrbs munita, in qua tutus eft, qui inhabitat. Vis venti ftipulam iactat, & ftultitię impetus fuperbum tollit. Bulla fracta euanefcit, & fuperbi memoria deperit. Viri humilis fermo fomentū eft animi, fuperbi autem refertus eft arrogantia. Corona domus eft humilitas, & afcendentem feruat incolumem: cùm ad virtutum faftigiū perueneris, tum magna tibi opus eft cuftodia. Qui enim ex humili loco cadit, celeriter furgit, qui autem ex alto decidit, mortis adit periculum. Lapis pretiofus in aureo annulo decorus eft, & in virtutum corona inferta humilitas excellit.

Octo orationum aduerfus vitia finis.

EIVSDEM SANCTI NILI ABBATIS DIVERSA CAPITA.



EI timorem ac studium retine, & puro erga omnes vtere conscientiæ testimonio. Quicquid agis, Deum semper esse præsentem puta. Laudes fuge, & vituperationes erubesce. Lætare, cùm virtutem colis: sed noli gloriari, ne fortè naufragium in portu facias. Tantum à perfectione abesse te existima, quantum recedis à legis obseruatione. In omni negotio, priusquam illud aggrediare, finem expende. Noctes atq; dies extrema illa dies tibi ante oculos versetur, & nulla te cupiditas ad terram trahet. Eorum consuetudinem fugito, quos viris bonis inuisos esse senties. Nemini nec factis nec dictis sis impedimento, quominus se rectè gerat. Prospero vitæ successu ne gaudeas. est enim veluti flos, qui dum contrectatur, corrumpitur. In rebus aduersis Deo gratias age, & leuiùs feres. In tentationibus fortis esto. multi enim è numero præstantiorum in illis deficiunt. Dei patientiam ne incuses: communis enim est medicina. Odio prosequere inconstantiam vitæ, eiusque culpam in Deum ne côiice. Curemus quæ nostra sunt, & in alienis non erimus curiosi, Multa enim in nobis sunt, quæ in aliis reprehendimus. Psalmus sit frequens in ore tuo. Dei enim inuocatio Dæmones fugat. Præcationi atque ieiunio incumbe, vt à Deo, quod petis, impetres. Semper de Deo cogita, & mens tua cœlum cum Angelis fiet. Frænum oculis adhibe, ne proterui vagentur. Linguam coerce, profert enim ea plerunque, quæ satius fuerat abscondisse. Legis meditatione mentem exerce, eius enim assidua meditatio malas euellit cogitationes. Virtutes cela, & multos vitæ tuæ te-

ftes adhibe. Carnis fuge voluptates, corpus enim simul, atque animum coinquinant. Ventri non quæ desiderat, sed necessaria tantùm tribue. Delicias fuge, mundi enim amicitiam pariunt, sed inde nascitur inimicitia Dei. Huiusce vitæ lætitiam auersare, quæ tum ipsa perit, tum in ea sese oblectātes decipit. Diuitias si habes, distribue, si nō habes, ne congrega. Ieiunia sint arma tua, preces propugnacula, balneū lacrymæ. Omnia peccata tua cum gemitu recordare, sic enim assiduè animus pungitur, & mordet. Pauperes magnifacito: ipsi enim iudicem nobis propitiū reddunt. Necessitatibus Sanctorū cōmunica, per ipsos enim tibi conciliatur Deus. Ecclesiam vt cœlum adi, & nihil in ea aut loquere, aut age, quod terrā sapiat. Id quod naturæ satis sit, necessariū puta, deque hoc curam Deo cōmitte. Honestis laboribus carnem exerce, nec tibi curę sit, quod prematur atq; vexetur. Modicum vinum bibe. Quantò enim parcius & dilutius sumitur, tantò magis bibentibus prodest. Iram compesce, quæ si modum transiliat, furoris fit, atque insaniæ mater. In morbis ad preces prius, quàm ad medicos medicinasq; confugito. Sacerdotes omnes venerare, ad bonos autem frequenter accede. Dei domicilia dilige, & operam da, vt ipse quoq; Dei sis domicilium. Ecclesiam frequenta: à nobis enim tumultus & procellas expellit. Opportuna sunt, quæ sunt in terra, ne te igitur molestia afficiant, quæ tibi debent esse solatio. Cū voluptatis suauitas sensum titillauerit, aduersare, eique humanam ignominiam & Dei offensionē oppone. Oculorum & aurium fores diligenter custodi, per ipsas enim omnia peccati iacula ingrediuntur. Cùm oras, mentem tuam ad Deum erige, quod si ab eo distrahatur, rursum illam excita: Non cessat animus nouas subinde parere cogitationes. Tu malas amputa, bonas autem colę. Humilitatem amplectere, magna enim ex ea

quæ ruere nequit, sublimitas oritur. Tantùm exerce te, vt carnis motus perturbationesque sedes, licèt infirmior fias, & imbecillior. Corpus non ad delicias cura, sed ad sanitatem. Prauas cogitationes bonis cogitationibus expelle. Considera bonorum cœlestium decus, & nulla terræ cupiditas, aut eorum quę ex terra videntur esse iucunda, te capiet. Cum de Deo aliquid cogitas, si abiectum videtur, ad sublimitatem extolle; si sublime, ad mediocritatem redige non Deum, sed te ipsum. Nihil enim tutò in animos nostros ingreditur, quod mensuram, quam capere possumus, exuperet. Improba cogitata Diaboli semina iudica. Sic enim & ipsa cessabunt, & seminator confundetur. Risum plerunque cohibe, laxat enim emollitq; animum, qui sic affectus legis iugum facilè detrectat, atque abiicit. Opere & precatione animum occupa, sic enim difficilem ad te Diabolus aditum inueniet. Opus existima, cùm adhibita precatione libris sacris incumbis, & aliquid decerpis. cùm opere manus exercetur, lingua psallat, mens oret. Exigit enim Deus, vt in animo & memoria semper habeatur. Actiones tuas omnes precibus auspicare, easque potissimum, quæ dubiæ sunt. Si manuũ tuarum opera diuina vis esse, non autem terrena, ea tibi cum pauperibus vt communia sint, cura. Sanctorum consuetudine delectare, per ipsos enim Deus declaratur. Homines verè sanctos ex operibus iudica. Arbor enim ex fructu cognoscitur. Ex Sanctorum sermone semper vtilitatis aliquid stude percipere: Eorum vultũ, oculos, habitũ obserua. Hæc enim vtilia sunt. Innocentiam animo cole, corpore castitaté. Hæc enim duo te Dei templum efficient. Templum istud vt creatoris custodi, qui iudicaturus est, teq; vt imaginem suam puram inuisurus. Sermones de rebus ad hanc vitam spectantibus auertunt animum à Deo: Idcircò de illis neq; tu loquere, & colloquen-

tes fuge. Cùm afficeris contumelia, cogita, num quid contumelia dignum admiseris. Quod si nihil eiusmodi commisisti, fumum esse contumeliam puta. Iniuria affectus confuge ad patientiam, & damnum in eos recidet, qui iniuriam intulerunt. Cùm diuitias, aut gloriam, aut principatum vides, cogita quàm fugacia sint, & eorum illecebras euitabis. Res aduersas perfer animo forti: in ipsis enim non secus ac in spinis rosæ nascuntur ac nutriuntur. Nihil virtute dignius arbitrare: ad Deum enim proximè accedit, quicquid est, vt ipse Deus, constans & immobile. Peccatorem cui res è sententia cedunt, defle: iustitiæ enim illi gladius imminet. Malorum parentem ignauiam existima: nam quæ habes bona surripit, & quę non habes, non sinit assequi. Cum quis in iis, quæ improbè agit, non erubescit; letali laborat vulnere ac desperato. Cùm res te affligunt aduersæ, cogita te iis exerceri; & spiritus fructum percipies. Fidelem oportet Christianum erga omnes submisse se gerere. Nā si miles à Duce suo gratiam inire non potest, nisi prius multa se illi exercitatione, multisq; laboribus probauerit, & in bello victoriam trophæaq; retulerit: quantò magis hęc apud cœlestem, & verum Imperatorem debent esse necessaria? Cœlestia illa Spiritus sancti munera nemo percipiet, nisi prius in sanctorum mandatorum meditatione sese exercuerit, & suscepto diuinæ gratiæ telo aduersus nequitiæ spiritus decertarit. Quantò enim magis quis in spiritali certamine progreditur, tantò propius ad ipsius Spiritus mysteriorum cognitionem, & occultos sapientiæ thesauros accedit, & quò magis in gratia proficit, eò facilius malitiæ fraudes intelligit. adiuuāte Domino Iesu Christo, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EIVSDEM SANCTI PATRIS NILI DE ORATIONE.

CAPITA CLIII.



VI odoriferum cupit thymiama conficere, is perſpicuum thus, & caſſiam, & onychen, ſtactemque pari menſura commiſceat, virtutes nimirum, quæ cùm numero quatuor ſint, ſi ex æquo perfectæ fuerint mens minimè falletur.

2 Animus harum virtutũ plenitudine purgatus immobilem mentis ordinem conſtituet, eamque in eo ſtatu, quem quærimus, collocabit.

3 Oratio eſt colloquium mentis cum Deo. qualem igitur mentem oportet eſſe, vt ſine perturbatione tranquilla cum proprio Domino, non per alios, ſed per ſe colloqui, verſariq; poſſit?

4 Si Moſi ad rubum ſuper terram ardentem appropinquare non permittitur, niſi pedum calceamenta ſoluerit, cur tu ad eum, qui omni cogitatione ſenſuq; præſtantior eſt, acceſſurus, & cum illo locuturus non exuis omnem animi perturbationem?

5 Primùm lacrymarum munus pete, vt animi tui duritiem mollias, & confeſſus aduerſus te iniquitatẽ tuam Domino, ab eo veniam impetres.

6 Antequàm aliquid ores, lacrymas funde. libenter enim Dominus preces lacrymis aſperſas ſuſcipit.

7 Licèt in oratione fontes effundas lacrymarũ, noli propterea gloriari, aut te multis præſtantiorem exiſtimare. Auxilium enim accepit oratio tua, vt peccata poſſes prompto animo confiteri, lacrymiſq; Dominum placare. Diuinam igitur opem agnoſce, ne gratiæ largitorem magis ad iracundiam prouoces.

8 Multi dum pro peccatis lacrymas profundunt, la-

crymarum obliti insania obstupuerunt.
9 Constanter precibus incumbe, & optata consequere. terrent enim perturbantq; te, vt de constantiæ gradu deiiciaris.
10 Cùm te Dæmones verè ad orandum promptum viderint, cogitationes quasdam rerum necessariarũ iniiciunt, & paulò pòst ad eas conquirendas memoriam incitant, vt non inueniens despondeas animũ, & mœrore afficiaris: cumq; te ad orandum contuleris, iterum sollicitant, comparandaq; commonent, vt mens ea cogitatione distracta fructum amittat orationis.
11 Diligẽtiam adhibe, vt orationis tempore sileas, ac nihil omnino loquaris, & mens tua orabit.
12 Cùm tentatio occurret tibi, aut aliquid te ad vltionẽ incitabit, aut verbum vt aliquod proferas iracundũ, orationis recordare, & iudicii, quod in ea fit, & statim motus ille à ratione alienus conquiescet.
13 Quicquid, vt fratrem, à quo læsus es, vlciscaris effeceris, id tibi orationis tempore erit offendiculo.
14 Oratio est mansuetudinis, & lenitatis germen.
15 Oratio est lætitiæ, & gratiarum actionis fructus.
16 Oratio est mœroris & desperationis expulsio.
17 Abi, vende quę habes, & da pauperibus, & cruce suscepta te ipsum abnega, vt sine interpellatione vacare possis orationi.
18 Si laudabiliter orare cupis, abnega temetipsum, & multa perpessus grauia, de oratione disputa.
19 Quicquid patiẽter pertuleris, eius fructum orationis tempore percipies.
20 Si vis orare, vt orandum est, caue, ne tristitia animum afficias, alioqui frustra curres.
21 Relinque munus tuum, inquit, ante altare, & abiens reconciliare prius fratri tuo, & tunc orabis sine pturbatione. Iniuriarũ enim recordatio tenebras offundit precantis rõni, & preces eius obscurat.

accedunt, similes sunt iis, qui hauriunt aquam, & in dolium pertusum infundunt.
23 Si patiens fueris, semper orabis cum gaudio.
24 Tibi, vt decet, oranti res occurrẽt eiusmodi, vt meritò irasci posse videaris, cum tamen ira aduersus proximum iusta non sit: nam si diligenter considerabis, animaduertes, rectè sine ira posse negotium constitui. Quamobrem omni studio caue, ne irascaris.
25 Vide, ne dũ alteri mederi te putas, ipse desperatũ in morbũ incidas, & orationi pares impedimentum.
26 Si ira deuicta proximo ignoueris, veniam reperies, teq; prudentem declarabis, & eris in eorum numerò, qui ritè precantur, atque orant.
27 Nũquã eris patiẽs, si iræ volueris indulgere: semper enim indignandi materiã subministrat, & rõnis oculum perturbat, orationisq; modum confundit.
28 Cũ orationi incumbis, noli solis extrinsecus ceremoniis attendere, sed mentem ad spiritualis orationis sensum magna cum reuerentia conuerte.
29 Cùm ad orandũ accedis, aliquando fit, vt statim bene ores: aliàs autem vt ne magno quidem labore id assequare. vbi inquirendi maius est studium, ibi maior officii laus.
30 Astante Angelo statim discedunt oẽs, q̃ nos perturbant, & mens in magna versat̃ tranquillitate, & salubriter orat. Aliquando aũt solito nobis instãte bello mens pugnat, nec finitur cõquiescere: variis enim prius distracta est occupationibus: attamẽ si diutius quærat, inueniet, & constanter pulsanti aperietur.
31 Ne petas, vt fiant, quę ipse vis: neque enim voluntas tua planè cõgruit cũ volũtate Dei. Sic potius ora, queadmodum edoctus es, nempè, fiat voluntas tua in me. Atq; ita in omni re Deum ora, vt eius voluntas fiat. Vult enim Deus, quæ bona sunt, & quæ nobis cõducunt. Nos autem non omnino hæc quærimus.
32 Sæpe in oratione flagitaui, vt ea mihi concede-

tur, quę vtilia esse existimabam, atq; ita impudenter flagitaui, vt vim quodammodo afferem Dei voluntati, cũ illi nõ permitteré, vt ea mihi daret, quæ sciret esse profutura. Deinde optata cõsecutus dolui: neq; enim talia esse reperi, qualia fore mihi persuaseram.
33 Quid aliud bonum pręter Deum? Omnia igitur, quæ ad nos pertinent, illi committamus, & prosperè succedent. Nam qui bonus omnino est, bonorum etiam est largitor.
34 Cùm oras, ne illud tibi in primis propone, vt statim, quæ petis, impetres. Maiora enim tibi De⁹ elargietur, si cõstãter in orationis studio ꝑstiteris. Quanquam quid maius potest excogitari, quàm Dei colloquio, & consuetudine frui? qđ orando consequimur.
35 Oratio est sublatio mentis in Deum.
36 Si orationis fructum cupis percipere, cupiditates expelle, & omnia consequere.
37 Ora primũ, vt ab omnibus perturbationibus libereris, deinde ab ignorantia, tertiò ab omni tentatione, & periculo.
38 Solã in oratione iustitiã pete, & regnũ Dei, idest virtuté & cognitioné, & reliqua oĩa adiicientur tibi.
39 Orandum est nõ solũ pro nobis, vt puri simus, verumetiam pro fratribus vniuersis, vt vitam angelicam imitentur.
40 Si in oratione Deo verè inhæsisti, caue, ne humana gloria vincaris, neue illam aucuperis, orationis prętextu vtens ad eam assequendam.
41 Siue cum fratribus oras siue solus, operam da, vt id non consuetudine, sed gustu facias.
42 Oratio rectè instituta est intima cogitatio cum reuerentia, & compunctione, & dolore animi peccata sua gemitibus tacitis confitentis.
43 Si orationis tempore mens tua vagatur, te nondum esse monachum, sed mundi studiosum indicat, & ea quæ, sunt extinsecus, attendentem.

44 Oraturus, memoriā totis viribus ita constitue, vt tibi negotia propria ne suggerat, sed ad Dei cognitionem excitet. mens enim orationis tempore valde solet à memoria distrahi.

45 Oranti aut veterum negotiorum imagines memoria proponit, aut nouas sollicitudines, aut personam alicuius, à quo sis affectus iniuria.

46 Homini orationis studioso Dæmon inuidet vehemēter, & omnes adhibet machinas, vt eum à proposito dimoueat. varias enim de rebus per memoriam excitat cogitationes, & omnes per carnē perturbationes commouet, vt animus eius ab optimo cursu, & diuina coniunctione reuocetur.

47 Cùm improbissimus Dæmō multis artibus adhibitis studiosi rationē impedire nō potest, parumper cessat, sed maiore deinde impetu orantē agreditur, nam aut ad iram ipsum incitans optimum eius statū euertit, aut ad minus honestam aliquā voluptatem impellens, illius animum afficit ignominia.

48 Cū oraueris, vt oportet, expecta quę nō oportet, & animo forti orationis fructū conserua, quē tibi initio ꝓposuisti. Quod igitur magno labore peperisti, diligēter tuere, alioquin oratio tibi nihil proderit.

49 Omne bellum quod inter nos, atque impurissimos Dæmones intercedit, nulla alia ferè de causa nobis infertur, nisi vt oratio spiritualis impediatur, quæ vt illis maximè perniciosa est, & inimica, ita nobis summopere vtilis & salutifera.

50 Cur nos Dęmones ad gulā, ad libidinem, ad auaritiam, ad iracundia, ad vindictam & reliquas perturbationes inflāmant, nisi vt mens obtusa atq; hebes effecta nequeat orare. sicut orandum est? Cùm enim pars illa, quæ à ratione aliena est, dominantur, non sinit nos ratione vti, & Deum inquirere.

51 Virtutes per res intelligimus procreatas, res per ipsarum procreatorem Deum, Deus autem in ora-

tionis constitutione nobis pateferi consueuit.

52 Orationis cõstitutio est habitus à perturbatione remotus, quo mens sapiétiæ studiosa & spiritualis summo amore ad excelsam sublimemq; rerum diuinarum cognitionem rapitur.

53 Qui ad veram orandi rationem festinat, cum nõ iracundia solũm, & cupiditate superiorem oportet esse, verũ m ab omni vitio prorsus alienum.

54 Qui Deum diligit, cùm Deo semper tanq̃ cùm patre versatur, & ab omni prorsus mala cogitatione abhorret.

55 Non qui perturbationes deuicit, protinus etiam verè orat: potest enim in rebus sublimibus versari, earumque historias expẽdere, & tamen à Deo procul abesse.

56 Non quãdo mens in tenuibus rerũ cogitationibus diu manet, cõtinuò locum etiam orationis adepta est. potest enim in rerum contemplatione, earumque rationibus nugari, quæ licet subtiles sint, tamen quoniam rerum sunt, considerationes, mentem feriunt & abducunt à Deo.

57 Quanuis mẽs supra naturæ corporeę cõtemplationem ascenderit, nondum perfectum Dei locum est assecuta. potest enim in rerum spiritualium cognitione versari, & vario modo circa illas affici.

58 Si orare vis Deum, vt tibi, quæ sunt vtilia, & necessaria largiatur, sic ora: Sanctificetur nomẽ tuum, adueniat regnum tuũ, idest Spiritus sanctus, & vnigenitus filius tuus. Sic enim docuit ipse, cùm diceret adorandum esse Patrem in spiritu, & veritate.

59 Qui in spiritu & veritate orat, non ex rebus prò creatorem celebrat, sed ipso Deo Deum collaudat.

60 Si Theologus es, verè, oras: & si verè oras Theologus es.

61 Cũ mens tua magno Dei desiderio inflammata omnes tum externas, tum etiam corporis cogitatio-

nes auertit, & reuerentia atque lętitia plena paulatim à carne recedit: tūc existima te ad orationis terminos appropinquasse.

62 Spiritus sanctus humanæ imbecillitatis habitatione:nos, quanuis adhuc minus mundi puriq; simus, inuisit, & si mentem sui verè cupidam inuenerit, sic illam amplectitur, vt vniuersum alienarum cogitationum exercitum, qui eam obsidet, disiiciat, atq; propellat, & ad spiritualis orationis opera totam conuertit.

63 Alii per corporis immutationem menti cogitationes atq; contemplationes iniiciunt, Deus autem agit contrario modo. in mētem enim ingressus iniicit ei cognitionem, vt vult, & per mentem corporis intemperiem sedat.

64 Qui indulgens iracundiæ, & iniuriarum memor se verè orationis studiosum profitetur, insanit, nec aliter facit, quàm si quis acutè cernere cupiens oculos sibi ipse perturbet.

65 Si orationis studiosus es, nihil eorum, quæ sunt orationi contraria, facito, vt Deus accedens tibi opituletur & faueat.

66 Cùm oras nullam Dei figuram in te ipso finge, nec vllam rursùs mētis tuæ formam, vt materiæ expers, cum materiæ experti coniungatur.

67 Aduersarii laqueos caue: solet enim purè & sine perturbatione orantibus peregrinas atq; alienas formas obiicere, vt Deum opinentur habere quantitatem, & loco contineri, cùm tamen Deus & quantitatis & materiæ sit expers omnino.

68 Inuidus Dæmon cùm orantis memoriam commouere nō potest, corpus crassum impellit, vt menti peregrinam aliquam speciem obiiciat. Et qui cogitationibus eiusmodi à materiæ figureq; experti seiungitur, aberrat, & pro luce fumum amplectitur.

69 Sta in specula & orationis tempore animum

tuū à vanis cogitationibus remotum in quiete propria custodi, vt qui miseretur ignorantium, ad te veniat, & tunc præclarum orationis munus accipies.
70 Purè non poteris orare, nisi te à terrenis negotiis, & sollicitudinibus explicueris. oratio enim est cogitationum eiusmodi depositio.
71 Qui compedibus detinetur, currere non potest. nec qui cupiditatibus seruit, spiritualis orationis locum valet obtinere.
72 Cum animus purè tranquilleque orat, tunc Dæmones non à sinistris, sed à dextris adoriuntur. obiiciunt enim illi gloriam Dei, & speciem aliquam sensu iucūdam, vt ad perfectum orationis gradum peruenisse se putet. Hoc autem vir prudens ab inani gloria suspicabitur proficisci, & ab ipso dæmone, qui per cerebrum in venas iaculatur.
73 Dæmon, vt ego quidem existimo, vbi locum quē diximus est assecutus, mentis lucem versat, vt illi lubet, atque ita inanis gloriæ motū eiet, mente in eam sententiam adducta, vt non iam fictam, sed veram diuinæ cognitionis rationem tenere se putet. Cùm enim nulla carnis fœda laboret cupiditate, sed pura mundaque sibi videatur, non putat se decipi fallive posse. Itaque visa illa, quæ callidus Dæmon immittit, non falsa, sed verè diuina esse arbitratur.
74 Cùm Dei angelus assistit, cōtrariam omnem ex animo impressionem ratione tātum expellit, & mentis lumen ita mouet, vt sine errore agat.
75 Angelus, cui data sunt in Apocalypsi incēsa multe, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare: significat gratiam hanc, quæ fit per ipsum Angelum. Veræ enim orationis iniicit cognitionem, vt mentem ab omni prorsus acedia negligentiaque dimoueat.
76 Phialæ tymiamatum sint orationes Sanctorum, quas vigintiquatuor seniores offerunt.

77 Phiala nihil aliud est, nisi philia, id est, amicitia cũ Deo, seu perfecta & spiritalis dilectio, ex qua prouenit oratio in spiritu & veritate.

78 Cùm tibi videris in oratione propter peccata lacrymis non indigere, considera quam longè absis à Deo, cui perpetuò debes inhęrere, & vberius profectò lacrymabis.

79 Si te ipsum, vt Esaias, examinans imbecillitatem tuam agnoueris, facilè lugebis: quod cùm sis impurus, & in medio populi huius existas, in cõspectu Domini stare non verearis.

80 Si verè orabis magnam fiduciam inuenies, & Angeli te conuenient, & rationes eorum, quæ fiunt, tibi patefacient.

81 Considera, quemadmodum Angeli nos ad orationem cohortantur, nobisque præsidio sunt, & alacres pro nobis precantur. Quod si neglexerimus, vehementer eos irritabimus. Illi enim pro vobis pugnant, nos autem, ne pro nobis quidem ipsis Deo volumus supplicare. sed eorũ neglecto sacrificio, relictoq; Domino, & Deo ipsorum ac nostro cum impuris Dæmonibus versamur.

82 Cùm mãsuetudine & sine perturbatione orationi vaca, & prudenter ac concinne psalle, & tanquam pullus aquilæ, in sublime tolleris.

83 Psalmorũ cantu sedantur perturbationes, & corporis intemperantia comprimitur: oratione verò animus in officio proprio continetur.

84 Oratio est actio menti congruens: seu optimus ac verus mentis vsus.

85 Decantatio psalmorũ variã affert sapientiã, oratio aũt initiũ est cœlestis ac multiplicis cognitionis.

86 Cognitio pulcherrima res est, orationis enim est socia, quæ mentẽ ad diuinã excitat intelligentiã.

87 Si orationis aut psalmodiæ gratiam nondum es assecutus, eam studiose persequere, & consequeris.

88 Dicebat autem illi ſimilitudinẽ, vt ſemper orandum, & ab oratione nunquam eſſe deſiſtendũ oſtenderet. Ne igitur defatigeris, neve animo concidas, licet nõdum acceperis, accipies enim poſtea. Nam illud ſimilitudini adiunxit; Et ſi Deum non metuo, nec hominem curo, huic tamen mulieri, quia mihi moleſta eſt, iudicium faciam. Sic Deus ad ſe nocte ac die clamantibus iudicium faciet. Bono igitur animo eſto, qui ſanctæ orationi nauiter incumbis.

89 Ea, quæ ad te pertinent, noli, vt tibi videtur, ſed vt Deo placet, agi, & in oratione tua tranquillè iucundeque verſaberis.

90 Quanuis cũ Deo eſſe tibi videaris, à libidinis tamen Dæmone caue. Magnus enim impoſtor eſt, & inuidet vehementer, mentiſque tuę celeritate ac ſobrietate vult eſſe promptior, vt eam cum Deo piè ſancteque verſantem auocet atque interpellet.

91 Si te orationis ſtudio dedideris, ab ĩſidiis Dęmonum caueto, & eorũ verbera tolerato. tanq̃ enim immanes feræ adoriẽtur te, & totũ corpus tuũ afflĩgẽt.

92 Para te, vt bonus miles: & ſi ante oculos tuos viſa frequẽter obuerſabũtur, ne terrearis: quanuis gladios aduerſum te eductos, aut faces ardentes in faciem tuam irruẽtes videris, ne pertimeſcas, licet laruas truces, cruentaſque perſpexeris, ne concidas animo, ſed in bonæ profeſſionis ſtudio permane, & hoſtes tuos facilius ſueperabis.

93 Qui triſtia ſuſtinet, quæ iucunda ſunt, aſſequetur: & qui aduerſis in rebus ſe fortiter gerit, ad ſecundas perueniet.

94 Caue, ne te Dæmones improbi viſo aliquo decipiant, ſed prudenter ad orandum accede, & Deum precare, vt lumine ſuo demonſtret tibi, an cogitatio illa ex ipſo ſit, alioqui fraudem celeriter expellat. Quòd ſi ardenti ſtudio Deo ſupplicaueris, canes, mihi crede, non cõſiſtent, ſed inuiſibili Dei virtute ex-

ſi ſtatim procul aufugient.
95 Non alienum eſt,vt hûc quoq; dolum ſcias, quo ſe Dæmones duas in partes diuidunt,vt cùm auxiliũ imploras, pars vna ſub angelica ſpecie ingrediatur, & alteram partem repellat,vt te,ſi eos ſanctos angelos exiſtimes, decipiant.
96 Hic tu ſi magnam adhibueris humilitatem atque animi fortitudinem,nullum ex eorum impetu in anima vulnus accipies,neque ipſorum ictus tabernaculum tuum attingent. Angelis enim ſuis Deus mandabit de te, vt cuſtodiant te, & omnem aduerſariorum vim abs te inuiſibili virtute propellant.
97 Strepitus,& ſtridores,& voces,& verborum ſonitus ex Dæmonibus audiet, qui puræ ſtudioſus erit orationis attamen non concidet, neq; animum deſpondebit,ſed dicet,Et nõ timebo, Deus,mala, quoniam tu mecum es;& alia eiuſmodi.
98 Cùm tales ingruunt tẽtationes, breui incitataq; vtere oratione.
99 Si cõminati fuerint Dæmones,ſe ſtatim ex aere cõſpicuos præbituros,territuroſq; te,& præ ſtupore tibi mentẽ erepturos,ne timeas,neve cures omnino minas ipſorũ. Terrores enim iniiciunt,vt tẽtent te, & cognoſcant,vtrũ à te curentur, an contemnantur.
100 Si dum oras,in cõſpectu Dei ſtas, qui rerum eſt omnium opifex,& moderator, cur incredibili ipſius timore poſthabito, ita temerè culices & ſcarabæos reformidas? Nónne audiſti eum dicentem: Dominum Deum tuum timebis? & rurſum: Quẽ timent, ac tremunt omnia à facie virtutis eius, & reliqua?
101 Quemadmodum panis corporis cibus, & virtus animæ,ita mentis cibus eſt oratio ſpiritualis.
102 Non Phariſæi,ſed Publicani more, preces tuas funde in ſacro orationis loco, vt ipſe quoque à Domino iuſtus efficiaris.
103 Caue,ne dũ oras, aduerſus aliquẽ preceris, ne,
quæ

quæ ædificas,corruant,& oratio tua execrabilis fiat.
104 Ille decẽ millium debitor talentorum docet te, niſi debitori tuo dimiſeris, veniam non impetraturum. Tradidit enim,inquit,tortoribus,&c.
105 Cùm incumbis orationi, corporis incommoda neglige,ne ſi à pulice,aut pediculo, aut culice pungaris,maximum orationis fructuum amittas.
106 Accepimus,virũ quendã ſanctum tantopere fuiſſe ab improbo Dæmone oppugnatũ, vt ſimulac manus orans extẽdiſſet, ipſe in leonis ſpeciẽ ſeſe cõuerteret, ſublatiſq; prioribus pedibus rectũ cõſtitueret, & vnguibus in pugilis lũbis vtrinque defixis nõ prius abſiſteret,quàm ille manus remiſiſſet. At vir ſanctus nõ remittebat manus, niſi ſolitas preces abſoluiſſet.
107 Talem fuiſſe cognouimus & Ioannem illum cognomento paruum, ſed re ipſa longè maximum monachum,qui in loco degebat ſubterraneo, & immobilis cum Deo verſabatur, quamuis Dæmon ſub draconis ſpecie illi ſe circunuolueret, & carnes ipſius contrectaret, & in faciem eius inuaderet.
108 Legiſti omnino vitas etiam Tamenenſium monachorum,in quibus intelligere potuiſti,cùm Theodorus Abbas monachis concionaretur, duas viperas ſub pedes eius,irrepſiſſe, quas ille intrepidè tãquam hoſpitio ſuſceptas non niſi finita tandẽ concione Fratribus oſtendit,& rem declarauit.
109 De alio item fratre ſpirituali legimus,cui oranti vipera pedem inuaſit. Sed ille Deo charus manus non remiſit prius, quàm ſolitę orationi finem impoſuiſſet,& à vipera nihil accepit detrimenti.
110 Oculos minimè elatos habeas inter orãdum, & abnegata carne,atq; anima, mentis præſcripto viue.
111 Alium quendã ſanctum virum orationis ſtudioſiſſimum, qui in ſolitudine degebat, cum adorti eſſent Dæmones, ad duas hebdomadas in ſtorea ſublatum per aera vti pilam verſarunt, neque tamen vl-

S

lo modo ab ardenti oratione abducere potuerunt.
112 Alius rursum vir Dei atq; orationis amantissimus, cũ in solitudine iter faceret, duoq; illi se Angeli sic itineris comites adiunxissent, vt eũ mediũ constituerent, ne animum quidẽ ipsis adhibuit, ne id, qđ præstantius erat, amitteret. Meminerat enim Apostoli verba dicentis: Neq; Angeli, neq; Principatus, neq; Virtutes poterũt nos separare a charitate Chri.
113 Par Angelis euadit Monachus per verã orationem, dum videre cupit faciẽ patris, qui in cœlis est.
114 Ne quæras omnino orationis tempore formæ aut figuræ vllius visum suscipere.
115 Ne cupias Angelos, aut Virtutes, aut Christum ipsum oculis aspicere, ne tandem deceptus lupũ pro pastore suscipias, & inimicos Dæmones adores.
116 Erroris initium mentis est inanis gloria, qua cõducitur, vt Deum eiusmodi formarum aut figurarũ visis comprehendere conetur.
117 Beata mens illa est, mea quidem sentẽtia, quẽadmodum etiam iunioribus dixi, quæ orationis tempore ita Deum amplectitur, vt nullam illius speciẽ, aut formam sibi ipsa fingat.
118 Beata mẽs illa est, quæ sine intermissione orõni incũbens, maiore in dies accẽditur Dei desiderio.
119 Beata mẽs illa est, quæ orationis tpe materiæ, & omniũ terrenarũ affectionum expers efficitur.
120 Beata mens illa est, quę orationis tẽpore quàm longissimè à sensibus remouetur.
121 Beatus ille monachus, qui terrena cuncta sordes & quisquilias existimat.
122 Beatus ille monachus, qui secundùm Deum, omnem hominem vt Deum putat.
123 Beat⁹ ille monachus, q oĩum salutẽ & in virtute ꝓgressionẽ tanq̃ propriã intuetur cũ omni gaudio.
124 Monachus ille est, q ab omnibus separatus est, & cum omnibus charitate coniunctus.

125 Monachus ille eſt, q propterea ꝙ in ſingulis ſe ipſum planè videt, cum omnibus ſe coiunctū putat.

126 Ille perfectè orat, qui omnes mentis ſuæ primitias Deo offert.

127 Omne mendacium & iuſiurandum ſit procul à te, Monache, & quiſquis orationis ſtudium amplecteris, alioqui fruſtra vanas tibi ſpecies confinges.

128 Si ſpiritu orare cupis, carni prorſus renuncia, & orationis tempore tenebras non offendes.

129 Corporis tui curam Deo permitte, & perſpicuum erit, eidem te, quæ ſpiritus ſunt, credidiſſe.

130 Si promiſſa conſequeris, regnabis. ea igitur ſpecta, & æquo animo præſentem perferes paupertatē.

121 Ne abhorreas à paupertate & tribulatione, quę materiam afferunt orationis expeditæ.

132 Corporis virtutes ad eas, quæ animæ ſunt, tibi duces exiſtāt, & animæ virtutes ad illas, quæ ſpiritus ſunt: hæ porrò te perducant ad veram & totius materiæ expertem cognitionem.

133 Si cogitationes, dum oras, facilè quieſcunt, condera, vnde id proficiſcatur, ne lateant inſidiæ, & deceptus tibi ipſe placeas.

134 Nonnunquam accidit, vt Dęmones ſubiiciant cogitationes, iidemque perſuadeant, vt contra ipſos preceris, & pugnes, ac facilè cedunt, vt deceptus te aliquid eſſe putes, qui cœperis vincere cogitationes, & Dæmonibus terrorem inicere.

135 Si aduerſum perturbationes ac Dæmonas interpellantes deprecaberis, memento illius, qui dicit: Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non reuertar, donec deficiant, affligam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubter pedes meos: & quę ſequuntur. Hæc autem opportunè vſurpabis, ſi humilitate aduerſus hoſtes armatus fueris.

Ne putes, te virtutem aſſecutum, niſi prius pro illa vſque ad ſanguinem decertaueris: oportet enim

vſque ad mortem, vt Apoſtolus ait, contra peccatum ſtrenuè & ſine reprehenſione pugnare.

137 Si cuipiam benefeceris, ab aliquo iniuriam accipies, vt laceſſitus dicas, aut facias, quod non decet, atque ita malè ſpargas, quæ bene collegiſti. Id enim improbis Dæmonibus propoſitum eſt. Quamobrem magna adhibenda eſt diligentia.

138 Dæmonum impetus ſic excipe, vt omni ſollicitudine ab eorum te liberes ſeruitute.

139 Spiritualem diſcipulum noctu quidem per ſe conantur improbi Dæmones perturbare, die verò per homines illum calumniis & periculis adoriuntur.

140 Ne auertas affligentes te, licèt enim te verberent, atque conculcent, vellicent, & excrucient: his tamen rationibus ſenſus, vt coria à fullonibus, expoliuntur, ſplendidioresq; fiunt.

141 Quoad cupiditatibus non renuntiaueris, ſed mens tua virtuti repugnabit, odoriferum in ſinu tuo ſacrificium non inuenies.

142 Cupis à terrenis perturbationibus liber incũbere orationi, & aſſiduè conſuetudinẽ in cœlis habere? da operam, vt id non verbo ſimplici, ſed reipſa, & vita angelica, & diuina cognitione conſequare.

143 Si iudicis illius terribilis & incorrupti aduerſis in rebus tantummodò recordaris, nondum didiciſti ſeruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore. Scito igitur in ſpiritualibus etiam conſolationibus, & conuiuiis, & recreationibus cum reuerentia & pudore colendum eſſe Deum.

144 Prudens ille vir eſt, q̧ maturè reſipiſcit, & pœnitentiã agit peccatorũ, nec extremũ illud tẽpus expectat, cũ acerbas pœnas in igne ſoluat ſempiterno.

145 Qui in peccatis, & iniquitatibus perſeuerãs, impudenter audet animum ad diuinarum rerũ cognitionem applicare, & ad purum orandi ſtudium accedere, is in Apoſtolicam incidet reprehenſionem,

audictq;,non licere fine periculo,nudo & aperto capite orare. Debet enim, inquit, ſuper caput velamen habere vel propter aſtantes Angelos, reuerentia nimirum adhibita & humilitate.
146 Quéadmodum apertus & intéſus Solis aſpectus in meridie & maximo ſplẽdore lippiẽtibus oculis nõ prodeſt: ita mẽs cupiditatibus abnoxia & immunda ex ſimulata ſpecie grauis & naturã ſuperãtis orationis,quę in ſpiritu & veritate fit,nihil accipit adiumẽti,ſed Deum potius ad indignationem impellit.
147 Si ad altare cum munere accedentem Deus,qui nulla re indiget,& incorruptus eſt,nõ ſuſcepit prius, q̃ proximo,quem lęſerat,reconciliaretur: conſidera,quanta cura & obſeruantia ſit opus, vt in mentis altari ſacrificium Deo gratum offeramus.
148 Ne ſis garrulus,néue glorioſus, alioqui nõ iã in mẽte tua,ſed ipſo ore fabricabunt peccatores, & illis eris ludibrio in tp̃e orationis,dum rerum alienarum rationibus tanquam eſca delinitũ ducent & trahẽt.
149 Oratio,quæ orationem requirit,orationem inueniet: ea enim demum oratio eſt, quæ nihil aliud quærit,& in hanc eſt incumbendum.
150 Quemadmodum videndi ſenſus reliquis ſenſibus antecellit, ſic oratio virtutum eſt omnium præſtantiſsima.
151 Orationis laus non in quãtitate, ſed in qualitate ſita eſt,vt apparet ex iis, qui aſcendebant in templum,& ex Chriſti verbis, dicentis: Vos autem cùm oratis,nolite multum loqui:& quę ſequuntur.
152 Si corporis inhæres proportioni, & mens tua, quæ corporis tabernaculo iucunda ſunt, ſequitur, nondum orationis locum inueniſti, ſed beata illius via adhuc abs te procul abeſt.
153 Cùm alia ex re nulla maiorem, q̃ ex oratione lætitiam percipis, verè tunc orationem inueniſti.

F I N I S.

EIVSDEM AD IVNIORES MONACHOS INSTITVTIO.



VVENIS colat quietem in corpore, modeſtiam in vultu, moderationem, atque ordinem in voce. Ad cibum & potum accedat ſine tumultu, cùm vrget neceſſitas. Silcat inter ſeniores, æquales diligat, minoribus amanter cõſulat, ab improbis, carniq́ue deditis, & curioſis recedat, pauca loquatur, plus cogitet, in ſermone caueat arrogantiam, in mutua conſuetudine ſe nemini anteponat. Ne ſit promptus an riſum, pudore ſe ornet, colloquia mulierum vitet, vultu terram aſpiciat, cœlum animo, fugiat contentiones, docendi ne ambiat dignitatem, hominum honores ne admiretur, eorũ pręſertim, qui verum honorem ignorant. Virorum prudentium vtatur familiaritate, quæ bonorum eſt cauſa pulcherrima. Dum rectè agit, & in virtute proficit, laudem à Deo tantùm requirat. Quòd ſi alios doceat, & iuuet, repoſitam apud Deum mercedẽ expectet, & tanquam debitum opus Deo perſoluens, remunerationem ab eo ſperet in muneribus ſempiternis.


EIVSDEM EPISTOLA AD Anaſtaſium Epiſcopum.



OANNES Sacerdos admirandus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, immo verò totius orbis ſplendor, vir animi perſpicacis, omni ferè tempore, videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc in primis, cùm diuinum & incruentum ſacrificium offerabatur, quo quidem tem-

pore ſtupore & lætitia plenus rem præcipuis amicis ſpiritualibus priuatim enarrauit. Cùm cœpiſſet, inquit, ſacerdos ſanctum ſacrificium, ſeu oblationem facere, plurimæ ſtatim ex beatis illis Virtutibus è cœlo deſcendentes, ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ, altare magno cum ſilentio & reuerentia, quo ad venerandum illud myſterium expletum fuit, circunſteterunt. Deinde huc illuc ſingulæ per totam domum diffuſæ, Epiſcopis, & presbyteris, & diaconibus diſtributionem corporis & pretioſi ſanguinis miniſtrantibus, adhæſerunt, ſatagentes, & ſedulò adiuuantes. Hęc autem ſcribo, vt diuini ſacrificii dignitatem cognoſcentes, caueatis, ne illud negligenter, diuino timore abiecto, adminiſtretis, nec permittatis, vt aliqui inter ſe contendant, & cum tumultu ad ipſum accedant, aut audacter annuant, & è loco ſuo proſiliant, aut huc illuc circunſpiciant, & ignauè, petulanterque ſe gerant: Dicit enim Dominus Moſi, & per illum omnibus ſacerdotibus: Religioſos ac verecundos facite filios Iſrael, & ne contemnatis.

EIVSDEM DE NIMIS diuturna Præfectura.



TRADVNT rerum naturalium obſeruatores, gruem triginta dies commune auium agmen ducere; deinde alteri grui idē munus tradere. Qui nunc gregi tuo pręeſt, ambitioſus imperandique cupidus, vt audio, expleto de more iam anno miniſterii ſui, non permittit, vt alius regendi munus curamq; ſuſcipiat, & quid dicemus ab hoc? *Nota. ᴅ ᴅ ᴅ ᴅ.*

FINIS.

PRAECLARA QVAEDAM S. MARCI ABBATIS MONVMENTA IN LATINVM E GRAECO CONVERSA,

A PETRO FRANCISCO ZINO, Canonico Veronensi.




VENETIIS, Apud Bologninum Zalterium.

M D LXXIIII.

BEATI MARCI ABBATIS DE SANCTO BAPTISMATE DIALOGVS,

PETRO FRANCISCO ZINO,
Canonico Veronenſi, interprete.



INTERROGATIO.



VM alii ſanctum baptiſma perfectum eſſe dicant, idque innixi ſcripturę auctoritate dicen
Act. 22. tis: Baptizare, & ablue
Eſa. 1. peccata tua. Et, Lauami
1. Cor. 6 ni, mundi eſtote. Et rurſum, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis: & multa eiuſmodi afferant teſtimonia. Alii verò ex operibus afferant vetus peccatum tolli. Et ipſi quoque ſcripturæ vtantur te-
2. Cor. 7 ſtimonio dicentis: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. præſertim cùm eandem peccati vim poſt baptiſma in ſe ipſis inueniant. Nos quid dicemus ad hæc: aut cui credemus?

RESPONSIO.

APOSTOLORVM prędicationi profectò credere nos oportebat, & in iis, quæ ipſi cõfeſſi ſunt

permanere; nec Dei potentiam humanis cogitationibus tentare, nec rurſum vltrò ſubire ſeruitutis iugum, ſed per obſeruantiam mandatorum, in quibus proportione veritas inuenitur, amplecti libertatẽ, nec ignorare, quòd quantum ab eorum recedimus obſeruatione, tantum nos peccati ſubiicimus ſeruituti. Verùm quoniam ea, quæ ab illis promulgata ſunt, inania exiſtimantes, curioſitati potius paruimus, quàm verbo Dei: iccircò vana eſt fides noſtra, iccircò manemus adhuc in peccatis noſtris.

INTERROGATIO.

Nos, quæ ab illis promulgata ſunt, inania eſſe nõ dicimus, ſed veritatē peruestigamus.

RESPONSIO.

Si euãgelii promulgationem veram arbitramur, omnia mãdata obſeruemus,& tunc videbimus, vtrũ à peccato poſſideamur. Nam ſanctum quidem baptiſma perfectum eſt, ſed eos non perficit, qui mandata renuunt obſeruare. Quare non humanis opinionibus, ſed diuinæ potius ſcripturæ fidem habebimus. Chriſtus enim mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundũ ſcripturas. Et nos cùm ipſo conſepulti ſumus per baptiſma. Et qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Et peccatũ nobis non dominatur, ſi mandata eius cuſtodiamus. Quòd ſi illa non cuſtodimus, infideles ſumus,& iure à peccato poſſidemur. Fides enim requirit, non ſolùm vt baptizemur in Chriſtũ, verùm etiam vt mandata eius obſeruemus. Nam ꝙ myſticè cõſepulti ſimus cũ ipſo per baptiſma, quodque nos conſurgere fecerit, & conſidere in cœleſtibus, ex ſcripturis perſpicuum eſt. Attamen mandata dedit, vt ea obſeruantes inueniamus traditam nobis

1.Cor. 17.
Rom. 6.
Rom. 6.
Rom. 6. Eph. 2.

perfectioné, sin ab eorum obseruatione recedamus, sub peccati deprehendamur esse seruitute. Si igitur dicimus, ex operibus peccatũ tolli, ergo Christus gratis mortuus est. & quę dicta sunt, omnia falsa sunt, & baptisma non est perfectum, sed apud eos, qui se ex certaminibus perfectionem habere dicunt, vana est libertatis lex, & omnis noui testaméti legislatio sublata est, iniustum autem & Christum introducunt, baptizatis opera libertatis imperantem, cùm adhuc, vt dicunt, pręter volũtatem peccato subiecti sunt, Et gratia Dei iam non est gratia, sed nostrorũ certaminum remuneratio. Nam si ex operibus, nõ ex gratia. Sin ex gratia, opus iam non est opus, sed mandatum eius, qui liberauit, & opus liberatis & fidei. Talia Sanctus Paulus olim ad Galathas scripsit, monens etiam ipsos cùm simili tenerentur incredulitate. Nos verò haud ita destruimus gratiam Dei. Absit. Neq; prædicationis fidẽ negamus. Sed si post baptisma quoq; à peccato detinemur, id tribuimus non baptismatis imperfectioni, sed nobis ipsis, qui mandata neglexerimus, & liberè voluptatibus indulgeamus, Sicut diuina scriptura nos coarguit, Canis, inquiens, conuersus ad proprium vomitum: ita homo propria se voluntate conuertens ad peccatũ. Voluntati enim nec post baptisma vim affert, aut Deus, aut satanas. Certè non audiuerunt, Christi mandata, quæ post baptisma tradita sunt, legem esse libertatis, vt ait scriptura: Ita loquimini, atque ita agite, tanq̃ per libertatis legem iudicãdi. Et rursum Petrus Apostolus, Ministrate, inquit, in fide vestra virtutem, & cùm alia, quæ sequuntur, dixisset, subiecit: Cui enim non præstò sunt hæc, cęcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Considerasti ex iis, quæ dicta sunt, purgationem mysticè quidem fieri per baptisma, efficaciter autẽ per mandata reperiri. Quòd si in baptismate à peccato

2. Pet. 2.
Iac. 2.
2. Pet. 1.

patrio non essemus liberati, ne libertatis quidē opera facere possumus. Possumus autē: nimirum igitur à peccati seruitute mysticè liberati sumus, sicut scriptum est: Lex spiritus vitæ liberauit me á lege peccati & morte. Sed quia negligimus mādata illius, qui nos liberauit, ideò peccati premimur dominatu. Aut igitur ostendant, baptizatos nō posse libertatis mandata seruare, aut nobis ostendentibus, eos eiusmodi potestatem accepisse, fateantur, se Christi quidē gratia liberatos, sed spontè in malorum seruitutē incurrisse, propterea quòd omnia seruare mandata noluerint, & iccircò subiecti rursum euaserint. Quinetiam animaduertāt propriis se testimoniis conuinci. Mundemus nos, inquit, ab omni inquinamento carnis & spiritus. Qui seruus est peccati, quomodò mundare se potest ab omni inquinamēto, nisi talem libertatē ac potestatē habeat, sed à peccato teneatur? Quòd si aduersus vitia imperiū obtines, non in potestate, sed in volūtate causam esse scito. Cùm igitur diuina scriptura de inquinamentis disputat, nos tanquàm liberos admonet, ne in illis persistamus, sed libertatem amemus, cùm potestatem progrediendi, quò volumus, siue ad bonum, siue ad malum, habeamus. Rom.8. 2.Cor.7.

INTERROGATIO.

Si in baptismate liberati sumus, cur libertatis lucem non cernimus, quemadmodum illi qui pugnāt

RESPONSIO.

Tenebras nobis offundunt volūtariæ voluptates, & negligentia mandatorum Dei, quæ illi diligenter obseruant. Diximus enim, hominē Christi quidē gratia liberatum esse, sed propria tamen voluntate manere, vbi vult, quoniā liberum arbitriū non cogitur.

Matt. 11. Cùm igitur dicit: Violenti rapiunt regnum cęlorū, de propria loquitur volūtate, vt vnusquisq; studeat post baptisma non ad malū reuerti, sed in bono permanere. Si enim vim libertas afferret, Deus, à quo liberati sumus, potuisset nos per vim immutabiles constituere. Nunc autē haud ita res est. Sed ipse quidem per baptisma violentam expulit seruitutē, cruce peccatū destruens, & præcepta libertatis dedit, quibus vtrum pareremus, néne, in nostra voluit esse potestate. Præcepta igitur, si obseruantur, amorē erga illum indicant, qui nos liberauit. Sin negliguntur, aut violātur, studium voluptatis ostendunt. Qui autem propriis decepti rationibus dicunt, nos velle quidem mandata seruare, sed non posse, quòd peccati dominatu præpediamur, ideoq; primùm certandū esse, peccatumq; delendum, vt libertatis mandata seruare valeamus; ii nec quæ loquantur, nec quæ affirment, considerant. Nā si verè libertatem non habes, neq; potes mandata seruare, quibus tandem certaminibus te peccata deleturum confidis? Ipsa certamina Christianorum, mandata sunt. Cùm igitur negas posse mandata seruari, nisi prius certaminibus expurgemur, ostende mihi, quæ nam appelles certamina, præter mandata, & ad sententiam tuam accedam. Nam siue precationē dixeris, mādatum est. Si-
Luc. 18. ue ieiunium & vigiliam, mandatum est. Siue cogita-
Mar. 13. tionum purgationem, mādatum est. Siue subiectio-
Luc. 9. nem & abnegationem, mandatum est. Seu denique mortē & crucem, & quæuis opera virtutum, mandata sunt. Quamobrē istis, qui de mandatorum obser-
Philip. 3. uandorum potentia conqueruntur, tanq̃ fidelibus, præcipitur, vt certēt, nec retrò sese conuertant, non vt certaminibus suis peccatū deleāt, sed ne ad ipsum reuertantur. Quare ne ipsa quidē mādata peccatum excindunt, id enim per solam crucē effectum est: sed libertatis nobis datæ terminos tuentur. Alioqui dic

mihi tu, si Adę peccatum operibus euertis, quomodo Christus mortuus est pro peccatis nostris secundũ scripturas? Ad hæc isti quod respondeãt, non habét, sed opinionibus suis blandientes reiecta scripturæ veritate pergunt interrogare. Cur enim, inquiũt, si in baptismate peccatum tollitur, rursum operatur in corde? Sæpe iam causam attulimus. Neque enim derelictũ, sed accersitum, & amatũ à nobis per mandatorum defectionẽ operatur. Nam sanctũ quidem baptisma perfectam tribuit solutionẽ: Sed in libera nostra situm est electione, vtrum per affectionẽ peccato rursum nos obstringamus, an per mandatorum obseruationẽ soluti ac liberi maneamus. Cùm.n. in aliqua libidinis, aut vindictę cogitatione diutius immoramur, id nõ peccati relicti, sed liberæ affectionis indicium est. Si quidẽ habemus, potestatem tollendi cogitationem, & omnem altitudinem extollẽtem se aduersus scientiam Dei secundùm scripturã. Cùm igitur improbam aliquis in se cogitationem euertit, id non peccati, sed diuini amoris est argumentum. Neque enim cogitationis impetus peccatum est, sed mentis in ipsa cogitatione delectatio. Nam si ea nõ delectamur, cur in illa diutius inhęremus? Fieri enim non potest, vt quod inuisum est cordi, diu sine malitia nostra in corde versetur. Quòd si inuisa cogitatio mentẽ exuperat, accidit enim, non nego: tamẽ id non propterea sit, quòd Adæ peccatum residcat. sed quód post baptisma transgredimur. Cùm enim post baptisma possumus mãdata seruare, & ea tamẽ non seruamus, tunc vel nolentes in peccati potestate detinemur, quoad per pœnitentiam Deum deprecamur, ad omniũ eius mandatorum obseruationem redeuntes, & ipse trangressionis nostræ peccatũ delet. Duæ igitur mali, quod fit, causæ sunt, & ambæ à nobis proueniunt. Vna, quæ tantum agit, quantũ nos à mãdatorum obseruatione recedimus. Altera, quæ

1. Cor. 15.

2. Cor. 10.

ſine excuſatione nos ſubiicit propter malitiam, quā poſt baptiſma committimus, & hanc Deus ſolus per eleemoſynam,& orationē,& rerum aduerſarū tolerantiam placatus delet,quæ tamen nobis clam ſuggerit perfecta illa gratia,quā in baptiſmate accepimus.

INTERROGATIO.

Ergo Paulus poſt baptiſma peccabat,quoniam in-
Rom. 5. uitus agitabatur. Video enim,inquit, aliam legē repugnantem legi mentis meæ.

RESPONSIO.

Sic & reliquas ſcripturas malè ſentientes peruertunt,& errant. Altius enim caput hoc lege, & inuenies, Sanctum Paulum, non de ſe poſt baptiſma loqui.Sumpta enim infideliū Iudeorum, qui nondum eſſent baptizati, perſona, oſtendit eis, ſine Chriſti gratia,quæ per baptiſma datur,non poſſe peccatū ſuperari.Nam cùm dixiſſet,Infelix ego homo,quis me
Rom.7. liberabit de corpore mortis huius? ſubiicit: Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominū noſtrū. Propterea,inquit, Lex ſpiritualis eſt, ego autē carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Itaq; omnia etiā,quæ legis ſunt,ſpiritualiter interpretatur: Cùm ipſe nolit ſub lege eſſe, ſed ſub gratia, Si qua ſpiritualis eſt lex in nobis ſcripta.Proinde ſi Sancti Pauli verba accipiamus,ſpiritualibus ſpiritualia comparantes, per figuras poterimus intelligere veritatem,quomodo, quæ in lege & de templo, & de ſacrificiis dicta ſunt, in nobis,qui Spiritus gratiam ex baptiſmate myſticè accepimus,expleantur.Nos enim Spiritus templum
1.Cor.6. dixit eſſe,hortaturque, vt ſpirituales hoſtias offeramus. Iudæum appellat,qui in occulto eſt,non qui in
Rom.2, manifeſto. Et circuncifionem cordis in ſpiritu,non litera.

litera. Quinetiam legem ipsam spiritualem cœlestis legislator Christus per spiritum spiritualibus inscripsit, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quemadmodum igitur hæc in occulto dixit esse, sic tu mihi omnia, quæ in figura, vel dicta, vel facta sunt, intellige. Verùm quoniã Christo nondum planè credidimus, neq; nos oĩum ipsius mandatorũ debitores existimamus, neq; nos ipsos, vt ipse iubet, abnegauimus: ideò prædicta mysteria ex baptismate accepisse nos ignoramus. Cùm autem modicæ fidei nos accusabimus, & syncerè ipsi per omnia mandata credemus: tunc rerum prædictarum experimentũ capientes in nobis ipsis, confitebimur, verè perfectum esse sanctum baptisma, & abundè Christi gratiam effusam, & acceptam esse obedientiam nostram, atque obseruantiam mandatorum, quorum obseruandorũ potentiam per ipsam gratiã accepimus. Iccircò qui libertatis mandata nondũ obseruauimus, infra liberã Hierusalem sumus. Quæ enim sursum est Hierusalẽ, libera est, quæ est mater nostra, generans nos per lauacrum regenerationis. Cæterùm adhuc in via sumus, nisi forte oberramus per inuia iter facientes. Qui enim per ignorantiam contendit & veritati cõtradicit, à recta via aberrat. Quare Paulus nos tardè in viam redeuntes sic adhortatur: Currite, vt comprehendatis. Quòd si nondum ad ciuitatem peruenimus, quando templum contemplabimur, & introgressi, aditum ad altare consequemur? Verùm quid loquor de ciuitate, & tẽplo, & altari, cùm feras arundinis nondũ prçterierimus? quas Deus vt increparet, precabatur propheta, ne capta à bestia, primogenita essent sacrificiorum, quæ offerre iussus est, qui in occulto est Iudæus. An secundùm te Iudæus quidem in occulto est, tẽplũ autẽ à Dauidis filio nondũ est ædificatum, neq; altare ab ipso constructum, sed à te est cõstruendũ? Hoc enim clamas, cùm dicis te certami-

2.Cor.3.
1.Cor.9
Psal.67.

nibus, Adæ peccatū tollere, non autē per Christi gratiā, quæ in nobis quidē est occultè per baptisma, tūc aūt perspicietur, cùm via mandatorum præclarè confecta, naturæ nostræ rōnes summo pontifici Christo, tanquàm victimas sanas, non aūt morsu serpentium læsas offeremus. Eiusmodi enim sunt multæ ex rōnibus nostris, illæ nimirum, quæ per alia omnia vagantes, à recta semita deflectūt, excussaq; in rebus aduersis patientia, culpam in alios transferunt. Vix autem ex illis paucæ per rectam incedūt, cùm enim oratione custodiantur, & tentationibus verberentur, & spe vinciantur, ad ciuitatem templumq; perueniunt; & offeruntur in sacrificium. Porrò ciuitas est pura & legitima in Christo discretio, quæ cùm piè res administrat, in pace & felicitate versatur. Cùm autem peccat, hostibus traditur, vt euertatur. Templum autem est id, quod ex animo & corpore à Deo conditis consurgit. Altare verò quod ex spe erigitur in hoc templo. In quo quidē altari omnis concordiæ ratio tanquam animal primogenitum à mente offertur & immolatur ad conciliationem offerentis, si modò sacrificium obtulit sine macula. Habet aūt hoc templum & velamen interius, quò præcursor pro nobis ingressus est Iesus, & habitat in nobis. An nescitis, inquit Apostolus, ꝙ Christus Iesus in nobis habitat? nisi forte reprobi estis. Hic est intimus, & reconditus, ac sync 2.Co.13 cerus cordis secessus, qui nisi per rōnis & mentis catholicā spem aperiatur, is, qui inhabitat, agnosci non potest, nec intelligi, vtrū accepta sint rationabilia sacrificia nostra, néc ne. Sicut enim in primis sacrificiis pro Israele, reliquias ignis consumebat, sic & hìc euenit. Aperta enim cordis fide per spem summus ille cœlestis sacerdos primogenitas mentis rationes suscipit, & diuino illo cōsumit igne, de quo dicebat ipse, Ignē veni mittere in terrā. & quid volo, nisi vt ardeat? Primogenitas mentis rationes diximus, quę nō Luc. 12.

ſecundo, ſed primo cogitationis impetu quaſi partu natæ, Chriſto ſtatim alacriter offeruntur. Quę enim cunctantes & hæſitātes offerimus, ea clauda & cæca, & monſtroſa vocat diuina ſcriptura, & ob id Domino Deo minimè grata. Ex ſuperioribus igitur ſcripturæ teſtimoniis conſtat nos eſſe omnis prauæ cogitationis auctores. Quòd ſi naturali quoque ratione demonſtrandum eſt, rurſum dicetur; O homo, qui te poſt baptiſma ſine culpa tua ab Adæ peccato dicis agitari, idq́; te tuis certaminibus exciſurum profiteris, animaduerte pugnantia te loqui, & propriis verbis implicari. Nā ſi malas cogitationes Adę peccatū appellas, diſce à ſancto Apoſtolo, te per baptiſma Chriſtum indutum habere poteſtatem, & arma, illas deſtruendi. Arma enim, inquit, militiæ noſtrę nō carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, cogitationes euertentia, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus cognitionē Dei. Quòd 2.Co.10 ſi poteſtatem habes aduerſum illas, nec tamen eas à primo ſtatim impetu deſtruis, ex infidelitate nimirum diligis voluptatem, & in illis morando delectaris, atque ita ipſemet talis actionis es cauſa, non autem Adam.

INTERROGATIO.

Quomodo ex infidelitate poteſt voluptatem diligere, aut cum delectatione in eiuſmodi cogitationibus immorari, qui ſeipſum in cellula coercet, & quotidie ieiunat, & temperantiam, & paupertatem, atq; hoſpitalitatem, ac vigiliam amplexus humi cubat, & incumbit orationi, multiſq́; aliis eiuſdē generis exercitiis duris atque aſperis affligitur?

RESPONSIO.

Rectè dixiſti, multis eiuſmodi duris atque aſperis exercitiis affligi, qui ea facit. Si enim ſine afflictio-

ne, cum lætitia & alacritate virtutes illas excoleremus, non essemus cupidi voluptatis. Fieri enim non potest, vt qui corporeis laboribus cruciatur, primos blandæ cogitationis impetus non admittat, & consoletur laborũ acerbitatem. Nam nisi id vellet, laboribus nõ affligeretur. Hoc autem nobis accidit, quia nõ futurorum bonorũ desiderio, sed tentationũ in præsentia nos inuadentiũ metu tantummodo mala sustinemus. Itaq; prauam duntaxat actionem nostrã peccatum existimamus, cogitationem verò, quæ præcedit, peccatum ducimus alienũ. Qui autem id nõ proprium, sed alienũ putant, nequeunt euitare. Videtur tamen aliquando ingratæ atq; iniucundæ cogitationes ex improuiso nos sine consensu nostro tanquam latrones inuadere, mentéq; per vim ad se pertrahere, quas quidem si diligenter consideres, inuenies ipsas quoq; à nobis occasionem accepisse. Nã aut post baptisma nos prauę alicui cogitationi ad actioné vsque dedimus, & propterea vel pręter sententiam nostram obnoxii facti sumus, vel spontè semina quædã malitiæ retinemus, & iccircò hostis roboratur, nosq; vel per illa semina oppugnans non recedit prius, q̃ ea proiiciamus, vel ad actionem inducit, & tunc demum expellitur, cùm Deo congruentem pœnitentię dolorem offerimus. Quare hoc ego non Adæ peccatum appello, sed illius potius, qui malè agit, habetq; semina. Quòd si dicis cogitationem hæc duo præcessisse, & quæris, quæ sit eorum causa. Tu, inquam ego, qui cùm potestatem habeas subtrahendi te ab illo impetu, id non agis, sed ad actum vsque in ea cogitatione moraris. Sin ante actum propter mentis imbecillitatem impetum illum superare nõ poteras, quomodo post actum excisurum te illum, præsertim factis iam confirmatum, & iure in te habentem imperium profiteris? Quòd si dixeris te Dei auxilio id effecturum: Deus, mihi crede, si voluisses, & ante actio-

nem tibi auxilium tulisset. Et cùm videris per cor tuum tibi auxilium præstò esse, animaduerte diligenter, gratiam non extrinsecus trãseuntem venisse, sed cùm tibi per baptisma data esset, occultè, nunc egisse tantum, quantũ & tu cogitationem odio persequens auertisti. Ideò ab omni vi nos liberans Christus, primos cogitationum impetus à corde nõ remouit, vt, si inuisi sint, statim ex animo deleãt: sin grati, quantùm diliguntur, tantùm & maneãt, vt appareat & gratia Christi, & volũtas hominis quid amet, laborésne propter gratiam, an cogitationes propter voluptatẽ. Nec mirum nobis videatur, ꝙ non solùm ab iis, quæ amamus, verùm etiam ab iis, quę odio prosequimur, per vim agamur. Improba enim quadam inter se necessitudine coniunctæ cogitationes prauæ, cupiditatibus nostris vicissim inseruiunt, & suum quæq; operarium secũ cõmorantem proximæ deinceps tradit, vt prioris consuetudine per vim tractæ, vel præter sententiam fortasse trahamur à posteriore. Quis enim inani gloria plenus effugere superbiam poterit? Quis somno atque deliciis deditus, à libidine nõ superabitur? Quis obnoxius auaritiæ, à crudelitate nõ vincetur? Quis ab his omnibus victus, ab indignatione & ira non capietur? Constat igitur, nos à violenta peccati seruitute liberatos, culpa nostra ab illo superari. Nam lex spiritus vitæ, vt scriptum est, liberauit nos à lege peccati & mortis. Et in nostra iam est potestate, cùm mãdata spiritus didicerimus, & audiuerimus, vtrum velimus secundùm carnẽ, an secundùm spiritum ambulare. Porrò secundùm spiritum ambulare non possunt, qui hoĩum laudes, & solatia carnis aucupantur. Et secundùm carnem viuerę nequeunt, qui cõstanter & verè futura præsentibus anteponũt. Quamobrem cùm diu in errore versati simus, oportet iam, vt hominum laudes, & corporis voluptates fugiamus, per quas cogitationes prauæ vel no- Roma. 8

bis inuitis renaſcuntur, & ex animo dicamus verba
Pſal.138 prophetæ: Nónne qui te oderunt, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi. Etenim verè ſunt hoſtes Dei prauæ cogitationes, quæ voluntaté eius
1.Tim.2 fieri vetant. Siquidem ipſe vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, illæ verò
Matt. 15 nos per affectionem decipiunt, & arcét à ſalute. Has & Dominus non ab Adam, ſed ex corde dixit proficiſci, & ideo hominem coinquinare inani nimirum
Ioan.5. gloria. Quomodo enim, inquit, poteſtis credere, qui gloriam ab hominibus accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Quando igitur oderimus inanem gloriam, & omnibus de rebus Deo crediderimus, omnem cogitationem ad eum ex vera cordis rationiſque ſpe allidentes: tunc, quemadmodum in principio fidei, quam accepimus per baptiſma, Chriſti corpus factus eſt fidelium cibus, ſic in animi ſpe & cognitionũ abnegatione verè fidelis ac pura mens fiet cibus Ieſu dicentis, Meus cibus eſt, vt faciã voluntatem Patris mei. Quæ auté eſt voluntas patris eius?
1.Tim.2 Vult omnes homines, vt inquit Paulus, ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Veritatem intelligit, quæ per animi ſpem, vt diximus, inuenitur, quæ non iam ex auditu, ſed ſancti Spiritus efficacia credi
Ro.10. tur, quæ eſt rerum ſperandarum ſubſtantia. Eſt enim
Heb. 11. fides ex auditu, & eſt fides rerum ſperandarũ ſubſtãtia, vt tradit ſcriptura. Ad huius veritatis agnitioné qui non ſunt baptizati, aut qui ſunt inanis gloriæ cupidi, nequeunt peruenire. Primùm enim iis, qui in Eccleſia Catholica baptizati ſunt, myſticè data eſt, & occultè inhabitat, deinde pro ratione obſeruationis mandatorum, & animi ſpei, reuelatur, ita credentibus Dño dicenti: Qui credit in me, ſicut dicit ſcri-
Ioan.7. ptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc auté dixit de Spiritu, inquit Euangeliſta, quem accę-

pturi erant credentes in eum. Quamobrem nos credimus per baptiſma libertatem & purgationẽ myſticè accepiſſe, ſicut ait ille: Nunc autẽ abluti eſtis, nunc autem mundati eſtis, nunc autẽ ſanctificati eſtis. Et talia ſcribit ad Corinthios, qui nondũ mẽtis ſpe per cogitationũ abnegationem erant mundati, nec per actionem Spiritus in corde ſanctificati, ſed qui malè agebant adhuc, & iniuria afficiebant, & fraudabant, etiã fratres. Vt oſtendant, eos, qui baptizati ſunt, purgationẽ quidem Chriſti munere & ſanctificationem myſticè accepiſſe, ſed propter fidei exiguitatẽ vnumquenque agi à propria cupiditate tractum, atq; deceptum, vt ſcriptum eſt. Quæ quidẽ cupiditas, cùm conceperit, parit peccatum, peccatũ verò vbi perfectum eſt, generat mortẽ. Ex propria igitur cupiditate peccatum in animo concipitur, cuius finẽ, cùm actu fuerit abſolutum, ſcriptura mortem appellat. Quòd autem ex baptiſmate in nobis ſit gratia Spiritus, quæ iuxta ſermonẽ Domini, docet nos omnem veritatẽ, diſce rurſum ex ſcriptura, & rebus ipſis. Primùm vide in actibus Apoſtolorum, quid multitudini dicat Beatus Petrus: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum. Et accipietis donum Spiritus ſancti. Nunc igitur ſaltem animaduertis, quomodo per ſanctum baptiſma remiſſio peccatorum & donum Spiritus ſancti detur pro ratione fidei. Cùm autem aliquis à fide deficit, confeſtim à peccato ſuperaẽ. Vide pręterea, qũo & illos duodecim, q. Epheſi ſine fide fuerant baptizati S. Paulus increpat, Accepiſtíſne, inquiẽs, Spiritum ſanctũ credentes? At illi rñderunt, ſe ne audiuiſſe quidẽ, vtrũ eſſet Spiritus ſanctus. Tum Paulus, in quo igiẽ, inquit, baptizati eſtis? Qui dixerunt, in Ioãnis baptiſmate. Ioãnes, inqt Paulus, baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, populo dicẽns, in eum, qui venturus eſſet poſt

1.Cor.3.

Iac.1.

Iac.1.

Io.16.

Act.2.

Act.19.

ipſum,vt crederent,hoc eſt in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu Chriſti. Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos. Nónne ſaltem nunc intelligis, ſtatim poſt baptiſma firmè credētibus datū fuiſſe Spiritum ſanctum: non credentibus autē,aut malè credētibus, quamuis baptizatis,non fuiſſe datum? Iam nos eſſe,q Spiritum ſanctum triſtitia afficimus, & in nobis ipſis extinguimus, diſce ab eodē Apoſtolo dicente:Spiri-

1.Teſ.5. tum nolite extinguere.Et rurſum: Nolite contriſta-

Eph.4. re Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Hæc attulimus teſtimonia, non q oēm hominem,qui baptizatus ſit,& gratiā acceperit, mutari deinceps poſſe, aut pœnitentia negemus indigere. Sed,vt conſtet, Chriſti munere perfectam nobis ex baptiſmate gratiā ad obſeruationem omniū mandatorum eſſe donatam. Cæterum cùm eam quiſque myſticè acceperit,nec tamen obſeruat mādata, quantùm deficit,tantùm à peccato poſſidetur, quod quidem non eſt Adæ peccatū, ſed illius, qui mādata negligit,qui cùm acceperit obſeruandi poteſtatem, nō obſeruat. Hæc defectio & negligentia ex incredulitate eſt, incredulitas verò non eſt peccatū alienū, ſed proprium illius,qui non credit,& omnium deinceps peccatorum eſt mater & dux.Siue igitur celeriter, ſiue tardè ad perfectionem venire volumus,debitores ſumus, qui Chriſto perfectè credamus & omnia mandata eius obſeruemus,cùm ab ipſo illa obſeruandi poteſtatem acceperimus. Neq; verò vnū poſt aliud,& ſigillatim vnūquodque debemus exequi,ſed omnia ſimul,cùm ea ſit mandatorū vis,vt ſingulis cōtineantur vniuerſa. Hoc ſolùm debemus certamen ſubire, vt incredulitatem noſtrā expugnemus, & ne mādata negligamus,per quæ data nobis gratia re ipſa declaratur. Quod quidē & Beatus Paulus fieri in

Eph.3. nobis orat, Huius, inquiens, rei gratia flecto genua

mea ad patrẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt det vobis ſecundũ diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Chriſtũ habitare per fidem in cordibus veſtris. Iam tempus eſt, vt rebus ipſis teſtimonium hoc, vt diximus, cõfirmemus. Ecce enim quantum nos credentes exequimur Chriſti mandata, tantũ fructus ſuos in nobis profert Spiritus ſanctus. Fructus aũt Spiritus, vt ſanctus Paulus ait, ſunt hi: Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mãſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Quis igitur horum fructum expers eſt poſt baſptiſma, vt ex baptiſmate neget ſe Spiritus gratiam accepiſſe? Ecquis rurſum ab eis quot die ſine defectu ſic poſſidetur, vt mandata non obſeruãs poſſit dicere, perfectus ſum, atque immutabilis? Perſpicuum igitur eſt, perfectam in nobis eſſe gratiam, ſed nos imperfectos eſſe propter mandatorum trãſgreſſionẽ. Sic & ſanctum baptiſma perfectum eſt, ſed nos imperfecti ſumus. Tu igitur, ò homo, qui in Chriſto baptizatus es, tantùm incumbe operi perficiẽdo, cuius poteſtatem accepiſti, teq; ad eũ, qui in te habitat, patefaciendũ, accinge, atque ita Dominus, vt pollicitus eſt, manifeſtabit ſemetipſum tibi ſpiritualiter, eo modo, quẽ ipſe nouit: Dominus enim ſpiritus eſt, vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Et tunc cognoſces illud, quod dictũ eſt, regnũ cœlorũ intra nos eſſe. Ac ne illud quidem ignorandum eſt, eos, qui ſigillatim obſeruant mandata, pro portione in regnum ingredi: qui auté in illud perfectè ingredi volunt, eos debere ſimul vniuerſa complecti. Perfecta autem omnium mandatorũ complexio eſt animæ abnegatio, id eſt mors. Et quemadmodũ omnis, qui viuit in carne, abeſt ab hac perfectione, ſic ad exitum vſq; propter hanc cauſam tentationis expers eſt nemo. Si quis igitur in via mandatorũ proficiens, ſpiritualem aliquem pro portione fructũ

Gal. 5.

Io. 14.

2. Cor. 3.

Luc. 17.

inuenit,credat eã se potestatẽ iam accepisse,quoniã per baptisma Spiritus gratiã accepit,quę bonorũ est omniũ causa,nõ occultorũ tantùm ac spiritualiũ, verùm etiã virtutũ illarũ, quæ perspicuæ sunt atq; cernunt.Neq; verò quisquã eorũ,q̃ sunt virtutis studiosi, putet,se viribus suis solis boni quippiam effecisse.
Matt.12 Bonus enim homo,inquit,nõ ex se ipso,sed ex bono cordis thesauro profert bonum. Thesaurũ appellat
Luc.6. Spiritum sanctũ,in corde fidelium absconditũ.Simile enim est regnum cœlorũ thesauro abscondito in
Matt.13 agro,quem qui inuenit homo,abscondit, & vendidit omnia,& emit agrum illum.Hoc valde congruit iis, quæ dicta sunt. Qui enim diligenter cõsiderat,se ex baptismate Christum in se ipso absconditum habere, vt Apostolus ait, omnibus huiusce mundi rebus abiectis manet in corde suo,& omni custodia seruat
Pro.4. illud,vt in prouerbio est, & vitæ exitum quærit. Nõ debemus igitur existimare,nos certaminibus nostris Adæ peccatũ excindere,immo ne propria quidẽ nostra,quæ post baptisma commisimus, nisi per Christum:Ipsius enim,inquit,est & velle & perficere,pro
Phil.2. bona voluntate:Addens, pro bona voluntate,ostendit,solum propositũ & affectionem in excolẽdis virtutibus in nobis esse,viuere autẽ ex virtute, aut amputare peccata nos sine Deo non posse. Et illud:Nõ
Io.15. potestis sine me facere quicquam. Et illud:Non vos
Io.15. me elegistis,sed ego elegi vos,eodẽ spectant. Quinetiã & id fortasse sic intelligendũ est. Omnia per ip-
Io.1. sum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil. Siquidẽ in rerũ omniũ numero & nostrę sunt.Ob id & propheta non dixit: Ex Hierusalẽ ad templũ tuum offerent
Psal.67. munera,quòd consentaneũ est,& fieri cõsueuit. Sed contrà:A tẽplo tuo in Hierusalẽ offerent tibi Reges munera.Quoniam regius cuiusq; animus ex occulto cordis tẽplo primũ accipit bonas occasiones à Christo inhabitante,& eas affert ad vitam rectè & ex vir-

tute instituendā, quam Hierusalē nominauit, atque ita rursum offert Christo, à quo per bonam inspirationem prius donatæ sunt. Hæc autem diximus non claudentes futura, sed confitentes nos mādatorum obseruandorū potestatem accepisse, & à mortis vinculis solutos esse. Debitores tamē sumus, & illa deinceps obseruemus. Quòd si ea non obseruamus, data nobis gratia non reuelatur. Quomodò enim nos, qui in peccato mortui eramus, bonū ex nobis facere potuissemus, nisi ipse nos per lauacrū regenerationis viuificasset, & Spiritus gratiā esset elargitus? Itaq; cōsideremus perfectā nobis gratiam esse donatā ad omniū mandatorum obseruationē, quę quidē gratia accessionē à nobis nō accipit, sed ipsa nobis cumulū præbet augmēti secundū Christum, & ad mortē vsq; corroborās cultores suos, donec occurramus omnes in vnitatē fidei & cognitionis filii Dei, in uirum perfectum, ad mensuram ætatis plenitudinis Christi iuxta spiritualem ordinem, quē ante declarauimus. Ephe. 4.

INTERROGATIO.

Qui baptizatus est, vtrū mysticè suscipit, filiúmne, an Spiritum sanctum? Modò enim dixisti, Christum inhabitare, modò Spiritum sanctum. Gal. 4.

RESPONSIO.

Per baptisma Spiritum sanctum accipimus, qui quoniam & spiritus Dei dicitur, & spiritus Christi, ideò per Spiritum, & Patrem, & Filium suscipimus.

INTERROGATIO.

Spiritus ergo Trinitas est?

RESPONSIO.

Non dicimus in vna persona consistere Trinitaté. Sed qm̃ nec à Patre, nec à Filio separatus est Spiritus, iccircò Trinitaté in ipso secundũ eandé diuinitatem cõfitemur. Quemadmodũ enim in Patre est Filius & Spirit⁹; & rursum in Filio Pater & Spiritus, sic & in ipso Spiritu est Pater & Filius, nõ triũ cõfusione personarum, sed vnius cõiunctione voluntatis & diuinatis. Quare siue Patrem separatim nominabimus, siue Filium, siue Spiritum, trinitatem in vno nomine, eo, quem diximus, sensu nominamus.

INTERROGATIO.

Quomodò cùm scriptura cœlestem dicat esse Hierusalem, tu ipsam in corde esse dixisti?

RESPONSIO.

Non modò Hierusalem, sed & reliqua bona, quæ in resurrectione iusti sunt accepturi, scimus esse cœlestia. Sed eorum arrhæ, atque primitię iam nunc in cordibus verè fideliũ spiritualiter sentiuntur, vt futuris de rebus facti certiores præsentia cuncta contemnamus, & ad morté vsque Deum diligamus. Propterea nõ dixit: Estis accessuri, sed, Accessist s ad monté Sion, ad ciuitatem Dei viuẽtis, Hierusalem cœlesté.
Heb. 12. Adhæc igitur suscipienda ex baptismate facti sumus omnes idonei, sed ea, qui verè fideles sunt, soli consequuntur, qui moriuntur quotidie propter charitaté Christi, id est, omnem huiusce vitæ sensum transcendunt, & nihil aliud cogitant, nisi quando ad perfectam Christi charitaté sint peruenturi, quæ cordis est ostiũ interius, quò præcursor pro nobis ingressus

Philip. 3

est Iesus. Id quærens initiò Paulus dicebat: Persequor, vt cõprehendã, in quo & cõprehensus sum, hoc est, vt amem, in quo & sum amatus à Christo. Hãc ille simul ac assecutus est charitaté, nihil aliud curabat neq; corporis cruciatus, neq; miracula creaturę, sed ab omni alia mente reuocans cogitatione, nec punctũ quidem téporis se spiritus affectione priuari patiebatur. Iam quę propter spirituale charitaté neglexerit, declarauit, Quis, inquiens, nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculũ? an gladius? Et rursum: Cert⁹ sum, inquit, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; virtutes, neq; instantia, neque futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neque profundũ, neque alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Domino nostro. Quamobrem nihil horum volebat cogitare, sed in ea solùm permanere. Rom. 8.

INTERROGATIO.

Quomodò paulò antè dixisti, perfectè in nobis spiritum inhabitare?

RESPONSIO.

Primitias dixi, ne parté aliquã totius, aut sectioné spiritus introducerem. Neq; enim scinditur, aut immutatur, sed capacitaté nostram ostendit, quæ totã ipsius vim actionemq; non suscipit, nisi per mandatũ perfectũ, hoc est, per mortem. Siquidé & pro Christi veritate mors mandatũ est Dei. Quemadmodũ igitur Sol, perfectus cùm sit, perfectam, & simplicem, & æqualem omnibus ex se gratiam præbet. Sed vt oculos quisq; puros habet, sic & Solis lucé admittit: itidé & Spiritus sanctus ad suscipiédas omnes actiones & Luc. 14.

munera sua, credentes sibi ex baptismate idoneos facit, verùm nō omnibus omnia munera tribuit, sed iuxta cuiusq; dignitatē, pro ratione mādatorum, vt bonis operibus testimoniū reddat, & fidei in Christū mensuram declaret. Itaq; misit, inquit, Deus Spiritū filii sui in corda nostra clamantē, Abba, Pater. Et Spiritus ipse testimoniū reddit spiritui nostro, quòd simus filii Dei. Quòd autem nemo sibi ipse amputet Adę peccatū, sed Christus solus pro ratione erga ipsum fidei, Audi Apostolū dicentē: Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas. Et rursum: Cōmendat autē charitatē suam in nos, quoniā cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Et consepulti sumus ipsi ꝑ baptisma, vt quemadmodū surrexit Christus à mortuis, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et, qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Et, Gratia saluati estis, & nō ex operibus, vt ne quis glorietur. Et rursum: Eratis enim aliqñ tenebræ, nunc autē lux in Domino, vt filii lucis ambulate. Et rursum: Vos autē non estis ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Et rursum: Vt liberi, nō tanq̄ malitiæ velamen habētes libertatē. Cernis, quomodo, ꝑ quę tu certamina dicis te peccatū abscindere, ea nouitatis, & libertatis, & lucis opera appellet scriptura? Ostendit præterea & liberi arbitrii trāsgressiones, quas tu vocas Adæ peccatū, dū dicit: Tanq̄ malitiæ velamē habentes libertatē. Et, cōtristare Spiritū sanctū, Et, facere volūtatē carnis & cogitationū. Et, cùm spiritu cœperitis, carne consumamini. Et, quia debitores sumus, nō carni, vt secundū carnē viuamus. Hęc & talia eiusmodi in nostra esse potestate, vt vel faciamus, vel nō faciamus, nō ignorat scriptura, & iccircò non Satanam, nec Adę peccatū, sed nos accusat. Si vis autē, prudēter audi, & tibi cōpendiò rē expediā. Tu cogitationū prauitates Adæ peccatū vocas. At Paulus

Gal. 4. Rom. 8. Rom. 5. Rom. 6. Rom. 6. Ephe. 2. Ephe. 5. Gal. 6. 1. Pet. 2. 1. Pet. 2. Ephe. 4. Ephe. 2. Gal. 3. Rom. 8. Rom. 12.

apertè ac dilucidè nos vt malæ cogitationis auctores arguit: Nolite, inquiens, cõformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri. Si hæc nõ ſunt noſtræ voluntatis, ſed ex Satanæ tyrannide, & ex relicto Adę peccato, cur nos à ſcriptura reprehendimur, ꝙ à peccato ſuperemur? & à Satanæ tyrãnide teneamur? Nũ ſine cauſa puniri debemus? an fortè ex ſententia tua Deus iniuſtus eſt, qui imperet ea, quæ naturæ noſtræ ſuperãt vires, & requirat à nobis, quæ præſtare nõ poſſumus? Verùm hæc haud ita ſe habẽt, abſit. Nam & ego viciſſim interrogabo, & tu mihi reſpõdebis. Quicquid viriũ habet natura ad colẽdam pietatẽ, nónne id totũ Deo quotidie debemus offerre? Debere nos profectò reſpondebis. Quandoquidẽ eas ipſe naturæ largitus eſt vires, & pro viribus mandata dedit. Quod igitur Deo quotidie offerendũ eſt bonũ, id debitum eſt quotidianũ. Iam igitur oſtende mihi, quomodo veteri peccato, ſiue tuo, ſiue Adam, ego autem tuum dico, ſatisfeceris. Atqui non ſolùm id non oſtẽdes, ſed ne quomodo quidẽ ſine defectu debitum quotidianum exoluas. Vnde id planũ fiet? ex eo, quòd nõ in eiſdẽ ſemper virtutibus reperiris. Quãtum enim hodie in virtute proficis, tãto heſternæ diei debito obligaris, cum naturæ vires oſtẽderis. Ex hodierna enim progreſsione declaratur, heſternam defectionẽ nõ naturæ fuiſſe, ſed voluntatis.

INTERROGATIO.

Vt hæc ita ſe habere concedã, unũ tamen ſcio, me niſi Adã peccaſſet, nõ fuiſſe mali tẽtationẽ habiturũ.

RESPONSIO.

Ne id quidem rectè dixiſti. Nam à malo non tentari, naturæ eſt immutabilis, non autem humanæ.

Etenim si nos,& Adam sumus vnius eiusdemq́; naturæ,oportebat,vt ille esset, quales nos sumus, & nos, qualis ille.Persuadeat igitur tibi ille ipse primus homo, se neque immutabilem fuisse, neq; singulariter ad malum mutabilé,sed sponte mutabilé,neq; naturæ necessitate,sed propositi voluntate mandatū esse transgressum. Quemadmodū igiturille Satanæ tentationi sic erat obnoxius,vt in eius tamen potestate esset,vel obedire,vel non obedire:sic etiam nos.

INTERROGATIO.

Nunc quidem fortasse assentiar tibi, quia Satanæ non aufers tentationem.

RESPONSIO.

Ego verò ne antea quidē sustuli tentationē.Noui enim & Iob à Diabolo fuisse tētatū, & scripturā & di-
Ephe. 4. centē : Nō est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē,sed aduersus principatus,& potestates,aduersus mūdi rectores tenebrarū harū, aduersus spiri-
Iac. 4. tualia nequitiæ. Et rursum : Resistite diabolo, & fu-
1. Pet. 5. giet à vobis . Et alibi . Aduersarius noster Diabolus circuit,quærens,quem deuoret.Verū qm̄ prauas cogitationes nō esse vestras,sed aliorū existimatis, modò enim eas Adæ peccatū,modò Satanā, modò Satanæ tētationē esse dicitis,ideò nos aliud asserimus esse peccatū Adæ,aliud Satanā,aliud Satanæ tentationē,aliud prauas cogitationes,quæ ex tētatione occasiones accipiūt. Nā Satanas quidē est ipsius Diaboli persona,quę & Dn̄m ipsum tentare conata est. Peccatū autē Adæ est primi hominis trāsgressio mādati. Tētatio verò est rei prauæ species animo per cogitationem obiecta , quæ itē ipsa propter fidei nostræ exiguitatem ad mentē accedit. Etenim cùm præce-

ptum

ptum ſit nobis, ne ſolliciti ſimus, ſed omni cuſtodia cor noſtrum ſeruemus, & quæramus regnum cœlorum, quod intra nos eſt: quando mens à corde & ab hac inquiſitione recedit, ſtatim aditum prębet Diaboli tentationi, & apta fit ad malas ſuggeſtiones recipiendas: verùm ne tunc quidem Diabolus cogitationis noſtræ mouendæ poteſtatem habet, neq; enim parceret nobis, quo minus omnem malã cogitationem per vim inferret, nec vllum bonis cogitationibus relinqueret locũ. Tantùm animo poteſt primo quodam impetu res prauas obiicere, vt intimã affectionem tentet & exploret, vtrum ad ſuggeſtionem ſuam, an ad Dñi mandatum magis inclinet: ſibi enim hæc inuicem aduerſantur. Itaque nos quas res diligimus, ad eas nobis obuerſantes animũ intendimus, & in illis cogitandis cũ affectione verſamur: quas autẽ odimus, in earum cogitatione non poſſumus immorari, ſed & tentationẽ ipſam odio ꝓſequimur. Quòd ſi, quanuis inuiſa, permaneat, id enim accidit, non tãmen ex recenti affectione, ſed ex veteri anticipatione roboratur. Quamobrẽ & ſine læſione in loco ſuo manet ſolitaria, & à cordis triſtitia propagari, atque in vitium prorumpere prohibetur. Neque enim primæ illæ ſpecies, quæ animo obſeruantur, ſi tibi ipſe attenderis, eò mentẽ vi poſſunt pertrahere, vt diu in ipſis cogitando inhæreas, & cõmoreris, niſi cor voluptatẽ inde percipiat. Itaq; ſi nos ab earũ oblectatióne remouemus, nequeunt offendere, licèt ſecurã cõſcientiæ quietẽ de futuro conẽtur perturbare. Cùm enim mens inanem præoccupationum impetũ agnoſcat, & Deo veterem cauſam confiteaĩ, ſtatim & hæc tentatio remouetur, & mens rurſum poteſt cordi vacare, atque illud omni cuſtodia in intimis partibus tueri, in penetralia ab interpellatoribus remotá ingrediendo, quò per vim malarum cogitationum ventu nõ aſpirant, vt animam & corpus in voluptatis ra-

Prou. 4.
Luc. 17.

pes deturbent, atque in bituminis puteos cōiiciant. Vbi non est ampla quædam ac lata verbis & figuris humanæ sapientiæ via, quæ sub prudentiæ specie sequentes eam, peruertat atq; decipiat. Pura enim atq; intima illa animæ penetralia, & Christi domicilia, nudam mentem admittunt, nihil huiusce sæculi siue rationi congruens, siue contrariū videatur, secū afferentem, præter illa tria sola, quæ dixit Apostolus, Fi-
1.Co.13 dem, Spem, Charitatem. Potest igitur veritatis amator, & qui in corde suo seruando non recusat laborem, efficere, vt ne à præoccupationibus quidem de constantiæ gradu deiiciatur, sed sibi ipse attēdere, & in intimum ingredi penetrale, & cū solo Christo versari, vt attentionis & perseuerātiæ labores ei molesti non sint. Labores enim vitare non pōt, qui attētè ac studiosè vult se à superbiæ exaltationibus, & carnis voluptatibus quotidie nō solùm extrinsecus, sed etiā intrinsecus auocare, in quibus sæpè & animo & actione versatus est. Tentationū igit impetus vitari non posse vel ex eo perspicuū est, ꝙ manent, quanuis nobis inuisæ sint. At in cogitationibus aduenietibus inhærere atq; immorari voluntariū est. Illud præterea demonstrauimus, nos quāuis non peccassemus in similitudine præuaricationis Adā, tamen prohibēdi primos tentationis impetus vim habituros nō fuisse, posse tamen assensum & affectionem cohibere.

INTERROGATIO.

Si Adæ præuaricationem non accepimus necessariò, quid est rationis nostræ peccatum?

RESPONSIO.

Est nō Adæ præuaricatio, sed praua cuiusq; animi affectio. Si Adæ præuaricationem suscepissemus hæreditariam, cùm necessaria esset, necessariò nos om-

nes oportuisset prȩuaricari, neq; propterea accusari à Deo, cùm ex naturalis successionis necessitate prȩuaricaremur. Nunc autē haud ita se res habet. Nam neq; omnes mandatū transgredimur, neq; illud oēs seruamus. Ex quo patet nō necessitatis esse præuaricationem, sed voluntatis. Sin propter hanc dixeris Dominum aduenisse, cur igitur illam nō sustulit, sed nunc item quisq; potestatem habet aut præuaricandi, aut non præuaricandi? cū ergo voluntaria sit prȩuaricatio, nemo suscepit illā ex necessitate. At mortem ex illa profectā necessariò suscipimus, quȩ est à Deo abalienatio. Cùm enim mortuus esset primus homo, id est à Deo abalienatus, neq; nos in Deo viuere poteramus. Iccircò Dn̄s venit, vt nos per lauacrū regenerationis viuificaret, reconciliaretq; Deo: quod & fecit. Non igitur prȩuaricationē suscipimus hȩreditariā, cùm ne ipse quidem Adam illā habuerit ex necessitate, sed ex voluntate. Mortem verò suscepimus necessariò, quoniā & illum ex necessitate tenuit, quæ regnauit etiam in eos, qui non peccauerūt in similitudine præuaricationis Adam.

INTERROGATIO.

Concedamus, Adam voluntate præuaricationem habuisse, & ideo nos item, cùm eiusdē naturæ simus, voluntate in illam incidere: num & tentationem nō habuit ex necessitate?

RESPONSIO.

Ex necessitate profectò habuit tentationem. Verùm tentatio neque peccatum est, neque iustitia, sed liberæ nostræ voluntatis indicium. Et ideo permissum est, vt nos inuadat, vt eos, qui seruant mandata, coronatos declaret tanquam fideles: qui verò declinant ad ea, quæ sensibus iucunda sunt, eos damna-

tos ostendat vt infideles. Neque illud nobis ignorandum est, ꝙ non continuò ex singulis meditationibus vel probi, vel improbi iudicamur. Sed cùm per totã hanc vitam, quã in carne degimus, tentationibus explorati fuerimus, vincentes, victi, cadentes, surgẽtes, rectà incedentes, oberrantes, tunc in exitus die, omnibus sub examen adductis, pro eorum ratione iudicabimur. Tentatio igitur non est peccatũ. Absit. Licèt enim ex necessitate res sigillatim demõstret, nos tamen in Dño spiritualiter agendi potestatẽ accepimus. Et in nobis est, statim ab ipsa prima suggestione quid vtile, quid inutile sit, expendere, atq; cogitationes ipsas non ex necessitate, sed ex affectione auctas vel reiicere, vel amplecti. Iam, vt ex sentẽtia tua, demus, has etiam ex necessaria successione consurgere, cur nos propter malas cogitationes scriptura diuina condemnat? Quomodo enim possumus eas excludere, quę nos ex necessitate & successione perturbant? Sin posse nos dixeris propter gratiam, quã accepimus in baptismate: scito nos item in culpa esse, qui illas excludendi statim post primum impetũ potestatem habemus à Deo. Quod si quis alium constituit auctorem malorum suorum, is non solùm audacter peccat, verùm etiam Deum incusat, ꝙ homines sine causa permittat oppugnari.

INTERROGATIO.

Cur igitur ego, cùm sim baptizatus, & Deum precer, & gratiam eius implorem, & tota voluntate cupiã eripi ac liberari à malis cogitationibus, tamen nõ possum? Nónne perspicuũ est, Adæ præuaricationẽ, ineuitabilem hanc nobis hæreditatem reliquisse?

RESPONSIO.

Aequum erat, vt cùm ratione præditi simus, conditionis nostræ memores essemus. Verùm posteaq̃.

animus voluptatis & inanis gloriæ cupidine excæcatus in profundum ignorantiæ decidit, non audit amplius scripturæ mandatum, nec naturæ ordinem sequitur, nec prudétium virorum monitis patet. Quis enim diuinæ credens scripturæ, & Domini seruans mandata, non sentit pro obseruationis ratione cogitationes desinere, easq; intelligit, non pro potentia sua dominari, sed quia nos fidei inopia laboramus, & in mādatorum obseruatione deficimus? Quamobrē non sumus oēs in eodem statu, nec eisdē cogitationibus agitamur, cùm earum causæ sint voluntariç. Si enim ex Adam essent necessariæ, oēs ab illis pariter detineremur, neq; scripturæ præceptis, neq; Apostolicis, admonitionibus egeremus, natura per successionē, non autem voluntate per libidinem imperante: Nunc autem haud ita est. absit. Ecce enim nō omnes ex æquo premimur cogitationibus, neque eisdē temporibus, neq; eisdem de rebus. Sed quantū quisque Domino credidit futuris de bonis, tantùm humana gloria, voluptateq; cōtempta cogitationes exclusit, & eo tranquillior est, qui rebus eiusmodi delectatur. Ex quo fit, vt & opinione & vita inter nos differamus. Quoniam igitur veritatem pleriq; profitemur, & non ex fide Iesu, idest, ex mandatorum ipsius obseruantia, neq; per frugalitatem, & humilitatem, animique labores studemus cogitationes extinguere, sed voluptates, & gloriam, & hominum beneuolétiam, existimationem, fastum, victoriam, honores, & alia eiusdem generis aucupamur, quç si ex sententia contigant cupiditatis, sin minus, iracundiæ cogitationes multiplicant: ideo non possumus. Causas enim fouentes perperam quærimus effectus illarum repellere. Quæ vtrū falsa sint, & sine culpa nostra cogitationibus agitemur, accuratè tanq̄ Deo cōfitentes consideremus. Quis non videt, ea, quæ dicta sunt, & verbis, & factis, & animo à nobis prouocari? Quorū

auxilio ea consequimur, illos vt benemeritos diligi, eos verò, qui sunt impediméto, tanq̃ inimicos arceri? Quòd si hæc tantopere diligimus, vt apertè conquiramus, quomodo tẽtationes de illis odio ꝓsequemur? Harum aũt primo impetu admisso, qui fieri poterit, quin comites illarũ cogitationes subsequantur?

INTERROGATIO.

Vt demus hæc ita esse, tamen in Euangeliis Domi-
Luc. 18. nus pollicitus est, se vindictam eorum facturum, qui ad se clamant nocte & die.

RESPONSIO.

Non ad eos Dñs parabolam dixit, qui spontè versantur in voluptatibus, sed ad illos, qui solis oppugnantur præoccupationibus, nec tamen illis assentiuntur. Hos vt ab hostibus affectos iniuria vlturum se Dominus promisit. Illos verò, qui mandata sibi
Luc. 6. opem ferẽtia repellunt, increpat, Quid me, inquiẽs, vocatis, Domine, Domine, & non facitis, quæ dico?
Matt. 7. Quos & homini stulto similes dicit, qui super arenã, propriæ voluntatis, non autem super petram Domini mandatorum domum suã ædificat. Ne igitur obstinata mente, & absurdo consilio omnibus opinionibus tuis tanquam veris innitaris: ego, inquiens, & baptizatus sum, & Deum precor, & tota voluntate mea gratiam eius imploro, vt à malis cogitationibus eripiar, & non possum, quippè qui ab illis inuitus supe-
Luc. 18. ror. Et rursum, Vindictam, inquiẽs, Domini expecto, quam in Euangeliis pollicitus est, atque ita semper te alienũ à culpa constituens. Quod quidem nefariũ est ac detestandum. Ego, quoque, ne tibi nimium placeas, vnum ex te quæram, ad quod mihi respondens, ab ipsa veritate stimulatus vel maioris arrogantiæ verba proferes, vel te causam esse confitebe-

re. Cur, cùm Dñs se celeriter vindictam facturũ promiserit, non celeriter eã facit, sed differt, & relinqt te in malis cogitationibus, quãuis ex toto corde & assiduè illum precèris, quemadmodum dixisti? Arbitror, inquies, cum nullam aliã ob causam differre, nisi vt ego patientiam exerceã. Quantò enim quis maius bellum sustinet, tantò maiorem gloriã assequet. Nónne animaduertis, quæ in Deum maledicta cõiicias? Vt enim falsam tibi patientiam ascribas, Dominum in proprio sermone mendacẽ constituis, & prauas cogitationes, non iam, vt scriptura testatur, improbitatis, & libidinis, & oĩum peccatorũ materiam subministrare, & ex corde, vt Dñs ait, proficiscentes, hominem coinquinare cõcedis, sed patientiæ vis esse causas & gloriã nobis apud Deum conciliare. Ego verò, eos, qui prauis cogitationibus detinentur, neq; in veteri, neq; in nouo testamento laudari vnquam reperi, immo verò tanq̃ illarum auctores miseros dici atque damnari. Deus enim quemadmodum malas odit cogitationes, sic cor, vnde proficiscuntur, detestatur. Quamobrẽ cum illis abũdamus, dolere debemus, vt qui studiosi & cupidi simus peccatorũ, & non inflari atq; extolli, tanq̃ cum alienis malis depugnemus. Deus, mihi crede, ò homo, perspicit oĩum corda, & eorum qui prauas cogitationes oderunt, vindictã facit, primos statim illarum impetus opprimens, nec sinit eas examinis instar ingruere, & mentẽ atq; conscientiã contaminare. Quos autem per Fidem & spem in Deum primas earum incursiones viderit non cohibere, sed diu in illis considerandis & cum delectatione commorari, eos vt infideles & viribus suis confidentes ab aliis etiam cogitationibus subsequentibus obrui permittit. Cùm enim videat antecedentẽ impressionem nobis minimè inuisam, sed iucundam, & gratam, propterea illas non tollit. Quòd si quis tam claris rationibus non acquiescit, re saltẽ

Matt. 15

atque experientia discat veritatem. Sin neq; scripturæ vult credere, neque experimentis erudiri, perspicuum est, cũ æquo plus sibi arrogare, & propria opinione nimium oblectari. Quid enim ea iucũdius opinione, quæ rationis ac mentis peccatum alienum ducit, hominesque superbos atque exultantes reddit, & persuadet, vt se culpæ potius expertes existiment, q̃ prauarum cogitationum & consiliorum auctores fateantur, & doleant?

INTERROGATIO.

Paulò ante dixisti, nos Adæ preuaricationem nõ suscepisse. Ergo morte dominante dominantur & prauæ cogitationes.

RESPONSIO.

O malæ defensor fidei: Cur igitur Dominus venit
Heb. in carne. Nónne vt vnus pro omnibus moreretur, vt testantur scripturę, & destrueret eum, qui mortis habebat imperium, id est Diabolum? Quòd si mortem ex Adam profectam adhuc sine mala fide nostra existimas dominari, nimirum & domini aduentum tollis, & baptisma constituis imperfectum, cùm baptizati sine propria culpa patriæ mortis opprimantur dominatu. Proinde, audi, homo quomodo Christi gratia nouus Adam effectus es, & nihil vetustatis ex necessitate trahis, nisi ob prauam fidẽ, transgressionemque tuam. Venit propter nos Dominus: mortuus est pro nobis. A patria nos morte liberauit. Mundat, ac renouat nos per baptisma. Collocat nos in Ecclesiæ paradiso. Ex omni ligno, quòd est in paradiso, vesci nos iubet, id est, omnes in Ecclesia baptizatos diligere, errantesque patientia sustinere, non autem in erroribus imitari, atque in iis, quæ bona honestaque sunt, amplecti, in turpibus autem & prauis odio prosequi. Quod est lignũ scien-


tiæ boni ac mali, quo mens quæ vescitur, in easdem incidit calamitates,& suam ipsius ob malā imitationem deprehēdit nuditatē, quam prius tectā propter cōmiserationē non agnoscebat. Quapropter in Ecclesiæ paradiso constitutis præcipit, Nolite,inquiēs, iudicare,& non iudicabimini: Dimittite,& dimittetur vobis. Verbo deniq; cuncta complectitur, Omnia inquiens,quæ vultis,vt faciant vobis homines,& vos eadē facite illis: Hæc enim proximum tuū,sicut te ipsum. Prophetę verò: Quemadmodū facies, fiet tibi. Quoties igitur hęc mandata violauimus? Quoties proximū sine misericordia iudicauimus? Quoties, si non læsimus,odio certè prosecuti sumus? Quæ si vera sunt, quid adhuc Adæ mala nostra ascribimus? Si enim in similē mortē incidimus,similiter etiā voluntate nostra mandatū violauimus, quemadmodū & ille. Tria igitur Adæ non vnū, vt tu existimas acciderunt,nempe, tentatio ex diuino cōsilio, transgressio ex propria infidelitate,mors, quæ ex iusto Dei iudicio non tentationem diuino permissam cōsilio, sed transgressionē ex infidelitate profectā cōsecuta est. Nos ergo solam mortē suscepimus hæreditariā,cùm ex mortuis in vitā nō possemus reuocari, antequam Dominus venit,& credentes omnes viuificauit. Tentatio verò nos itē,quemadmodū & illū, premit ex diuino cōsilio. Et in nostra itidē est voluntate, vel obtemperare,vel nō obtemperare,vt in illius fuit: Et voluntaria,non autē necessaria est mandatorū transgressio nobis, qui non peccauimus in similitudine preuaricationis Adā,vt ait Apostolus. Nam si alii ex Adam oriundi nō potuissent nō peccare in similitudine præuaricationis eius,ne nos quidem possemus. Quid igitur excusamus excusationes in peccatis, & loquimur aduersus Deum iniquitatem,tanq̄ iniustè nos alienis malis sinat impugnari? Planè iā scire possumus,cùm Dominus omnē Adæ culpā sustulerit, si

Psal. 7.

Rom. 5.

quid mali patimur, id culpa nostra nobis accidere,
qui propria infidelitate, seu voluptate, quam in baptismate accepimus perfectionem, reiicimus & aspernamur. licet enim homo nō agnoscat id, quod accepit, cùm fide imperfectus sit, & actione deficiat: Deus tamē perfectum largitus est munus. Omne enim,
Io. 1. inquit, donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. Hāc autem perfectionem haud facilè reperiet quisquam, licèt omnem humanam sapientiam, omnemque mundi prudentiam adhibeat, nisi Christi obseruet mandata pro cuius obseruationis ratione variè nobis & gratia reuelatur. Nemo igitur se ipsum verbis figurisq; commēdet, nisi hanc
2. Cor. 3 habeat cōmendationem. Neque enim qui se, inquit, commendat, ille probatus est, sed quem Dominus commendat. Et ille ipse, qui à Domino habet commendationem, recto vti sensu debet, ac pro certo habere, quantuncunq; quis aduersus infidelitatem suā decertarit, & fide profecerit, & boni aliquid non cognitione solùm, sed & actione consecutus sit, nihil tamē amplius inuenisse, aut inuenire posse, quàm prius mysticè accepit in baptismate, quod est Christus.
Gal. 2. Quicunque enim, inquit, in Christo baptizati estis, Christum induistis. Christus autem cum perfectus sit Deus, perfectā baptizatis largitus est spiritus gratiam, quæ à nobis augmentum non accipit, sed reuelatur, & patefit nobis pro ratione obseruationis mandatorum, & nobis per fidem augmentum præbet, donec occurramus omnes in vnitatē fidei, in virum
Ephe. 4. perfectū, in mensuram ętatis plenitudinis Christi. Si quid igitur regenerati ipsi offerimus, id iā ab ipso, &
Rom. 11. in ipso erat in nobis abscōditū, sicut scriptū est. Quis nouit sensum Domini, aut quis cōsiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia. Ipsi gloria, & imperiū nunc, & semper, & in sæcula sæculorū. Amē.

EIVSDEM S. MARCI ABBATIS
Cum anima sua consultatio.



VDI, anima ratione prędita,& meorum particeps consiliorũ. Volo tibi rẽ mysticam ac nouã explicare,quam affectibus non planè purgatus,sed Christi gratia parumper solutus percepi. Certò scio,ò anima,me,atque te,dum præter naturã agimur, ignorantia decipi, ideoq; peccata nostra in alios cõferre,dicentes,malitiã extra nos esse.Itaque nunc Adã,nunc Satanã,nunc homines accusamus.Et dũ videmur alios oppugnare, nosmet oppugnamus: dum putamus ego & tu nos vicissim defendere,bellũ nobis inferimus:dum nobis ipsi credimus benefacere,nos ipsi furẽtiũ instar cædimus ac laceramus.Et iccircò iactationes & ignominias inutiles meritò patimur,ꝙ mandata diligere videamur,causas autẽ ipsorũ, per errorẽ odio prosequi. Quamobrẽ diligenter animaduerti,nos neq; ad malũ, neq; ad bonũ ab vlla potentia ꝑ iniuriã trahi.Etenim cui post baptisma,in ipsis rerũ initiis volũtate seruimus, siue Deo, siue Diabolo, is nos iure deinceps partib⁹ suis adiungit.Porrò rerũ initia,sunt duo tẽtationũ ĩpetus,nempè laudis humanæ,& corporeæ voluptatis:q sanè impetus cùm repẽtè nos inuadũt,nec vitia sunt,nec virtutes,sed nostræ volũtatis,indicia,in vtrã partẽ propẽdeat. Nã cùm Dominus velit,nos opprobia & iniuria sustinere, Diabolus autem cõtraria cupiat,si primos illos impetus libenter admittimus ac fouemus, perspicuũ est,nos à Domino recedẽtes ad voluptatis spiritũ inclinare. Sin illos odimus &,ꝑpulsamus, patet,nos ꝑ angustã portã intrãtes ad Dñm vergere. Iccircò permissũ est,vt hę duę tẽtationes assiduè homines petãt, vt qui mãdata diligunt, & illaꝫ oderũt,

assensum Christo præbeat voluntatis, & ipse aditum inueniēs, mentē ad veritatē perducat. Iam & contrariū ita mihi considera. Qui gloriam humanā & corporis diligunt oblectationē, aditū Diabolo patefaciunt, quo & ipse inuento mala propria suggerit. Et quantū ea diligimus, tantū ille augmenti non cessat inferre, quoad ex animo tētationes ipsas oderimus. Quanq̃ nos eas ita plerunque complectimur, vt non solùm pro illis virtutē prodamus, verū etiā eas ipsas vicissim vnā pro alia in tēpore cōmutemus. Siquidē & inanis gloriæ causa aliquādo corpus affligimus, & aliquando ignominiā voluptatis gratia sustinemus. Cùm autē illis sine molestia fruimur, tūc eas augendi materiā cōquirimus. Inanis verò materia gloriæ, & corporeę voluptatis est auaritia, radix omniū ma-
1.Tim.6 lorū, vt scriptura testatur. At nos, inquies, anima chara, neq; aurū cumulamus, neq; prędia possidemus. Et ego respondeo tibi, neq; aurum, neque prędia per se detrimentū afferre, sed præposterum illorū vsum, vt antè dixi. Quidam enim diuites, cùm diuitiarū amore minimè tenerentur, Deo placuerunt, vt Sanctus Abraham, & Iob, & Dauid. Nos verò sine diuitiis auaritiæ vitiū in materia abiectissima nutrimus. Ex quo sumus diuitibus multo infęliciores, qui cùm ea, quæ pleriq; cupiunt & admirantur, videamur despicere, occulta tamen, quasi Deum latere possimus, eorum cupidine laboramus. Nō cumulamus aurum, sed res vilissimas congerimus. Principatus & dignitates nō accipimus, sed omni ratione gloriā & laudem aucu-
Col. 2. pamur. Possessiones reliquimus, sed illis frui nō recusamus: Ac si quando videmur recusare, non auaritiā fugimus, sed res à Deo procreatas detestamur, illud, ne attigeris, ne gustaueris, haud rectè intelligentes. Cùm Adam & Euæ præuaricationē audis, anima di-
1.Cor. lecta, in principio quidē eam ab illis commissam cre-
20. de. Nunc tamen in me àtq; in te illam inuenies. Hæc

enim in figura contigerunt illis, scripta sunt autẽ ad Io.15.
nostram institutionẽ, in quos fines sæculorũ deuenerunt. Ecce enim in Ecclesiæ baptismate regenerati, & in eius paradiso constituti, mandatũ ab eo, qui nos regenerauit, accepimus. Præcepit enim Dominus, vt omnes, qui sunt eiusdẽ fidei, diligamus, & quicquid ab eis prouenit, per patientiã comedamus. iuxta illud quod dictũ est, ex omni ligno, quod est, in paradiso, comede. Nos autem ex serpentis cõsilio alios vt bonos diligimus, alios odimus tanq̃ malos. Quod quidẽ est lignũ scientiæ boni & mali. Ex quo degustantes in mortẽ incurrimus, nõ quòd Dominus mortem fecerit, sed homo, qui proximũ odit. Deus enim mortẽ non fecit, neq; viuentiũ perditione delectatur, neq; iracundia cõmouetur, neq; vindictam excogitat, neque pro cuiusq; meritis immutatur. Sed omnia in sapiẽtia fecit, & lege spirituali iudicari voluit: Itaque nõ dixit, Qua die comedetis, ego vos mortẽ afficiã: sed iustitię legẽ præscripsit, Qua, inquiẽs, die comedetis, morte moriemini: atq; ita cuiq; rei tam bonæ, quàm malæ naturaliter euenire voluit, quod æquũ est, non autẽ dedita opera, vt quidã putant, spiritualem legẽ ignorantes. Nos autẽ, qui hęc singulariter cõsideramus, scire debemus, si quẽ ex proximis nostris oderimus tanq̃ malum, nos itẽ Deo vt malos odio futuros, & siquem peccatorũ à pœnitentia repulerimus, nos quoq; tanquam peccatores reiiciendos. Et nisi proxima peccata remiserimus, ne nobis quidẽ remissum iri. Hanc legẽ promulgauit legislator Christ', Nolite, inquiẽs, iudicare, vt ne iudicemini. Nolite cõdemnare, vt ne cõdemnemini. Dimittite, & dimittetur vobis. Legẽ hanc Sanctus Paulus cognitã habens, dicebat: Qui aliũ iudicas, te ipsum condemnas. Et eam propheta nõ ignorans clamabat ad Deũ: Quia tu, inquiẽs, reddes cuiq; iuxta opera eius. Et alius propheta ex persona Dei, Mihi, inquit, vin-

Marginal references: Gen.2. Gen.3. Sap.1. Matt.7. Rom.2. Psal.6. Deu.2. Eze.9. Roa.12

dictã,& ego retribuã. Sed qd ego singula persequor,
Matt. 5. cùm oĩs scriptura diuina tã vetus, q̃ noua nobis hãc
legẽ ostẽdat, vt spiritualẽ ipsam inuenientes in omni
Luc. 6. nr̃a mutatione timeamus, nec solùm apertè, sed etiã
occultè fratres nostros amemus. Neq; enim lex est
Mosaica, quæ manifesta iudicat, sed spiritualis, quæ
occulta deprehẽdit. Atque illa quidẽ Deus ipse tulit
tẽpori cõgruentẽ, verùm hæc eã impleuit per gratiã
Domini nostri Iesu Christi, qui, Nõ veni, inquit, legẽ
vt soluerẽ, sed vt implerẽ. Iccircò vt omnia breuiter
cõplectar, ignoscendũ est iis, qui nos læserũt, quo iu
re, queve iniuria id fecerint, cùm sciamus maximam
huic inter alias omnes virtutes propositã esse merce
dem. Cęterùm quoniã id præstare nõ possumus pro
pter peccatum, quo detinemur, omni studio & affli-
ctione debemus Deũ obsecrare, quoad ab ipso nobis
cõciliato vim hãc impetremus. In omni tẽpore & lo
co, & actione nobis hoc vnũ, anima, debet esse pro-
positũ, vt iniuriis qbus nos homines variis modis af-
ficiunt, gaudeamus, nõ autẽ doleamus. Gaudeamus,
inquã, nõ simpliciter, neq; incõsideratè, sed quòd oc-
casiõnẽ inuenerimus ignoscẽdi, & accipiẽdæ remis-
sionis nostrorũ peccatorũ. Hęc est enim vera Dei co
gnitio, quæ scientiã omnẽ cõplectitur, qua Deũ ora-
re possumus, atq; exorare. In hac orationis situs est
fructus. Per hãc fides in Christũ ostẽditur. Per hanc
tollimus crucẽ nostrã, & Dominũ sequimur. Hæc pri
morũ & magnorũ mãdatorum est mater. Per hanc
enim & Deũ ex toto corde, & proximũ sicut nos ip-
sos diligere possumus. Propter hanc & ieiunare, & vi
gilare, & nos affligere debemus, vt eã cor & viscera
aperta suscipiãt, & nunquã excludãt. Tunc enim gra
tiã per baptisma nobis occultè traditã, non obscurè
iã, sed apertè sensibus omnibus opera sua proferen-
tẽ inueniemus, cùm peccata proximo dimiserimus.
Huic virtuti duo sunt vitia impedimento, inanis glo

ria,& voluptas,quas reiiciamus necesse est, si volumus hāc virtutē amplecti. Quamobrē,anima,cùm te duabus istis cupiditatibus dedis,neq; Adā,neq; Satanā,neq; homines accusa,neq; aliū quenquā,sed cùm tua pugna volūtate:bellū enim est intestinū.Non est extra nos,vt cū fratribus nostris,qui nobiscū versantur,decertemus. intra nos est. Et nemo pro nobis certamen subibit,nisi is, qui mysticè per baptisma in nobis abscōditus est,Christus propugnator iunctus, quē nihil latet.Is nobis feret auxiliū,is pugnabit pro nobis, si mādatis eius pro virili nostra paruerimus. Oppugnāt nos, vt dixi, voluptas corpori coniuncta; & inanis gloria, quæ me quoq; detinent. Hæc duo Euā fefellerūt, & Adā deceperūt. Nā voluptas lignū ostēdit bonū ad vescēdū, & pulchrū oculis,aspectuq; delectabile.Inanis aūt gloria, Eritis, inqt,sicut Dii, scientes bonū & malū.Quemadmodū igitur qui primus formatus est homo & Eua īter se erubuerūt: sic & nos,reiecta à sacris oculis innocētia,& agnoscētes nudos,mutuò erubescim⁹in cōsciētia,& ecce folia ficus nobis ipsi cōsuim⁹,externis nos verbis, & figuris, & iustificationibus cōtegētes. At Deus tunicas nobis pelliceas facit,In patiētia,inquiēs vestra possidebitis aīas vestras,& quæ sequuntur,nos mouet,dicēs:Qui inuenit animā suā,nēpe in vltione iniuriarū,aut alio peccato,perdet eā. Et qui perdiderit animā suā, illā crucifigens & inimicis ignosces,in vita æterna inuenies eam ex hoc tēpore vsq; in ęternum. Amen.

Gen. 3.

Luc. 21.

EIVSDEM DE IEIVNIO.



VI se ad pietatem exercent, incipiuntq; proficere, tum iuuenes, tum etiam senes, si robusto sint corpore, ęgroq; laboribus & afflictionibus perferendis, vtile ac tutum omni studio

Num. 11

debet sine intermissione ieiunium amplecti, & sic ad stateram panem edere, & mensuram de tempore in tempus, aquam bibere, vt esurientes sitientesque somnum fugiant, & necessarium Dei ministerium ne intermittant præ voluptate. Nam si cibis ventrem explere voluerimus, celeriter ocio dediti ad aliam impellemur cupiditatem, cui si rursus satisfecerimus, ab alia rapiemur, atque ita finem nunquam reperiemus. Quid inter cibos manna pretiosius? Manna tamen Israel saturatus, cùm nihil esset prestãtius, quod appeteret, abiectiora, nẽpe alia & cœpas concupiuit. Satietatis enim comes est nouæ rei cupiditas. Quamobrem si pane saturati res alias cõcupiscimus, panem edamus citra saturitatem, vt panem esurientes, eo semper satiari cupiamus, vt & detrimentum ex cupiditate vitemus, & ex temperantia iustitiam assequamur. At cibum sumere peccatum non est, dicet aliquis corũ, qui ad ieiunandũ sunt tardiores. Ne nos quidem, tanquàm id peccatum sit, ad ieiunium colẽdum adhortamur: sed quòd ex ea re peccatum subsequatur. Israel cibum cupiendo non peccauit, sed ob illam cupiditatem aduersus Deum loquens impiè se gessit. Dixit enim: Non poterit Deus parare mensam in deserto. Et posteaquàm parata fuit, exarsit ira Dei aduersum illos, & potentes corũ impediuit, ne viuentes alium rursus cibum concupiscerent, & in Altissimum maledicta conijcerent, & reliqui ipsorum perderentur. Operæpretium est, impudentem ventrem superare. Venter eorum, qui vincuntur, est Deus. Qui ventri indulget, mundus esse non potest. Cæterùm non modò in repletione, verùm etiam in inedia periculum est. Nam dum plures dies sine cibo traducimus, acediæ datur occasio, vt insurgat, & nos oppugnet, & noctis vigilias nobis in somnum cõuertit. & diei preces in carnis cogitationes, vt ex somno nihil vtilitatis, & ex carnis cogitationi-

Psal. 77.

tionibus plurimum detrimenti capiamus. Incipimus enim tanquam aliis in exercenda pietate prçstantiores nobis ipsi placere, & cæteros despicere atque aspernari. Quod quidem peccatum grauissimum est. Ac quemadmodum agricola, qui magnis sumptibus agrum excultum sine semine relinquit, frustra laborauit: sic & nos, si magnũ in carne domanda studium posuerimus, & nullũ orationis semen iaciamus, frustra laborem insumemus. At si in oratione, dicet aliquis fortasse, iustitia consistit, quid opus est ieiunio? Multum per omnem modum. Quemadmodum enim siquis pauper agricola in terra minimè proscissa, nec prius exculta, seminauerit, loco tritici spinas colligit: ita nisi quis carnem suam per ieiunium afflixerit, ex orationis satione pro iustitia peccatũ percipiet. Caro enim nostra ex terra illa est, & nisi itidem fuerit exculta, iustitiæ fructum non feret. Hæc dicimus, non vt eos, qui ex ieiunio vtilitatem capiunt, deterreamus: sed vt illos, qui in damnum ex eo nollent incidere, admoneamus. Nam sicut prodest iis, qui prudenter illud adhibent, sic obest illis, qui eo vtuntur inconsideratè. Qui igitur fructum è ieiunio percipere cupiunt, ab inani gloria caueant: & panem, quem post expletum ieiunium, quod sibi præscripserunt, solent edere, in singulos ieiunii dies partiantur, vt paruam quotidie partem sumentes carnis ambitionem coerceant, & cor ad preces vtiliores confirment, Deiq; virtute superbiam declinantes in humilitate degere studeãt omnibus diebus vitæ suæ. Sine humilitate nemo placebit Deo. Si humilitatem amplectemur, non egebimus disciplina. Omnia mala & detrimenta, quæ nobis accidunt, propter superbiam accidunt. Si Apostolo, ne extolleretur, datus fuit angelus Satanæ, qui ipsum colaphizarét: quantò magis nobis elatis ipse Satanas dabitur, qui nos affligat, donec humiliemur? Patres nostri domos possi- Iob. 42.

debant, diuitiis abundabant, vxores habebant, filios curabant: & tamen propter simplicem ipsorum humilitatem cum Deo versabantur. Nos autem à mundo recessimus, diuitias sumus aspernati, domos reliquimus, videmurq; nobis apud Deum considere, & tamen à Dæmonibus propter superbiam irridemur. Qui superbit, se ipsum ignorat: si enim se ipsum, & insipientiam atq; imbecillitatem suam agnosceret, superbia non efferretur. Qui autem se ipsum ignorat, quomodo cognoscet Deum? Si enim insipientiam suam, in qua versatur, nequit intelligere, quomodo Dei sapientiam, à qua tanquam hospes ac peregrinus procul abest, intelliget? Qui enim Deũ cognoscit, eius perspecta maiestate se ipsum cótemnit, vt Iob„ac dicit: Auditu audiui te priùs, nunc autem oculus meus vidit te. Ideò contempsi me, & contabui, & existimaui me ipsum puluerem & cinerem. Qui Iob imitantur, hi vident Deum. Despiciamus nosmetipsos, & humiliemur, vt non solùm ex aduerso Deum videamus, sed eum in nobis habitantem & quiescentem amplectamur, & cum ipso in deliciis versemur. Sic enim insipientia nostra in sapientia ipsius sapiens efficietur, & imbecillitas nostra in eius virtute roborabitur, confirmabitq; nos in Domino nostro Iesu Christo, qui nos hoc munere dignos effecit, vt abundè glorificetur in nobis, & inimicus noster Satanas per nos valdè confundatur: quoniã ipsi Deo debetur gloria, & adoratio, & magnificentia, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

PRAECLARA
BEATI ESAIAE
ABBATIS OPERA
E' GRAECO IN LATINVM CONVERSA,

PETRO FRANCISCO ZINO,
Canonico Veronensi, interprete.



VENETIIS
Apud Bologninum Zalterium.
M D LXXIIII.

OPTIMO AC NOBILISSIMO PAPHI EPISCOPO, D. PETRO CONTARENO

PETRVS FRANCISCVS ZINVS, Canonicus Veronensis, S. D.




VID alijs accidat, nescio, Pontifex optime ac nobilissime. Ego certè sæpissime sentio, me vehementius multo ex breui aliquo pij cuiuspiam ac simplicis viri sermone, q̃ ex longis disertorum hominum disputationibus ad virtutem & pietatem incitari. Ex quo facilius etiam adductus sum, vt Beati Esaiæ Abbatis libellum, quem mihi vir humanissimus atque ornatissimus Antonius Gibertus Græcè peruetustis characteribus scriptum accommodauit, in Latinum conuerterem, vt vberiorem ex eo fructum & ipse perciperem, & cæteris impertirem. Laborem hunc meum tibi amoris & obseruantiæ erga te meæ testem dono, gratumq; futurum spe-

ro. Neque enim dubito, quin eadem ſtudia nunc ſenex & Epiſcopus amplectaris, quæ iam inde ab ipſa pueritia coluiſti. Quis autem neſcit, quàm ſtudioſus Chriſtianæ ſimplicitatis, quæ vera eſt ſapientia, ſemper extiteris? Quàm libenter cum iis verſatus ſis, quos intelligeres in Dei mandatorum via ſimpliciter ambulare? Quàm ſtudioſè eorum tum verba audiueris, tum ſcripta lectitaris, qui ſine fuco & fallacijs, quæ recta ſanctaq; ſunt, edocerent? Vnus ex illis eſt Beatus Abbas Eſaias, qui meo nomine nunc Romam ad te de noua Epiſcopatus dignitate gratulatum venit. Hunc tu, qua es humanitate, benignè ſuſcipies, & bonis omnibus, in primiſque Bernardino Scoto, & Vitelocio Vitellio, Cardinalibus doctrina, virtute, ac pietate præſtantiſsimis, commendabis. Vale ex oppido Lonati.

INDEX EORVM, QVAE hoc volumine continentur.

BEATI ESAIAE ABBATIS PRAECEPTA

AD FRATRES, QVI CVM IPSO VIVEBANT.




QVI mecum manere vultis, audite, quæso per Deum. In cella quisque sua degat cũ timore Dei. Opus manuum vestrarum propter Dei mandatum ne contemnatis. Curam propriam & orationem assiduam ne negligatis. Cor ab alienis cogitationibus custodite, nihil de vllo homine aut negotio huius sæculi solliciti. Semper quærite, quomodo progrediamini, & vos emendetis, cum animi dolore, & lacrymis, & afflictione Deũ obsecrantes, vt peccata vobis condonet, & in futurũ custodiat vos, ne in eadem rursum incidatis. Mors vobis quotidie ante oculos versetur. Ea vos cura sollicitet, quomodo è corpore exeatis, quomodo potestates tenebrarũ euitetis, q̃ in aere vobis occurrent. Quomodo coram Deo consistatis in horrendo illo iudicii die, cùm pro cuiusq; opere, & sermone, & cogitatione merita præmia tribuent. Omnia enim sunt nuda & apta oculis eius, cui vobis reddenda est rõ. In mensa & congregatione nihil loquamini, nisi magna vrgẽte necessitate. Psallentẽ ne corrigatis, nisi quid ipse vos roget. Sua singuli hebdomada in timore Dei sic victui necessaria reliquis parent, vt ne interim ꝓpriam animi curã abiiciant. Nemo in fratris sui cellã ingrediatur. Ne curetis mutuò vos ante præfinitum tempus cõspicere. Noli inuestigare, quæ cæteri ope-

ra fecerint, neq; vtrum frater plus, quàm tu, an plus tu, quàm ille, laboraris. Ad opus exeuntes, à desidia, & arrogantia cauete. Et vnusquisq; cum timore Dei attendat sibi, & operi manuum suarum, atq; meditationi, & animę suæ in abscondito. Cùm dimittit congregatio, aut à mensa consurgitis, inter vos ne diuinis quidem de rebus colloquentes considеatis: sed suam quisque cellam petat, ibiq; lugeat peccata sua. Quòd si necessitas colloquium exiget, paucissima, cum humilitate, & religione, tanquam Deo præsente, colloquimini. Nec vlla de re contendite, aut cuipiam detrahite, aut quenquam iudicate, aut sermone, animóue quépiam contemnite, aut de quoquam mali aliquid suspicamini. Nec mendacium ex ore vestro egrediatur. Nec loqui, aut audire velitis quicquã, quod non expediat. Malitia in corde vestro nè residеat, neq; odium, neq; inuidia aduersus proximũ. Vnum in ore promptum; aliud in animo clausum ne habeatis. Deus enim non irridetur, sed omnia tam occulta, quàm manifesta perspicit. Cogitationes, & afflictiones, & suspiciones vestras nolite abscondere, sed eas Abbati vestro cũctas indicate: & quod ab ipso auditis, id cum fide perficite. Cauete, ne mandata mea negligatis, quando mecũ viuere decreuistis. Si enim ea seruaueritis, ego pro vobis Deo rationẽ reddam. sin eá non seruaueritis, à vobis & de negligentia vestra, & de inertia mea ratio repetetur. Qui mandata mea custodierit, tam in occulto, q̃ in manifesto, dominus Deus custodiet ipsum ab omni malo, & proteget eum in omni tentatione tam occulta, q̃ manifesta. Hortor vos fratres mei, vt consideretis, cur è mundo recesseritis. Salutis vestræ curam agite, ne renuntiatio vestra inanis sit, & in conspectu Dei, & Sanctorum eius, qui propter ipsum mundo renunciauerunt, afflictiq; sunt, erubescatis. In eo virtutẽ sitam existimate, si à contentionibus temperetis, si re-

aduersas æquo animo patiamini, si humilitatem excolatis, si omnibus in rebus voluntatem propriam abnegetis, si iustitiæ vestræ minimè confidatis, sed peccata vestra semper ante oculos habeatis. Recreatio, mihi credite, & relaxatio, & inanis gloria omnem Monachi fructum excutiunt.

EIVSDEM DE MENTE secundùm naturam. Oratio. II.


OLO vos ignorare, fratres, Deum, cùm in principio hominem fecisset, cũ sensibus integris & naturę congruentibus in Paradiso collocasse. Verùm posteaq̃ audiuit illũ, à quo deceptus fuit, omnes eius sensus in habitum naturę contrariũ conuersi sunt, & ipse è gloria sua deiectus est. At Dominus noster magna impulsus charitate misericordiam suam erga genus humanum declarauit. Verbũ enim caro, idest perfectus homo factum est, omnibus in rebus nobis simile, excepto peccato, vt per sanctum corpus suum nos in pristinum naturæ statum reuocaret. Homini enim ostendens misericordiam suam, reduxit eum in paradisum. Sic enim eos, qui eius sequi vestigia, & mandatis, quæ nobis dedit, obedire volunt, excitauit, vt eos vincere valeãt, qui nos è gloria nostra deiecerunt. Tradidit etiam nobis sanctam Dei colendi rationem, legemq́ue puram, vt in illum naturæ statum homo reuertatur, in quo fuerat à Deo constitutus. Proinde qui vult illuc redire, is omnes carnis suæ amputet voluntates, vt mentem suam in statum pristinum redigat. Est desiderium naturæ conueniens, sine quo nec charitas in Deum consistit. Iccircò Daniel vocatus est, vir desideriorum. Dan.9. Desiderium hoc inimicus in fœdam mutauit cupiditatem, vt omnes immunditias concu-

piſcamus. Eſt animi æmulatio naturæ congruens, ſi-
ne qua non licet in Deum progredi. Iecircò æmula-
1. Cor. mini, inquit Apoſtolus, dona præſtantiora. Diuina
12. hæc æmulatio deflexit è ſtatu naturali, vt mutuis
nos æmulationibus, & inuidia, & mendaciis oppu-
gnemus. Eſt mentis ira à naturæ ratione minimè a-
liena, ſine qua caſtitas homini non conſtat, hoc eſt,
niſi aduerſus ſemina, quæ ab inimico in nos ſpargun
tur, iraſcamur. Quemadmodum Phines, filius Elea-
zar, eiuſmodi ira commotus hominem ſimul cum
fœmina confodit, & ira Domini à populo ſuo receſ-
Nu. 15. ſit. Hæc nobis ira eò conuerſa eſt, vt proximis no-
ſtris de rebus quibuſlibet ſtultis, & inutilibus iraſca-
mur. Eſt odium animi ſecũdum naturam, quo Elias
inuento, omnes turpidinis prophetas interfecit. Eo-
3. Reg. dem & Samuel in Agag Regem Amalec exarſit. Si-
18. ne hoc in aduerſarium odio, animi gloria non decla
1. Reg. ratur. Verùm hoc nobis odium contra naturam con-
15. uerſum eſt, & ideò proximum odimus, atque deſpi-
cimus, & virtutes omnes inſectamur. Eſt animi ela-
tio in hoſtes minimè naturæ contraria, quam Iob
cùm inueniſſet, inimicis ſuis conuicium fecit: Homi-
nes, inquiens, ſordidi, & abiecti, atq; indigentes om-
ni bono, quos indignos exiſtimau ponere cum ca-
Iob. 30. nibus gregis mei. Hæc nos animi ſublimitas defecit
aduerſus inimicos, & humiliati ſumus inimicis no-
ſtris, cum proximis autem ſuperbè contendimus, &
nos præ illis iuſtos exiſtimamus. Qua quidē ſuper-
bia Deus nobis inimicus efficitur. Eiuſmodi animi
affectiones cum homine creatæ ſunt, quas ille, cùm
ex arbore vetita comediſſet, in turpia vitia commu-
tauit. Hæc nos, fratres chariſſimi, ex animis noſtris
deleamus, & colamus ea, quæ nobis in ſancto corpo-
re ſuo Dominus noſter Ieſus Chriſtus oſtendit. San
ctus ille eſt, & in Sanctis habitat. Attendamus nobis
ipſis & operã demus, vt Deo pro viribus placeamus,

bonis operibus incumbentes. Omnia studia, & curas nostras ponderemus, ad rectamq; naturæ rationem ac normam redigamus, vt inueniamus misericordiã in die tentationis, quæ orbi imminet vniuerso. Dei benignitate semper indigemus, quæ infirmitati nostræ ferat auxiliũ, & liberet nos ab inimicis nostris, quoniam eius est potentia, & auxilium, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

AD FRATRES IVNIORES Institutio.



VMILITAS in primis est necessaria, quod in omni sermone dicendum est. Humilitate enim oẽs aduersarii artes superantur. Omnia, quæ tibi agenda sunt, diligenter expende, vt in verbis tuis constans inueniaris. Serua grauitatem in vultu; erga hospites vtere mansuetudine, vt Dei timor tecum habitet. Si cum fratribus iter susceperis, ita te confirma, vt taceas. In itinere mens in partes varias ne distrahatur: sed tecum ipse meditare, aut Deo funde preces in corde tuo. Vbicunq; diuerteris, arrogantiam vita, & omnibus in rebus modestum ac verecundum te præbe. Ad id, quod tibi appositum fuerit, sic manũ extendito, tanquam edere coactus sis. Si iunior es, ne audeas corpori alterius manum adhibere. Quo in loco tibi est dormiendũ, pallio te, atq; alium ne cooperueris. Antequam te cubitum cõferas, multas funde preces in corde tuo. Si de via fessus oleo paululũ vngi volueris propter itineris laborem, pedes tuos tantùm sic vngi permitte, vt eos retegi verearis. Totũ verò corpus vngi ne permiseris, nisi necessitas, aut morbus impellat. Si ad te in cella tua commorantẽ frater peregrinus accesserit, idem illi officium exhibeto, oleoq; pedes

eius inungito, ac dicito charitatis gratia, Frater, suscipe parum olei, & corpus tuum cura. Quòd si cùm quiete noluerit accipere, molestus illi ne esto. At si senex erit exercitatus, coge ipsum, vt totum se vngi permittat. Si ad mensam cum fratribus iunioribus discubueris, ne dixeris animo tuo, comede. Sed peccata tua tibi in mentem reuoca, ne comedas cùm voluptate. Manum tuam ante te solùm protende. Si quid autem ante alium positum est, ad id manum iniicias, caue. Pallium contegat pedes tuos. Genua tua sint inter se coniuncta. Sin hospites fuerint, qui vescuntur, hilari vultu necessaria illis subministra. Et cùm edere desierint, dic illis iterum, ac tertiò: Comedite adhuc, obsecro vos, pauxillum. Inter vescendum oculos tuos in proximum ne conieceris, néue respexeris huc & illuc, neque verba stulta protuleris. Ad nihil, quod velis, manum extende, nisi prius dicas: Benedicite. Cùm aquam bibis, guttur tuum ne sinas sonum edere, vt solent homines vulgares. Si in fratrum consessu pituita tibi molesta fuerit, eam in eorum cõspectu ne proiice, sed foras egredere, ibiq; te expurga. Ne corpus tuũ expone, vt ab hominibus videatur. Si oscitandi te cupiditas inuaserit, os clausum contine, & abs te fugiet. Ne aperueris os tuũ, vt rideas omnino. Est enim id animi solutioris. Si proximi tui aut vestem, aut zonam, aut cucullam, aut aliud quippiam videris, id ne cõcupiscas. Neq; similia tibi ipse conficiens, tuæ indulgeas cupiditati. Si librũ tibi ipse compegeris, in eo ne elabores exornando. Est enim vitiũ puerile. Si aliqua in re erraueris mendacio, ne tegas errorem tuum, sed pœnitentiam agens veniam pete, & error tibi remittetur. Siquis te durius compellarit, ne extollas aduersus illum cor tuum, sed operam da, vt illi satisfacias, antequam animus tuus indignetur: ira enim ex studio prouenit. Si aliqua in re vel iure, vel iniuria ab aliquo re-


+ tedio

prehensus fueris, ne perturberis, sed pœnitétiã age: Ignosce, inquiens, mihi, non faciã amplius. His enim rationibus in studio pietatis adolescentia proficit. Cùm aliquid manibus tuis operaris, in timore Dei diligentiã adhibe, ne, si negligens sis, ignorantia pecces. Cùm opus aliquod discis, magistrum consule, & ne erubesce sæpius illum orare, vt pro charitate videat, rectè ne illud se habeat, nécne. Si te in opere occupatum vocauerit frater tuus, sedulò vide, quid velit, & opere tuo intermisso, illum adiuua. Cum è mensa surgis, in cellam tuam ingredere, & precibus incumbe, nec cum illis confide, qui tibi non prosunt. Quòd si de Deo senes colloquãtur, Abbatem tuum roga, vtrum tibi audiendum sit, an eundum ad cellam, & quod ille dixerit, facito: Si te aliquò miserit, roga, vbi te diuerti velit, & quæ tibi mandata det, diligenter animaduerte, ne plus, minúsue facias. Quæ foris audiueris, ea reuertés memini dixeris. Si aures tuas custodieris, lingua tua non peccabit. Si rem aliquam vis, & eam is, quo cum habitas, nollet, remitte illi voluntatem tuam, ne contentio oboriatur, néue frater tuus tristitia afficiatur. Hospitio susceptus à fratre tuo, nequid illi, vt peregrinus pręcipias, neu- uelis ipse præesse. In eorum sermones, quibuscũ habitas, ne te vt socium & parem intrudas. Siquid tibi cõmiserint, quod ipse nolis, pugna cũ voluntate tua, quoad ipsam superes, ne affligas eos, & modestiã amittas tuam, & quietam ipsorum consuetudinẽ perturbes. Si frater quo cum habitas, aliquid sibi vt prospicias, abs te petierit, quod possis, id facito cum timore Dei. Si quod opus faciendum est, omnes, qui simul viuitis, manum admouete: nemo corpori suo parcat, ne aliorum cõscientia perturbetur. Cùm manè surgis quotidie, priusquam ad opus te conferas, quæ Dei sunt, meditare. Tum seu sportula, seu vas, seu quid aliud faciendum est, id impigrè cum dili-

audiueris ea tanquàm certa atq; perſpecta ne affirmaueris. Neminem propter habitum contemne. Si, vel aquam hauris, vel aliud quippiam vſui neceſſariũ agis, ne ſis negligens, ſed à Deo te conſpici recordare. Si in cella tua vacas precationi, caue, id facias negligenter, ne dum vis Deum honorare, eum ad iracundiam prouoces. Sed ſta in timore Dei: ne te ipſum ad parietẽ inclines: ne ita ſtatuas pedes tuos, vt in vno ſtes, & alterum tollas, vt ſtulti faciunt. Cor tuum ita confirma, ne ambules in voluntate tua, vt ſacrificium tuum Deo ſit gratum. Si pſallitis inter vos, preces quiſq; ſuas perſoluat. Si peregrinus aliquis adeſt, rogate illum cum charitate, vt eo ipſe munere fungatur, idq; illi iterum ac tertiò dicite ſine cõtentione. In hora ſacrificii, reſiſte cogitationibus, vt ſenſus tuos continens in timore Dei, myſteriis dignus efficiaris, & Dominus tuas curet ægritudines. Caue, ne corpus tuum in ſordibus abiectum relinquens ab inani gloria ſeducaris. Qui iunior eſt, corpus in omni negligat deformitate: id enim illi prodeſt. Qui iunior eſt, nunquàm pulchrum induat veſtimentum, niſi prius ad virilem ætatem peruenerit: hac enim eget ille medicina. Ad tertium vſque cyathum, ſi id valetudinis ratio poſtulat, vinum bibat. Dentes in riſu nunquàm aperiat. Faciem humi præ verecundia demiſſam teneat. Iturus cubitum zona ſua præcinctus ſit. Sic aſſueſcat manus, ne intrò ferantur. Multa enim habet corpus vitia, quæ perficit animus. In itinere tantùm, non autem in cella, ſandalium ferat. Cùm ambulat, manus ad zonam inter ſe coniunctas componat, neq; illas concutiat, vt ſolẽt homines ſolutiores. Si cum maioribus iter facit, ne præcedat omnino. Si is, qui maior eſt, conſiſtit, & cum aliquo loquitur, tu ne contemne, aut conſide: ſed tandiu ſta, quoad ille, quid tibi agendum ſit, dicat. Si in ciuitatem, aut vicum proficiſceris, oculi tui


deorſum aſpiciant,ne hoſtes tibi in cella ſuſcites.Peregrè proficiſcens ne dormias in cuiuſquàm domo, vbi cor peccati periculum reformidet. Si aliquo in loco cibum capturus,intelligis, ibidem mulierem af futuram, ne conſideas vllo modo. Satius enim eſt, vt eum, qui te inuitauit, offendas, quàm vt occultè cor tuum committat adulterium.Ne veſtes quidem mulierum,ſi fieri poteſt, aſpicias. Si te mulier inter facientem ſalutauerit, reſponde illi in corde tuo, ſed oculos humi defixos tene. Si cùm ſeniore iter facis, ſarcinam, ſiqua ferenda eſt,ne ſinas illum omnino geſtare.

Sin æquales eſtis, eam ambo viciſſim geſtate, ita tamen, vt ſemper onuſtus pręcedat.



QVID

QVID IN ITINERE OBSERVANDVM, ORATIO. IIII.



I, cùm iter facitis, eſt aliquis inter vos imbecillior, ſinite illum præire, vt, ſi ſedere velit, poſſit. Si in itinere contingit, vt cùm iuniores ſitis, vobis primum ad menſam diſcumbendum ſit, vel manus ad patinam admouenda, ſemel id facite, ne ſi ante horam acceſſeritis, perturbemini. Verùm ſiquis nunc primus ingreditur, alius aliàs primus ingrediatur. Si de cogitationibus tuis ſenem interrogas, & cum ad ea, quæ dixeris, cuſtodienda fidelem eſſe cognoueris, animum illi tuum liberè patefacito. Si fratris tui peccatum audieris, id nemini communicaris. Eſt enim mors tua. Si de cogitationibus, quibus oppugnaris, aliqui colloquantur, eos ne cures audire, ne tibi bellum excitetur. Orationi frequenter incumbe. Nam animæ tuæ lux eſt oratio. Quotidie quæ peccaueris cogita: etenim ſi pro peccatis tuis deprecaberis, Deus ea tibi condonabit. Siquis coram te loquitur aduerſus fratrem ſuum, caue taceas præ pudore, aut illi aſſentiaris, ne pecces aduerſus Deum, ſed cum humilitate dic, Ignoſce mihi frater, infęlix ego ſum: & hæc, quæ loqueris mea ſunt, & ea ferre non poſſum. Si frater te læſerit, & aliquis de illo coram te malè dixerit, cor tuum cuſtodi, ne malitia in eo renouetur, & peccatorum tuorum in Dei conſpectu reminiſcere, vt ignoſcat tibi. Ne malum pro malo tribuas proximo tuo. Si cum fratribus ignotis teq; minoribus iter facis, eos vt maiores honora. Quod ſi ad amicum tuũ diuerteris, eos tibi omnibus in rebus antepone, vt & in menſa prius diſcumbant, & prius cibis manus admoueant, ne propter te ſuſcepti fuiſſe videantur, ſed contra potius, eos honorans, oſtende, te propter

Illos misericordiam accepisse. Si cùm fratre te in viam dederis, & amicus tibi fuerit inuisendus, caussam aperi fratri tuo, & dic illi, tantisper vt sedeat. Quòd si te amicus, vt comedas, coegerit, caue ne quid in os tuũ ingrediatur, prius, quàm aduoces fratrem tuum, vt simul quiescat & recreetur. Si cùm pluribus fratribus iter ingressus fueris, & pudore detinearis, quominus eos tecum ducas ad amicum tuum, quia multi sint, caue, ne contemnas eos, & clã relictis illis discedas, aut comedas: sed eos, quid tibi agendum sit, consule, & quod ipsi dixerint, age. In via autem ne tibi ipse parcas, seruilia respuens ministeria. Peregre proficiscens si apud fratrem diuertere volueris, & ille hospitio te suscipere recusarit, & is postea vel in via tibi obuius fuerit, vel ad te diuerterit imprudens, eum benignius humaniusq; tractato. Si quem tibi acceperis detraxisse, & aliquo in loco congrediamini, vel ad te ipse diuerterit, hilarem ac benignum illi pro viribus vultum ostende, neq; illa, quæ audiuisti, commemorans, quære, cur ita locatus sit: Nam, vt in prouerbiis scriptum est, Qui memor est iniuriarũ, iniquus est. Si fratres estis, & peregre proficiscentes ad fratrem pauperem diuertitis, ne affligatis eum in rebus necessariis, sed eas vobis emite, vt ei quoq; satis sint, hospitioq; ac tecto contenti estote, quod inuenistis. Si senes aliquos tibi notos inuiseris, & tecum fuerint alii senibus ignoti, ne colloquaris tu cum senibus in conspectu ipsorum, sed sinas eos loqui. Si fratres tecum habitãt, eorum curam gere diligenter, sciens, te pro ipsis Deo rationem redditurum. Si propter Deum, aliquem in locum secessisti, ne commercium ineas cum incolis illius loci, néue cum illis sermones conferas, satius enim fortè sit tibi, cum illis esse, qui sanguine tibi coniuncti sunt. Si in montem ascenderis, vt fratres in monasteriis inuisas, apud quem diuer-

teris, maneas, neq; ad aliũ discedas, nisi prius roges eum, vtrum velit, an non. Quòd si noluerit, ne relinquas illũ, nisi cum tibi est abeundum. Si cellã, in quã degas, acceperis, multos tibi amicos ne asciueris, vnº tibi sit satis propter infirmitatẽ, & successus tui fructam ne amittas. Si pauperi benefeceris, ne voces illum ad opus, ne beneficiũ perdas, quod in eum contulisti. Si in monasteriũ tibi ignotum introieris, vbi tibi manere permittetur, ibi mane, neq; aliam in cellã ingredere, nisi accersaris. Si propinquos reliquisti, vt propter Deum in solitudine degeris, eorum te desiderio capi ne permiseris. Si te in cella commorantẽ patris, aut matris commiseratio stimularit, aut fratris, sororisue recordatio, aut misericordia filiorũ, aut vxoris desideriũ, tibi ante oculos pone extrẽmũ vitæ diẽ, atq; iudicii, in quo tibi eorum nemo laturus est auxilium, & eos te reliquisse minimè pœnitebit. Si in cella tua sedẽs memineris alicuius, à quo fueris affectus iniuria, surge, & ex toto corde tuo Deum, vt illi ignoscat, deprecare, & vltionis abs te fugiet cogitatio Si ad percipiendã mysteriorum cõmunionẽ accedis, omnes tuas cogitationes obserua, ne in iudicium eam percipias. Si noctu consuetudinis imaginatione tentaris, custodi cor tuum, ne interdiu consideret, qualis ea corporum fuerit imaginatio, atq; ita ea cogitatione, coinquineris, Deumq; prouoces ad indignationem, sed supplex ante illum procumbe in toto corde tuo, & auxiliabitur tibi: Misericors enim est in hominum infirmitate. Si vacas exercitationi, ea cor tuum ne innitatur atq; confidat, sed cogitationi tuæ dicas, Deus per corporis afflictionem audiet miseriam meam. Siquis te affecerit contumelia, ne respondeas illi, sed tacitus tecum ipse considera, an vera sint, quæ audis, & si vera sunt, pœnitentiam age, & Deus miserebitur tui. Si cum fratribus iter faciens, aliquem inter eos nactus

fueris, quem in Deo diligas, ne liberius cũ illo cęteris vidẽtibus colloquaris, ne fortè sit inter ipsos infirmus quispiam, qui zelo moriatur, & tu peccatũ eius sustineas, quoniã ei peccandi occasioné obtulisti. Cũ ad aliquos diuertis, ne expectes, vt ab illis cũ gaudio suscipiaris, vt si te susceperint, Deo gratias agas. Si te in cella quieti vacantẽ morbus inuaserit, ne concidas animo, sed age gratias Deo. Si cor senseris cõsternatũ, dic illi, Nónne morbus hic leuior est tibi q̃ gehenna, in quã, nisi te patienter constanterq; geris, introibis? atq; ita conquiescet. Si apud fratres diuerteris, & eorum aliquis dixerit; Hic ego quieté nõ reperio, habitare tecũ volo. Tu id ei ne permiseris, ne reliquis sis offendiculo. Sin dixerit: Ob rem occultã moritur anima mea, ei da locum, vt inde abeat, sed apud te manere ne permittas. Cũ in cella tua quietem & silentium colis, in cibo modum aliqué serua, vt corpus habeat, quæ necessaria sunt, & ibi in diuino cultu possit inseruire. Nihil autem, seu bonum, seu malum sit, comede cùm delectatione, & gustus voluptate. Si necessitas coget, vt fratres, aut cœnobium inuisas, corpori tuo nihil, quod ei iucundum sit, tribuas ad saturitatem, vt libentius ad cellulam reuertatur, nec te prodat. Si Dæmones suaserint animo tuo, vt te supra vires exerceas tuas: eos ne audieris. Solent enim hominem ad ea, quæ præstare non potest, incitare, vt in manus eorum incidat, & ipsi gaudeant. Semel in die comede, & corpori, quod ei necessarium est, tribue, vt in exercitio tuo pio durare queas. Vigiliæ prudenter vaca, nec quietem necessariam corpori nega, sed cum mansuetudine & consideratè pietatis studium complectere, ne nimia vigilia animus perturbetur, & è stadio fugiat. Noctis dimidium pio satis est exercitio, dimidiam alterum corporis quieti concedatur. Binas antequàm cubitũ eas, orando, psallendoq; horas consume, Postea

quiesce, & cum te Dominus excitauerit, precationibus diligenter incumbe Si corpus tuum pigrum videris illi dicito: Vis ad breue tempus torpere, & mox proiici in tenebras exteriores? Si te paululum excitabis, robur & vires aduenient. Ne ineas cum illis hominibus amicitiam, qui tibi sint aliorum etiã hominum familiaritatem conciliaturi, ne tibi nimia celebritas detrimentum afferat. Si in monasterio es, & seruum habes, in quem imperium exerceas, habitum afficis contumelia. Sin eum vt fratrem diligis, in Deum peccas nisi eum manumittis, vt liber discedat. Quòd si velit monachus fieri, ipse viderit, tu quidem ne permiseris, vt tecũ maneat, id enim non expedit animæ tuæ. Si in loco celebri corpus tuum affligis, & iccircò te homines æmulantur & honorant, eum relinque, & aliò proficiscere, ne labor tuus inanis efficiatur. Quòd si inanem gloriam subegisti, ne attendas, quid homines dicant, aut faciant, sed omnia refer ad Dei munificentiam. Si mundo renũtiásti, tibi nihil omnino reserua. Si te vagãdi cupiditas inuaserit, corpus in opere manuũ tuarum affige vehemẽtius, vt in cellula tua cũ mãsuetudine cõquiescas, & comedas panẽ tuũ. Si vt opera tua vendas, ad vrbẽ proficisceris, ne de pretio cõtendas, vt solẽt homines seculares, sed ea vende cũ simplicitate, ne cellæ tuæ fructũ amittas. Si cogit necessitas, vt aliquid emas aliquando, eme sine contentione, ne dicas non emã, nisi tãti, sed da quod petitur, si habes, si non habes, cum silẽtio discede. Quòd si te cogitatio stimulauerit, dicito, Omnino iã factus sum sicut oẽs Sancti, qui tẽtati fuerũt in paupertate, donec eorũ propositum fidele Deus inuenit, & eduxit eos in latitudinẽ. Si apud te frater aliquid deposuerit, & eo tibi sit opus, illud, nisi prius fratrem rogaueris, ne contingito. Si te aliquò proficiscentem orauerit frater, sibi vt aliquid emas, si tibi id emere potes, eme & il-

li. Sin autē cùm aliis viuis, id præter eorũ sentẽtiam ne feceris, ne tuos offendas cõtubernales. Si qua necessitate coactus in patriã proficisceris, custodi te ab iis, qui sanguine tibi coniuncti sunt, ne liberius cum ipsis verseris, sermonemúe conferas. Si quid tibi frater commodauerit, illud ne negligas, sed integrũ celeriter reddas. Si instrumentum est aliquod operi necessariũ, simul ac opus confeceris, redde. Quòd si abs te fuerit confractũ, aut corruptũ, refice, aut aliud melius restitue. Si quid cõmodaueris, aut mutuò dederis fratri tuo pauperi, quod ille nequeat reddere, ne affligas eũ, accerbéue exigas, seu pecunia, seu vestis, seu q̃d aliud sit, quod ei dedisti. Si aliquẽ in locũ ad habitandũ te cõtuleris, & cellã acceperis, & ædificãdo sumptũ feceris, eamq; postea reliqueris, & post aliquod tẽpus reuertẽs in ea fratrem habitantẽ inueneris, ne expellas eũ, sed aliã tibi cellam quæras, ne in Deum pecces. Quòd si sponte sua velit discedere, innocens eris. Quæ autem in cella tua reliquisti, si fortè ab eo consumpta sunt, ne requiras. Si à cella tua migraueris, quæ in ea sunt vsui necessaria, ne tecũ exportato, sed fratri pauperi relinquito; & Deus tibi vbicunq; vixeris, prouidebit. Cogitationes, quæ te oppugnant, omnes seniori patefacere ne erubescas, si vis leuationis solatium inuenire. Dæmones enim non nisi ex homine, qui cogitationes suas tegit, seu malæ, seu bonæ sint, gaudium percipiunt. Caue diligenter, cùm ad cõmunionem accedis, nequid malitiæ habeas cum fratre tuo, sic enim te ipsum decipis. Si verba scripturæ tibi patefiunt, vt ea possis ad allegoriam transferre, id facito. Sed caue, ne literam destruas, néue sensui tuo magis credas, q̃ sanctæ scripturæ. Id enim superbię est argumentum. Si frater tuus verbis deceptus hęreticorum, à recta fide per imprudentiam discesserit, ad eamq; rursus resipiscens reuertatur, eum tu nę despexeris. Igno-

rantia enim aberrauit. Caue, ne defendendæ quidẽ fidei causa cũ hæreticis colloquaris, ne fortè sermones ipsorum animo tuo virus infundãt. Si librũ inueneris, qui esse dicatur hęreticorũ, caue ne illum legas, ne veneno mortifero cor tuũ impleat, sed in ea doctrina, quã in Ecclesia sancta didicisti, ita persiste, vt ei nihil addas, nihil detrahas. Abhorre à falsi nominis scientia, quæ sanæ doctrinæ, vt inquit Apostolus, aduersatur. Si iunior es, & corpus tuũ nondũ in seruitutẽ redigisti, audis autem eximias patrum virtutes, ad illas ne ita contendas, vt eas te in otio & quiete consequi posse cõfidas. Nisi enim illas colueris, non assequeris. Quòd si colueris, spõte ad te ipsę veniẽt. Ab inertia fuge, quãtum potes, hæc enim monachi fructũ disperdit. Si cùm animi perturbationibus & vitiis pugnas, ne defice, sed te ipsum prosterne corãm Deo, Nõ possum, inquiens in toto corde tuo, per me resistere, tu mihi misero, Domine, fer auxilium, & superabis. Si tibi in cellula commoranti semina turpitudinis in corde sparsa fuerint, totis viribus contende, ne coalescant, atq; imperent tibi. Cõsidera, Deũ esse præsentem, cuius oculis pateant ea, quæ in corde loqueris. Sic igitur animam tuam alloquere: Si tui similes erubescis peccatores, metuisq; ne videãt flagitia tua, quantò magis Deum vereri debes, cui sunt omnia manifesta? Ex hac consideratione timor Dei ĩ anima excitatur, cui si innitaris, aduersus perturbationes immobilis permanebis. Scriptum est enim: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Psal. 124 Nõ commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. Si in exercitatione ita resistis tentationi, vt frangi debilitariq; videatur ac retrocedere, ne triumphet cor tuum, aut extollatur. Dæmones enim fugientes insidias struunt, & prælium priore periculosius parant. Post ciuitatem copias in insidiis locãt, iubentq; ne prodeant, nisi cùm eos fugientes cor-

1. Tim. 6
1. Tim. 1

tuum persequens insolescat, tũ verò consurgant, vt anima infęlix circunuenta nullum perfugiũ habeat. Perfugium igitur & propugnaculum tuũ sit, vt in toto corde tuo supplex ad Deum accedas, & opẽ eius implores, & liberabit te ex omnibus impugnationibus inimici. Si Deum precaris, vt te liberet à tentatione, & nõ exaudieris, ne despondeas animũ. Nouit enim magis, q̃ tu, quid expediat tibi. Ne dixeris igitur, Hoc mihi da, aut aufer illud à me: sed ita p̃care: Domine Iesu Christe, adiuua me. Ne sinas me peccare aduersus te. A recta via deflexi. Ne permittas, me sequi voluntatẽ meã. Ne patiaris me perire in peccatis meis. Miserere creaturæ tuæ. Ne despicias me, quia infirmus sum. Ne derelinquas me, quoniam ad te confugi. Medere animæ meæ, quia peccaui tibi. In cõspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me. Et nõ est, ad quem cõfugiã, nisi ad te, Domine. Salua me, quęso, Domine per misericordiam tuam. Confundãtur omnes & erubescant, qui insurgunt aduersus me, qui quærunt animam meam, vt perdant illam. Tu, Domine, potes omnia, & per te est gloria Deo & patri, & Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen. Tunc conscientia tua clam loquetur cũ corde tuo, & causam aperiet, quamobrẽ te non exaudiat Deus. Tuũ igitur iam erit, quod illa dixerit, id non negligere, sed facere diligenter. Fieri enim nõ potest, si Deum homo audit, quin Deus hominem exaudiat. Neq; enim est procul ab homine. Sed voluntates nostræ ei contrariæ non permittunt, vt ille nos audiat. Nemo te decipiat. Quemadmodum enim sine semine & aqua non potest ager ex se fructum ferre: Sic homo sine afflictione atq; humilitate ferre fructum non valet. In Dei timore, fratres charissimi, maneamus, & virtutes excolentes, nullum conscientiæ nostræ offendiculum præbeamus, sed nobismetipsis attendamus in timore Dei, donec ipsa quoq; no-

bītū libera sit, atq; ita coniuncta, vt nobis deinceps custos sit, ostendatq;, à quibus caueamus. Quòd si ei parere noluerimus, nos derelinquet ac deseret, & incidemus in manibus inimicorū nostrorū, qui nostri postea non miserebuntur, quemadmodū docuit nos Dominus. Esto, inquiens, cum aduersario tuo cōsentiens, dū es in via cū eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerē mittaris. Amē dico tibi, nō exibis inde, donec reddas nouissimū quadrantē. Aduersaria dicitur cōscientia, quoniā homini cupienti facere carnis voluntatē, aduersatur. Quæ quidē aduersaria, nisi cū ea homo consentiat, tradit cum inimicis ipsius. Iccircò Oseas commiserās Ephraim, dicebat: Oppressit aduersariū suum, & conculcauit iudicium. Quæsiuit Aegyptū, & vi ductus est ad Assyrios. Aegyptum quęrit, qui carnis vult facere voluntatē. Vi autem ducitur ad Assyrios, cùm vel volens vel inuitus inimicis seruit. Operam demus, fratres charissimi, ne in manus voluntatis nostrę secundum carnem incidamus, ne captiuos nos in Assyriam ducat, nos autem acerba illa verba audiamus: Venit Rex Assyriorum in terram Israel, & captiuos duxit Ephraim & Israel in Assyrios, & posuit eos iuxta Eleam & Enamor fluuios Chuzam, & sunt illic vsq; ad pręsentem diem. Tunc misit Assyriorum Rex è populis suis, qui habitarent in terra Israel, & suum sibi quisq; sculptile confecit, & adorauit illud, & ecce illic sunt vsq; ad hodiernum diem. Hæc Ephraim contingerunt: quia oppressit aduersarium suum, & iudicium conculcauit. Considerate, charissimi, quid eis acciderit, qui voluntatibns suis malis indulserunt, & propriam conscientiam conculcarunt. Ne æmulemur eos, dilectissimi, sed omnes potius Sanctos imitemur, qui ad mortem vsq; peccato non obtemperarunt, sed sanctæ suæ conscientiæ paruerunt, & regni cœlesti

hæreditatē acceperunt. Eorū enim quiſq; ętate ſua perfectus fuit in charitate. Et nomina ipſorum nullavnq̄ delebit obliuio. Figurā dilecti Iacob ſuſcipiamus, qui parentibus ſuis ſecundùm Deū in omnibus obediuit. Qui accepta benedictione voluit in Meſopotamiā proficiſci, vt ſibi filios illic procrearet. Neq; enim filios gignere voluit ex filiabus Chananeorū, qui cū parentibus ſuis contenderant. Tunc ſuſcepto baculo & olei lenticula venit in locum Bethel, quod ſignificat, domum Dei, & ibi dormiuit, viditq; noctu ſecundum quietē figuram ſcalæ de cœlo in terram vſq; pertingentis, & Angelos Dei per eam aſcendentes ac deſcendentes. Dominus autem ſcalæ innitebatur. Hæc figura demonſtrat, illi, qui Deo incipit inſeruire, in principio quidē virtutū ſpeciem apparere, quas niſi diligenter excoluerit, ad Deum non poterit peruenire. Surrexit autem Iacob, & fœdus cum Deo percuſſit, vt eſſet ſeruus eius, & confirmauit eū Deus, Ego, inquiens, ero tecum & te cuſtodiam. Tūc in Meſopotamiam profectus, vt ibi vxorem duceret, cùm Rachel vidiſſet filiā auunculi ſui, dilexit eam, & ſeptem annos ſeruiuit propter illam. Quanq̄ non prius ei data fuit, q̄ Liam vxorem acciperet. Et Rachel erat ſterilis. Meſopotamia nomen ex eo ſortita eſt, quód ſit inter duos fluuios ſita, nempe inter Tigrim & Euphratem. Prior labitur è regione Aſſyriorum, alter inimicum non habet, ſed dicitur fluens in latitudine. Tigris eſt diſcretio. Euphrates autem humilitas. Lia corporis laborū typum gerit. Rachel autem veræ contemplationis. Hæc homini contingunt in Meſopotamia commoranti, vt cum diſcretione labores corporeos ſuſcipiat, quibus hoſtes Aſſyrios vincat, & cum humilitate ad veram contemplationem perueniat. Cæterùm Rachel filios non genuit, anteq̄ pareret Lia, & Iacob ipſe ſeruiret. Ex quo intelligimus, hominē, niſi prius labores in ex-


colendis virtutibus pertulerit, nō posse ad veræ perfectionis libertatē aspirare. Vxores erāt ambæ quidem Iacob, sed ille magis Rachel, q̃ Liam diligebat, quoniā Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venusto aspectu. Prioris vxoris oculi lippi significāt, hominē, dum in corporis laboribus occupatur, nondum verā cōtemplationē intueri. Intermittēdi sunt igitur. Quanuis enim paulū cessauerint, dabitur tamē ad illos reditus. Præbebit enim viro suo Lia Zelphā ancillam, atq; ita rursum liberos tollet, vocabit nomē filii, Aser, quod est, diuitiæ. Porrò cū parere desierit Lia, tūc Deus recordabitur Rachel. Cùm igitur labores corporis sensus edomuerint, & à perturbationibus liberauerint: tunc vera contēplatio aperit animo gloriā suam. Ac tametsi filii Liæ Iacob erant auxilio, ipse tamen maximè omnium Ioseph diligebat. Id est, quanuis corporis labores ad inimico hominē defendant, tamen vera contemplatio coniungit illū cùm Deo. Posteaq̃ vidit Ioseph, reuerti voluit ad parentes suos, cùm vtiq; sibi eum natum aspexisset, qui rex foret inter fratres suos. Cùm autē dicit torrentem Iacob omnes suas copias traiecisse solumq; remansisse, & benedictionis gaudium accepisse, dicente Domino, Nō erit tibi nomen Iacob, sed Israel. Gen. 3. 2. Iacob appellatus est, quoniam inimicitiam supplantauit, quoad benedictione dignus effectus est, & sensus suos seruauit, qui erant in manu inimici. Posteaq̃ igitur liberati sunt, vocatus est Israel, hoc est, mens Deum videns. Etenim cùm eò peruenerit mens, vt diuinitatis gloriam videat, metuitur ab inimico. Quanuis igitur veniat in occursum eius Esau cum acerbitate, humilitas Iacob extinguit malitiā ipsius, nec ab eo amplius oppugnatur. Quòd si adhuc sæuiat inimicus, proiicit se in conspectu Dei. Et cùm ille magnam videat gloriam, quam accepit, ei vim afferre non potest. Deus enim illi opitulatur, sicut

scriptum est: Reuertere in terrã generationis tuæ, & ero tecum. Postea venit in Salẽ, & emit ibi agrũ, & ædificauit altare. Deo Salem est pax. Cùm enim homo bellũ euaserit, in quo defendit eũ Deus, venit ad pacẽ, & duodecim lapidibus altare cõstituit, & offert super illo ex laboribus seruitutis, quam in Mesopotamia seruiuit, in possessione, quã possedit in terra promissionis. Talis fuit & dilectus Deo Moses, cũ eduxit populũ ex Aegypto, eumq; de manu Pharaonis liberauit, traiecitq; rubrũ mare, & omnium hostiũ suorũ mortem conspexit, & misit Iosue, vt perderet Ama-
Exo. 17. lech. Ipse verò in montis vertice constitit, & manus eius ab Aaron & Or sustinebantur, ne ex crucis specie, in qua erant constitutæ, deciderent. Et reuersus est Iosue cũ gaudio, deleto Amalech. Tunc super mõte duodecim lapidibus altare cõstruxit, & monti nomen imposuit, Dominus refugium meũ. quia manu occulta pugnauit Deus cũ Amalech. Amalech significat Acediam. Si enim cœperit homo ex voluntatibus suis effugere, & ad Deum confugerit, Acedia in primis eũ inuadit, conaturq; ad pristina peccata reducere, sed illam repellit assidua cum Deo familiaritas, quam temperantia gignit, temperantiam porrò corporis afflictio parit. His rationibus Israel liberatur. Et tunc homo gratias agit Deo, Ego, inquiens, infirmus sum & imbecillus, sed tu adiutor meus à generatione in generationem. Talis fuit, & Magnus Propheta Elias, qui omnes turpitudinis prophetas
3. Reg. 18. sibi aduersantes delere non potuit prius, q̃ duodecim lapidibus altare construeret, & lignis congestis aquam infunderet, & sanctum sacrificium imponeret. Et ignis diuinus consumpsit altare, & quæ super altari erant posita. Tunc fiduciam sumpsit contra aduersarios suos, & cùm eos ad internecionem vsq; deleuisset, gratias egit Deo, Tu, inquiens, in his omnibus es. Scriptum est enim, cum inter genua sua fa-

ejem posu:sse. Nisi enim mens diligenter inter sensus suos sit cõstituta,& sobria castaq; vigilet assiduè, æternam non assequitur fęlicitaté, quę hanc illi gloriam affert. Et si minister Eliæ prospiciat,& nullũ ex septem vitiis cõsurgere videat, tunc cernit paruã nubem instar hominis ex mari aquam afferenté. Quod Spiritum sanctũ significat in animo nostro conquiescentem. In hoc enim sita felicitas est, vt nostra virtutis studia integra atq; perpetua sint,& ne reuertamur ad ea, quorum veniam impetrauimus. Si enim labores ac studia nostra Deo fuerint accepta, aduersarii nostri non poterunt cõsistere. Cùm enim viderint voluntati ipsorum à nobis non obtemperari, tũc per se dissoluentur. Inuocate, inquit, nomina Deorũ vestrorũ, & ego inuocabo nomen Domini Dei mei. Et quicũq; audiuerit in igne, is erit Dominus Deus. Quamuis animis nostris Dæmones suggerant tentationes, eas tamen nobis inuitis ad exitum perducere nequeunt. Omnes illi quidem vires conferunt suas, sed eos nõ audit homo Dei, quoniam ab illis abhorret cor ipsius, quo in Dei voluntate requiescit. Inuocate, inquit, nomina Deorum vestrorũ, & ego inuocabo nomen Dei mei. Quod illi frustra fecerũt. Hęc ad vtilitatem nostram scripta sunt, vt sequamur eorum vestigia, qui virtutum studio ad fœlicitaté contenderunt. Confugiebant illi ad auxiliũ Dei, in eoq; spes suas omnes collocabant, nihil viribus propriis confidentes. Et diuina protectio fuit eis in ciuitatem munitam. Sciebant enim se sine Dei præsidio nihil posse. Dicebant cum humilitate illa Dauidis verba: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Si enim viderit Deus animum sibi omnino esse subiectum, neq; in alio spem habere, confirmat eum, dicens: Ne timeas, fili mi Iacob, puer Israel, nę Psal. 126

timeas, quoniam liberaui te, & vocaui nomen tuum, Meus es tu. Et si per aquam transieris, tecum sum, & fluuii te non intercludent. Et si per ignem transieris, non combureris. Flamma enim non exuret te. Quia ego Dominus Deus tuus Sanctus Israel, saluans te. Hanc vocem animus si audierit, audet aduersus inimicos, Quis est, inquiēs, oppugnator meus? aduersetur mihi. Quis iudex meus? appropinquet mihi. Ecce Deus adiutor meus, quis mihi nocebit? Ecce vos omnes, sicut vestimentum inueterascetis, & tanq̃ vellera à tinea corrodemini. Vtinam inueniat nos Deus cùm illis, qui humilitate sunt præditi, & ab ea seruantur incolumes ab omnibus iaculis inimici, per gratiam Dei, cuius est potentia, & gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

QVAE OBSERVANDA SINT IIS, QVI SIMVL IN PACE HABITARE CVPIVNT, ORATIO. V.



SI simul iter facitis, attendite, si quis inter vos sit imbecillior, & eius rationem habete, si vel paulùm sedere velit, aut aliquid ante præscriptā horam gustare. Si ad opus faciendum proficiscimini, sibi quisq; attendat, non autē fratri suo. Nequis alterū docere audeat, aūt ei quicq̃ præcipere. Si intra cellam opus aliquod facitis, permittite, vt quisq; faciat arbitratu suo. Sin aliquis dixerit, Obsecro vos, me vt doceatis. neq; enim scio. qui inter vos peritus est, ne reluctetur, aut scire se neget. Hæc enim non est humilitas secundū Deū. Si videris fratrem tuum opus aliquod facientem, ne dixeris eum errare, aut nihil agere. Quòd si ipse te rogauerit, vt se doceas, tu verò id non feceris, sed

tacueris, ostendis in te non esse Dei charitatem, sed nequitiam. Si frater tuus edulia haud ita bene coxerit, ne dixeris, cũ malè coxisse. Id enim mors est animæ tuæ. Sed considera, q̃ molestum & graue tibi fuisset, siquis in te ea verba pronuntiasset, & quiesces. Inter psallẽdum siquis in aliquo verbo errauerit, ne statim eum corrigas atq; perturbes. Sed si verbum prætererit, ne sit tibi curæ. Sin rogauerit, vt corrigas, amanter id facito. Siquid in mensa fuerit, à quo fratrum aliquis abhorreat, ne dicat, eo se vesci non posse; sed ad mortẽ vsq; sibi ipse vim afferat, & Deus illum consolabitur. Si opus aliquod simul facitis, & aliquis vestrum animo pusillo desistendum ab illo suaserit, eum ne reprehendatis, sed pariter gaudete. Si fratres aliqui ad vos diuerterint, eos de rebus inutilibus ne interrogetis, alioquin apud vos relinquẽt seruitutem. Quòd si quispiam ex illis sibi temperare nequiuerit, quominus alicui vestrum dicat aliquid inutile & perniciosum, is qui illud audiuerit, reliquis fratribus ne aperiat rem, ne venenum mortiferum animos eorum interimat. Si te peregrè proficisci necessitas coegerit, ne percũteris quicq̃, quod tibi prodesse nequeat, vt ad cellulam tuam incolumis reuertare. Quod si vel inuitus aliquoid eiusmodi audiueris, id domum reuersus ne fratribus nuntiaris. Si hospes in aliena regione versaris, quemcunq; in locum veneris, nihil arrogãter aut facias, aut dicas, vt ex modestia taciturnitateq; tua incolæ fructum percipiãt. Infirmi enim propter cordis imbecillitatẽ facilè offenduntur, quia non perspiciunt peccata sua. Diuinũ auxilium, & spes, mansuetudo, & bona cõscientia, & propriæ volũtatis omnibus in rebus abnegatio, sunt humilitatis indicia. Arrogantia verò, & cõtentio, & sui ipsius existimatio, fratrisq; despectio, & cùm quis eo propter se afflicto ac perturbato, dicit, Quid ad me? Quid mihi negotii cùm illo est? Hæc omnia cor-

dis duritiam declarant. Si te opus faciente frater in cellam tuã ingrediatur, caue ne animũ tuum ea occupet cogitatio, vt te plus, q̃ illum laborasse putes. Si cũ fratre imbecilliore opus facis, ne cõtẽdas, vt plus, q̃ ille, fecisse videare. Si commune aliquod opus efficitis, sic in illud totis viribus incumbe, vt quid tu, quid frater tuus in hebdomada laborauerit, scire nõ

Matt. 5. cures. Ineptũ est enim id quærere. Si ad opus faciendum cũ fratribus proficisceris, ne cupias, vt sciant, te omniũ maximè laborasse. Opus enim, quod homo facit in occulto, perspicit Deus. Siquid tibi frater responderit acerbius, id cũ lætitia suscipe. Si enim recto Dei iudicio cogitationes tuas examinaris, te peccasse animaduertes. Si cùm fratribus habitas, & animus te stimulat, vt restrictius viuas, dic animo tuo, Frater hic infirmus, est Dominus meus. Quòd si tẽ-

Ose. 5. peratius omnino viuere decreuisti, cellulam tibi delige separatim, & noli fratrem tuum infirmum affligere. Si frater aliquis peregrinus, quem vitio aliquo laborare acceperitis, apud vos diuerterit, ne exploretis eum verbis, nisi vitium eius se se aparuerit, sed cauete, ne quid faciatis, quod si frater rescierit, affligatur. Si qua re tibi opus est, ne succẽseas fratri tuo, quod eam tibi spontè non commodarit. Sed cùm fiducia & simplicitate roga illum, vt rem tibi necessariã tribuat. Hæc enim in corde est castitas sancta. Nã si id illi nõ patefeceris, sed in corde tuo cũ murmure succensueris, iudicium tibi ipse constituis. Si inter vos inciderit sermo de aliquo scripturæ loco, cui locus ille notus est, is eum fratri suo modestè benigneq; declaret. Ea nanq; scripturæ maxima cognitio est, vt te humilem præbeas fratri tuo. Considera iudicium illud, ad quod sistendus es, & operam da, ne mutus ibi deprehendaris, nec vllam in illa hora formidanda defensionem inuenias. Quę mũdi sunt, ne curiosius inquiratis, ne Latrinis similes

sitis,

sitis, ad quas homines accedunt, vt ventris onera deponant, atque ita fœtore sunt plenæ. Sed este potius templa & altaria Dei in sanctitate, vbi mane & vesperi thymiama adoleatur. Nunq̃ altare hoc sit sine thymiamate. Semper estote in conspectu Dei obsecrantes eum, & gratias agentes cum simplicitate & synceritate, vt à vobis accipiat Deus ea, quæ calliditati & sapientiæ dæmoniacę, & curiositati, & nimio amori sui ipsius, cordisq; malitiæ sunt contraria. His enim qui sunt obstricti, frustra laborant, & finis eorum interitus: qui verò Deum timet, & conscientiã audit, ab his omnibus abhorrebit. At si pater familiàs abest, miser homo domum constructam habet super voluntate sua, & loquitur, quæ non vult in se ipso: quoniam non habet cor in potestate sua, sed in manu inimici. Si ad opus exire vultis, vnus alterum ne despiciat, neq; relinquat fratrem suum, vt in cella à conscientia stimuletur. Sed eum amanter sic alloquatur: Vis, vt exeamus? Quòd si fratrem suum eo tempore minus quietum aspexerit, aut corpore inualidum, ne contendat, tunc esse discedendum, sed paululum differat, & cum charitate ad cellulam reuertatur. Cauete, ne vlla in re fratribus vestris aduersemini, ne eos perturbetis. Si quis cum patre aut fratre suo habitat spirituali, nullum cum externis commercium habeat. Hæc enim est pax & subiectio. Si cum patre aut fratre tuo habitas, ne ineas clam amicitiam cum aliquo, neque occultè literas ad aliquem scribas, quod eos, quibus cum viuis, velis ignorare, alioquin & te ipsum & illos perdes. Si cum superiore te habitas, noli clam, & eo inscio pauperi benefacere. Noli post factũ petere cõsilium. Sed de iis, quæ te in præsentia stimulant, cõsule, siue de migratione cogitas, siue opus discere cupis, aut intermittere, aut cũ aliquibus discedere. Audacter consilium pete, anteq̃ rem ipsam aggrediare. Aperi ægritudinẽ

animi tui, aut corporis morbos, aut corũ causas, atq; ita aperi, non vt integer, sed vt vulneratus videare, si vis vulneris medicamentum accipere. Quòd si cogitationes tuas patefacis, ne simules, néue rem vnã pro alia dicas, aut tanq̃ de alio consulas, sed veritaté prome, atq; ita te ipsum para, vt quæ tibi dicentur, efficias, alioqui non senes, quos cõsulis, sed te ipsum decipies. Si à senibus cõsilium petis aduersus tentationum impugnationes, ne audias eos, qui tibi plura, q̃ senes intus loquũtur. Sed Deum ora, vt tecum faciat misericordiam suam, senesq; moueat, vt tibi, quę ipsi grata sunt, consulant. Tum, quæ tibi senes dixerint, facito, & Deus te consolabitur. Si cum fratribus habitas, & quietem non inuenis, vel propter opera, vel propter vincula, vel quia onus ferre non potes, vel propter acediam, vel quia iugum sustinere nõ vales, vel quia facere voluntatem tuam nõ potes, vel quia non suppetunt res necessariæ, vel quia seueriore te disciplina cupis astringere, & vehementius castigare, seu quauis alia de causa te animus mouet, vt egrediaris, caue, ne temerè id facias, neu iugum excutias, & exeas cum tristitia, aut occultè fugias cum afflictione, immemor fraternitatis, cùm offensio intercedit, & malitiæ velamen obtendas. Sed potius pacis & tranquillitatis tempus obserua, vt animus tuus, vbicunque fueris, conquiescat. Tibi ipsi culpam ascribe, non autem fratribus, quibus cum vixisti. Ne audieris inimicum suadentem, vt simules, te à fratribus
Mar. 10. affectũ iniuria, à quibus beneficium accepisti, quo fu-
Luc. 12. gias infamiam, & eorum ignominia contegas tuam, atq; ita seruus inimici fias, vbicunq; vixeris. Si te aliquò contuleris ad habitandum, haud ita citò cellam incolendã tibi ipse constituas, nisi prius loci naturã consideres, ne forte illic offendiculum reperias, vel propter sollicitudinem, vel propter cuiuspiam con-
Ioan. 14. spectum, vel propter gloriam, vel propter laboris

magnitudinem,vel propter offensionem amicorum.
Quanq̃ si sapiés fueris, paucis diebus omnia cogno-
sces,vnde tibi aut mors,aut vita sit prouentura.Si fra
tri cellam tuam dies aliquot ad habitandum conces-
seris,noli eum tibi subditum existimare.Si cellam al
terius ipse diebus aliquot ad habitandum acceperis,
nihil in ea diruas, aut ædifices sine eius licentia, qui
eam tibi commodauit. Si cum aliquo vel habitas, vel
peregrè proficisceris,& ab eo mandatũ accipis, caue
propter Deum,ne contemnas,néue aut clàm,aut pa-
làm ab ipso mandato recedas. Si tibi ipse in cellula
tua pręscri psisti,vt vel statuta aliqua hora comedas,
vel à cibo aliquo abstineas,caue,ne cùm peregrè pro
ficisceris,in mensa cuipiam dicas, ignosce mihi, hoc
ego cibo non vescor. Sic enim vanitas tua labores
tuos in manus inimicorum tuorum excuteret. Do-
minus enim iubet,vt in occultò hęc faciamus,quo pa
ter noster nobis reddat in manifesto. Qui opera sua
diligit,ea seruet,ne pereant. Si in eodem viuitis cõ-
tubernio,& cùm opus aliquod intus,aut foris facitis,
frater tuus vocat te,ne dixeris,paulísper expecta, dũ
opus absoluam,sed statim obtépera. Cùm opus ali-
quod simul facitis, si erratum alicuius animaduerte-
ris,ne illud ad alios deferas,aut in ore tuo sit, vt fra-
tribus dicas. Id enim est mors animæ tuæ. Si tecum
fratres habitauerint, cùm laborando sunt fessi, ante
solitam edendi horam,fac,vt cibum capiant,& quie-
scant. Dei iudicio vtere, non autem tuo. Quicquid
agis, Deum tibi ante oculos propone. Si aliquò ad
habitandum concesseris,vel solus, vel cum illis, qui
erant illic ante te,& videris ibi artificem, aut opera,
quę detrimentum afferant, aut monacho minus con
uenientia, ne patefeceris os tuum ad reprehendẽ-
dũ,sed si quietem nõ inuenis,aliò proficiscere,& lin-
guam cohibe,ne maledicas. Id enim tibi mors est. Si
infirmus es,& ad vitia procliuis,ne permittas, vt co-

gitationes suas prauas tibi tanq̃ fideli quispiam com municet. Ea enim res animæ tuæ est perniciosa. Si inter vos oriatur sermo, qui risum moueat, cauete, ne vocem vestram sinatis exaudiri. Ibi enim solutior est risus, vbi nõ est disciplina, nec timor Dei, nec interior animi custodia. Quoniam ira diuina in diebus nostris inuasit orbem terrarum, nolite terreri, si quid horrendũ audiueritis, sed ita vobiscum considerate: Quid sunt hæc, si cum illis conferantur, in quę ꝓpter peccata nostra, nisi resipuerimus, incidemus? Diligite inter vos propter Deũ. Si hæc in simplicitate seruaueritis, cũ gaudio peruenietis ad requiẽ filii Dei: sin ab his recesseritis, frustra hic laborabitis, & cum è corpore exibitis, ad supplicium ęternum, vt scripturæ testantur, rapiemini. Ob hæc enim, quæ cõmemorauimus, venit Dominus noster Iesus Christus. Verùm cordis nostri duritia nos excæcat, quia nostræ obsequimur voluntati, eamq; præponimus ipsi Deo. Neque enim eum diligimus, sed nostras voluptates. Et hæc vobis coactus sum scribere; quia priora non fuerunt satis. Diligite igitur inter vos, & nolite in cordibus vestris incircuncisis permanere. Pauculos istos vitæ dies rectè transigite cum humilitate, & pace, & patientia, propriam amputantes voluntatem in charitate. Quòd si hæc non obseruatis, sed est inter vos zelus, & lis, & contentio, & superbia, & indignatio, & suspicio, & inobedientia, male tempus cõsumitis, & sine dubio in æterna supplicia, cum hinc discesseritis, incurretis. Diligite igitur fratres vestros in charitate sancta, & linguam vestram custodite, ne temerè verba pronũtiet, quibus eos offendatis. Potest autem dominus Deus noster gratiam nobis elargiri, vt bona opera facientes misericordiam eius consequamur cũ omnibus Sanctis, qui ei placuerunt: Quoniam ipsius est gloria, & honor, & adoratio nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

QVI HONESTAM QVIETEM amplecti volunt, eos esse curiosos non oportere, neq; omissa peccatorum suorum consideratione, tempus in rebus inutilibus consumere.

ORATIO. VI.



VI cum curiositate scrutatur scripturas, inimicitias inuenit & contentionem: at qui luget peccata sua, pacem reperit & tranquillitatem. Monachus, qui residet in cella sua, & posthabita peccatorum suorum consideratione, curiosus est in scrutanda scriptura, in errore versatur. Quisquis antequàm seipsum possideat, quæstiunculis vacat, quòd sic, aut sic loquatur scriptura, is curiositatis vitio laborat. Qui autem vigilat, ne à peccatis capiatur, is se supplicem assiduè proiicit in conspectu Dei. Qui similitudinē in Deo quærit, maledicit Deo. Qui Deū venerari studet, in timore eius sanctitatem amplectitur. Qui Dei verba custodit & seruat, is Deum cognoscit. Quæ Dei sublimia sunt, ne quæsieris, dum eius auxilium imploras, vt veniat & seruet te à peccato. Dei munera spontè veniunt, si locum purum castumq; repererint. Qui propria nititur cognitione, & suam sequitur voluntatem, is in se fouet inimicitias, & ab eo spiritu esse non potest, qui cordis parit compunctionem. Qui videt verba scripturæ, & seruat ea proprio sensu, obstinateque contendit, sic illa esse intelligenda, is gloriam Dei, & diuitias eius ignorat. Qui autem ea sic inspicit, vt dicat. Non noui, homo enim sum; & dat gloriam Deo, in eo Dei diuitiæ inhabitant. Cogitationes tuas noli quibuslibet aperire, sed patribus tantùm tuis, ne tristitiam contrahas in corde tuo. Os tuum custodi, vt proxi-

mus tuus in honore sit apud te. Erudi linguam tuam in Dei sermonibus, & mendacium fugiet à te. Humanæ gloriæ cupiditas mendacium parit. At humilitatis studium Dei timorem in corde maiorem efficit. Eorum, qui in mundo gloria sunt insignes, amicitiam noli concupiscere, ne Dei gloriam extinguas in corde tuo. Siquis detrahit fratri suo, & eum calũniatur, & malitiam ostendit, ei ne patefacias aures tuas, ne te ea, quæ nolis, comprehendant. Simplicitas & humilis de se opinio cor integrum & purum à malo conseruat. Qui callidè ambulat cum fratre suo, animi tristitiam non effugiet. Qui vnum in corde, aliud in lingua promptum habet, sacrificia eius sunt vana. Cum eiusmodi hominibus noli uersari, ne ueneno ipsorum conspergare. Cum probis & sanctis hominibus ambula, ut eorum probitatis & sanctitatis particeps fias. Odium in animo serues aduersus neminem, alioquin labores tuos irritos inanesque reddes. Cor tuum erga omnes sit integrum atq; beneuolum, ut Dei pacem in te reperias. Quémadmodum uirus in totum illius corpus diffunditur, qui morsus est à scorpione, & ad cor usque pertransit, sic quem odium occupat, ueneno perfunditur, & animus eius ab eo uulneratur. Quisquis igitur studet, ne labores & opera sua celeriter pereant, is scorpionem à se procul auertet, id est, odium atque improbitatem. A qua quidé peste liberet nos benignitas Domini nostri Iesu Christi, cuius est gloria & adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

DE VIRTVTIBVS ORATIO VII.



RES sunt virtutes, quæ menti semper prospiciunt, eiq; sunt necessariæ, impetus secundùm naturam, & fortitudo, & diligentia. Tres sunt uirtutes, quas si mens secum uiderit, se proximè ad felicitatem credit accessisse. Vnum ab alio discernere, omnia ante tempus præuidere, & nullis externis rebus commoueri. Tres sunt uirtutes, quæ menti lucem præbent assiduè. Non nosse cuiusq; hominis malitiam, & benefacere iis, à quibus affecti sumus iniuria, & ferre quæcũque accidunt sine perturbatione. Hæ tres uirtutes tres alias pariunt seipsis maiores. Non nosse hominis malitiam, beneuolentiam gignit. Benefacere illis, à quibus afficimur iniuria, pacem generat. Ferre sine perturbatione quæcũque accidunt, parit mansuetudinem. Quatuor sunt uirtutes, quæ sanctam animã reddunt, taciturnitas, obseruatio mandatorum, paupertas, & humilitas. Quatuor hisce uirtutibus mens semper indiget. Deo assiduè supplicare, sese prosternere in conspectu Dei, neminem iudicare, surdum esse aduersus obstrepẽtes perturbationes. Quatuor animam virtutes muniunt, & ab hostium terrore faciunt respirare. Misericordia, mansuetudo, longanimitas, & iniuriarum obliuio. Quatuor uirtutes adolescentiam adiuuant apud Deum; assidua meditatio, & diligentia, & uigilantia, & humilis de se existimatio. Quatuor sunt, quæ animum contaminant, uersari in ciuitate nec oculos custodire: mulierum uti familiaritate: eorum, qui in mundo gloriosi sunt, amicitiam sequi: & illorum, qui sanguine nobis coniuncti sunt, diligere consuetudinem. Quatuor sunt, quibus in corpore libido concitatur. Somnus

vſque ad ſatietatem, ciborum copia, facetiarum vrbanitas, & delitiæ veſtimentorum. Quatuor ſunt, quæ menti tenebras offundunt, odium proximi, & contemptus, & æmulatio, atque ſuſpicio. Quatuor ſunt, quibus anima deſerta redditur, tranſitus de loco in locum, negotiorum occupatio, rerum terrenarum amor, & auaritia. Quatuor ſunt, quibus ad iracundiam incitamur; cùm non aſſequimur concupita, cùm propriam amplectimur voluntatem, cùm docẽdi munus accipimus, & nos prudentes exiſtimamus. Tria ſunt, quæ virtutes omnes conſeruant, ſed paratu ſunt difficilia: Cordis compunctio, luctus propter peccata, & aſſidua mortis meditatio. Tria ſunt, quæ animæ dominantur, anteq̃ ad magnam menſurã perueniat, & hæc in mente non ſinunt habitare virtutes: captiuitas, pigritia, & obliuio. Pugnat enim cum homine obliuio, & conatur opprimere omnes eius bonas cogitationes, atque ita malorum omnium affert occaſionem, & quotidie deſtruit ea, quæ ab homine ædificantur. Cernis opera noui hominis & veteris. Qui diligit animam ſuam, ne perdat eam, ſeruat ea, quæ ſunt hominis noui. At qui in hoc exiguo vitæ ſpatio requiem quærit, ea quæ ſunt veteris hominis, amplectitur, ſed perdit animã ſuam. Nam Dominus noſter Ieſus Chriſtus nouum in corpore ſuo hominem oſtendens, dicebat: Qui amat animam ſuã, perdet eam: qui autẽ perdiderit eam propter me, inueniet illã. Ipſe enim eſt Dominus pacis, & per ipſum
Mar. 10. medius inimicitiæ paries dirutus eſt. Et non veni, in-
Luc. 12. quit, mittere pacem, ſed gladium. Et rurſum, Veni mittere ignem in terrã, & quid volo, niſi vt accendatur? Hic eſt ignis ille diuinitatis eius, qui in animis eorum, qui ſanctã ipſius doctrinã ſecuti ſunt, exarſit. Tunc inuenerunt gladiũ ſpiritus, & omnes carnis voluntates amputarunt. Et poſtea dedit eis gaudium,
Ioan. 14. dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam re-

linquo vobis. Ecce qui studuerunt animas suas liberare, voluntates proprias circuncidentes, oues eius sanctæ ad sacrificium facti sunt. Et cùm apparuerit in gloria diuinitatis suæ, vocabit eos ad dexteram suã: Venite, inquiens, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, & quæ sequuntur. Matt.25
Ecce qui animas suas in hoc breui vitæ curriculo perdunt, quomodo eas inuenient in tempore necessitatis, & præmia longè maiora percipient, q̃ expectarant. Qui autem propriis voluntatibus indulgentes, seruãt animas suas in hoc sæculo peccatis obnoxio, seq; diuitiarum suarum vanitate defendũt, neq; obseruant mandata Dei, sed perpetuò se in hoc sæculo victuros putant, in die iudicii cæcitatis suæ turpitudinem agnoscent, & fiẽt hœdi maledicti, & formidandam exaudient iudicis sententiam dicentis: Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, paratum Diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, & reliqua. Tunc os illis obstruetur, & quod respondeant, non habebunt. Nam & si dixerint: Domine, quando te vidimus esurientem, & non ministrauimus tibi? ita refellentur: Qui bene fecit vni ex his, qui in me credunt, mihi fecit. Exploremus singuli nosmetipsos, charissimi, & cõsideremus, vtrũ mandata eius pro viribus obseruauerimus, nec ne. Debitores enim sumus omnes, vt ea pro viribus obseruemus, paruus pro exiguitate sua, & magnus pro sua magnitudine. Etenim qui in Gazophylaciũ munera conferebant, erant diuites. Attamen duobus viduæ minutis magis gauisus est Dominus, qui animi nostri propositum intuetur. Nullum in cordibus nostris inertia locum inueniat, ne inuidia nos separet à Deo. Sed ministeria nostra pro viribus exequamur. Quemadmodum enim misericordiam suam in Archisynagogi filiam ostendit, eam in vitã Matt.25 Matt.12 Luc.21. Matt.9.

reuocans. Et ficut misertus est illius mulieris, quæ sanguinis fluxum patiebatur, quæq; anteq̃ Christum
Matt. 8. cognosceret, omnes facultates suas in medicos con-
Mat. 15. sumpserat. Et quemadmodum curau.t puerum Centurionis, qui in se crediderat. Et quemadmodum
Io. 2. Chananæã miseratus est, in eius filiæ curatione. Et
Luc. 7. Lazarum amicum suum in vitam reuocauit. Sic vni-
Io. 2. cum pauperis viduæ filium lacrymis eius commotus
Luc. 7. suscitauit. Et quemadmodũ Mariam, quæ pedes eius vnguento vnxit, & lacrymis abstersit, non est asper-
Matt. 4. natus. Ita nec peccatricem pedes suos vnguento vngentem, & lacrymis abstergentem contempsit. Et
Matt. 9. quemadmodum Petrum & Ioãnem è nauicula ipso-
Io. 13. rum vocauit, Sequimini, inquiens, me, sic & Matthæũ
Act. 2. in telonio sedentem vocauit. Et quemadmodum lauit pedes discipulorum, sic lau:t & Iudam sine vllo
Act. 10. discrimine. Et quemadmodũ super Apostolos venit
Act. 9. Spiritus paracletus, sic & super Corneliũ venit. Et quemadmodũ propter Paulum Ananiæ opera vsus
Act. 8. estDamasci, Quoniã, inquiẽs, vas electionis est mihi. Sic in Samaria propter Eunuchum Aethiopem vsus est opera Philippi. Nulla enim in conspectu eius est acceptio personarũ, nulla inter paruum & magnum, nulla inter pauperẽ & diuitẽ differentia. Animi propositũ respicit, & fidem erga se, & mandatorum suo-
Io. 13. rum obseruationem, & dilectionẽ etga omnes. Hoc est enim animi signũ & nota, cùm ẽ corpore discesserit. In hoc, inquit, cognoscent omnes, vos meos esse discipulos, si dilectionem habueritis inter vos. Hanc dilectionis notã quib⁹ impressam viderint aduersa-
Matt. 5. rii, ab illis cum timore discedẽt. At omnes Angelorum cœtus illis congratulabuntur. Totis igitur viribus operam demus, fratres charissimi, vt eam consequamur, ne aduersarii nostri nos expugnẽt. Non potest, inquit Dominus, ciuitas abscondi supra mõtem posita. Quo de mõte loquitur, nisi de sermone suo,

cum ait: Qui diligit me, mandata mea seruabit. In Io.13.
hoc studium diligenter incumbamus, vt eius sermonem
seruemus. Et labores nostri erunt veluti ciuitas
fortis ac munita, quę nos, quoad ipsi occuremus,
custodiet ab omnibus inimicis nostris. Hæc enim fiducia
si erimus muniti, omnes inimici eius per montem
sermonis ipsius dissipabuntur. Hoc ex monte lapis Dan.2.
sine manibus excisus statuam ex auro, & argento,
& ære, ac ferro conflatam confregit. Induite vos, inquit
Apostolus, armaturam Dei, vt possitis stare aduersus Eph.6.
insidias Diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio
aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus
principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarū
sæculi huius, contra spiritualia nequitiæ in
cœlestibus. Quatuor hos pr ncipatus indicat quadruplex Dan.2.
illa statuta, quam lapis, hoc est, Dei verbū cōfregit,
vt scriptum est, & in montem magnum euasit, &
terram impleuit vniuersam. In montem hunc fugiamus,
fratres charissimi, vt sit nobis perfugiū, seruetq;
nos à quatuor istis improbis dominationibus, percipiamusq;
etiam nos gaudium cum omnibus sanctis
eius, qui ad eum congregantur ex quatuor terminis
terræ. Pro suis enim quisq; operibus propriam audiet
beatitudinem. Porrò sanctum eius nomen potens
est, si nobiscum sit, vt corroboret nos ad opus
ipsius, nec sinat nos decipi ab inimico, sed custodiat
nos atq; muniat, vt possimus quæcunque nobis acciderint,
sustinere, misericordiamque reperire, cum
illis, qui digni facti sunt, vt vera beatitudine
fruerentur. Ipsi Deo Patri, & Filio, & Spiritui
sancto gloria, & honor, & adoratio,
nunc, & semper & in sæcula
sæculorum.

Amen.

BEATI ESAIAE ABBATIS APOPHTHEGMATA. VIII.



IDEO me aliquando, inquit Abbas Esaias, tanquam equum sine rectore oberrantem, quem qui inuenit, insidet ei:. ac rursus dimissum ab illo alius apprehendit, atque conscendit. Aliàs autem similis sum, inquit, homini, quem inimici cõprehensum ac vinctum in cœni lacum coniecerunt. Qui si clamauerit ad dominum suum, verberatur ab eis, vt taceat. Item similis, inquit, sum passeri, cuius pes laqueo vinctus sit: qui dum solutum se existimãs volatu extollitur, laqueo retinetur. Nemo enim est, qui non ad extremum vsque spiritum aliqua prematur sollicitudine. Idem, siquid, inquit, alicui mutuò dedisti, nec illud repetis, Iesu naturam imitaris; si repetis, naturam Adæ; sin fœnus exigis, peruersum eiusdem morem. Siquis te reprehendit propter rem aliquam, quam vel fecisti, vel non fecisti, si taces, Iesu te similem præbes. Sin respõdes, Quid, inquiẽs, feci? non amplius ei similis es. At si par pari refers, es omnino dissimilis. Si tuum offers sacrificium cũ humilitate, tanq̃ sis indignus, gratum est apud Deum. quòd si extollaris in corde tuo, & recorderis alterius dormientis, aut negligentis, tuus inanis est labor. Dicere solitus erat, humilitatem nec linguã habere, qua de aliquo, tanq̃ negligente, aut superbo, loqueret: neq; oculos, quibus aliorum errata perspiceret: neq; aures, quibus ea, quæ animæ suæ non prodessent, audiret. nihil denique habere negotii, nisi cum peccatis suis. Illi enim cum omnibus pacem esse, non amicitię gratia, sed propter mãdatum Dei. Quòd si quis sine humilitate vel ieiuniis incumbat, vel sese vehementer affligat, vel mandata conetur obseruare, eius

inanes esse labores. Siquis, inquit, instrumentũ possidet, & illud quo tempore necessarium est, non inueniat, frustra possidet. Talis est, qui se timere Deum asserit, & cùm tempus adest, vt Dei timorẽ ostendat, quo vel ab iracundia, vel arrogantia, vel ambitione, aut alio vitio cohibeatur, Dei timorem non reperit; huius omnia studiã sunt inania. Dominus noster Iesus Christus non prius in crucem ascendit, q̃ omnes humanas curaret infirmitates, vt quo cõsilio humanitatẽ induerat, declararet. Anteq̃ enim ipse veniret in carne, homo erat cæcus, & mutus, & surdus, & paralyticus, & leprosus, & claudus, & in omnibus vitiis naturæ contrariis mortuus: At postea q̃ humana pro nobis peregrinatione suscepta, misericordiam suam ostendit, mortuum suscitauit, claudum fecit ambulare, & cæcum aspicere, & mutum loqui, & surdum audire, & nouum hominem constituit, ab omni liberũ infirmitate. Porrò in crucem sublatus duos secum latrones assumpsit. Quorũ is, qui à dextris ipsius erat, laudabat eum, ac precabatur, Memẽto, inquiens, mei, Dñe, cùm veneris in regnum tuum. Alter autem, qui à sinistris erat, eũ maledictis insectabatur. Mens anteq̃ è negligentia resipiscat, cũ inimico est: at si Dominus noster Iesus Christus illam è negligentia suscitarit, eiq; dederit, vt omnia queat diiudicare, tum poterit in crucẽ ascendere. Quòd si, inimico calũniante, ad negligentiam redierit, fiet id, quod de duobus latronibus dictum est, quos Dominus noster Iesus Christus à mutua beneuolẽtia separauit, quorũ vnus blasphemabat eum, alter autem ita precatus est, vt meruerit audire, Hodie mecum eris in Paradiso. Hic est ille latro, qui paradisum etiam furatus est, & comedit de ligno vitæ. Idem rursus de sancta cõmunione dicebat, eius esse munus, vt nos coniungat atque vniat cum Deo. Quòd cùm ita sit, Vbi est, inquit, ista coniunctio, cùm ab ira, aut æmulatione, aut odio, aut

Luc. 23.

Luc. 23.

ambitione, aut inani gloria, aut aliis vitiis ſuperati longè abſumus à Deo? Idem cùm oramus, inquit, & aliqua ex perturbationibus eiuſmodi viget in corde noſtro, inanis eſt noſter labor, & minimè gratus ipſi Deo. Cur igitur, reſpõdit quidam è ſenibus, eo tempore non inhibentur? Reſpondit: Cùm pluit ſuper terram in qua ſemper eſt, germinat. Quòd ſi non habeat ſemen, non germinat. Studeat igitur quiſq; mala ſemina eiicere de corde ſuo, ne exoriantur. Deus hominem vult omnibus in rebus eſſe ſimilẽ ſui. Ideò venit in mundum & paſſus eſt, vt naturam hominis prauam immutaret, & voluntates noſtras abſcinderet, & falſam cognitionẽ, quæ noſtros animos occupat, expelleret. Cętera enim animalia naturam propriam conſeruarunt. Homo verò mutauit naturam ſuam. Quamobrem quemadmodum iumenta homini ſubiecta ſunt, ſic quiſq; debet eſſe ſubiectus proximo ſuo ꝓpter Deum. Iccircò enim Dominus venit. Vide, quantò iumẽta præſtent hominibus, qui ſcientia ſua innituntur. Si ad naturã meam redire voluero, quemadmodum iumenta parent alienæ voluntati, ſic mihi faciendum erit, non ſolùm cum familiaribus, ſed etiam cũ aduerſariis meis. Hæc eſt.n. voluntas Dei. Qui cellulæ ſuæ quietẽ vult frui, & ab inimico non ſuperari, ab hominum recedat cõſuetudine, ne quenq̃ vituperet, aut laudet, aut beatum putet, néue iuſtitiam ſuam prædicet, aut quempiam offendat, ſed ſibi ipſe attendat, nec inimici aculeum cogitationis relinquat in corde ſuo. Noli mentem tuam ignorantibus aperire, nec voluntatẽ tuam imprudentibus patefacere. Noſce te ipſum, & quæ tibi pernicioſa ſunt, caue. Qui propria cõfiſus iuſtitia voluntatem ampleſtitur ſuã, nec hoſtis inſidias effugere poteſt, nec quietẽ inuenire, nec quę ſibi deſunt, intelligere, nec, cùm è corpore diſcedit, miſericordiã aſſequi. Hæc eſt rerũ omniũ ſumma, vt ſpes tuas omnes

in Deo positas habeas, ad eumq; toto corde ac viribus tuis cõfugias, & erga omnes misericors sis, atque peccata lugeas tua, Deiq; auxiliũ ac misericordiam implores. Quod autẽ attinet ad docendos proximos mãdata Dei, vnde, inquit, ego scire possum, me Deo gratum esse, vt hoc, aut ille alteri faciendum præscribere audeam, cùm adhuc ipse defleam peccata mea? Qui enim aliquando lapsus est, lugere debet, nec tutus est, anteq̃ se veniã nouit impetrasse. Homo quidem peccat, Deus autem miseretur. Cor tuũ securũ esse non potest prius, q̃ accedas ad iudicium Dei. Quòd si cupis intelligere, vtrum tibi peccata condonata sint, illud magnum est argumentum, si nihil ex illis amplius est reliquum in corde tuo. At si viuunt adhuc, & memoria commouetur, neq; tu id admodũ curas, malum est signum. Luge igitur, & dole, ac contremisce, donec à Deo misericordiam impetres. Siquis à te doceri vult, nec tamen facit ea, quæ studiosè illi præcipis, sed subinde reuertitur, idem flagitãs, declina ab eo. Docet oẽs Deus, qui audire volunt. Quis docuit Cain & Abel, vt hoc facerent, ab eo abstinerent, cùm lex adhuc scripta non esset? Frustra discendo laborat homo, qui Deum magistrum non habet. Siquis verba pronuntiat inutilia, audire noli, ne perdat animam tuam. Quòd si ea re offenditur, ne sit tibi curæ. Dic, animus meus hæc ferre non potest; omitte ea, obsecro, neq; enim maior ego sum primo illo homine, quẽ manibus suis formauit Deus, & prauis colloquiis corruptus est. Fuge igitur, & noli audire, sed ita fuge, vt quæ dicuntur penitus obliuiscare: Nã siquid in memoria tua residere permiseris, illud Dæmones minimè negligent, sed occident animã tuã. Idem, Quantum, inquit, video, lucrum, & honor, & otium ad mortẽ vsq; hominum oppugnãt. Qui alios docendi sibi munus arrogat, lędit animam suam, & dum proximum corrigere profitetur, atque

eius domum ædificare, sibi ipse ruinam atque interitum struit. Caue, ne peccando coinquines innocentiam, quam in baptismate accepisti. Etenim siue pecces in corpus tuum, siue te furto obstringas, siue cupidius aliquid intuaris, siue clam quippiam degustes, timens, ne te aliquis aspiciat, siue quid elegantius, aut pretiosius occultè possideas, Dei filium afficis contumelia. Tantíne sunt hæc, quidam inquit, o pater? Cui ille respondit: Quemadmodum qui defosso pariete pecuniam surripuit, à diabolo deceptus est: sic & is, qui hoc facit. Nam qui illum vicit, vincit & hunc. Et qui paruis in rebus vincitur, in magnis etiam superatur. Si quis, inquit, virtutes magnas fecerit & curationes, & omnem scientiam habuerit, & mortuos suscitauerit, & afflixerit corpus suum, viderit autem aliquem in peccatis omnibus versantem, cumq́; despexerit, ea nihil ei proderunt, quia Christi membra contemnit, eaq́; ipse iudicat, nec relinquit iudicio Dei. Dicebat nos oẽs esse tanq̃ in medici officina, in qua hic oculis, ille manibus, alius fistula, alius alio morbo laborat: cumq́; sint quędam vulnera iam curéta, tamen nisi à cibis contrariis tempeŕes, recrudescunt. Sic qui pœnitentiæ incumbit, cùm alium iudicat, aut contemnit, animæ suæ renouat ægritudinẽ. Suus igitur cuiq; curandus est morbus, sua cuiq; lugenda peccata, non autẽ alii despiciendi. Væ illi animæ, quæ non abhorret ab omni peccato. Cùm esset populus Israel in Aegypto, abundè edebant, & bibebant, sed premebantur Pharaonis seruitute: at cùm Deus illis misit auxiliũ per Mosem, vt à seruitute liberarentur, tunc laboribus afflicti sunt, nec prius Moses confisus est, quãuis Pharao variis plagis afficeretur, q̃ tempus illud aduenit, cùm Deus dixit illi,
Exo. 11. Adhuc vna restat plaga, & mox Pharao dimittet populũ meũ. Interficiam enim omne primogenitũ. Et dixit Deus ad Mosem: Dices omni plebi, vt postulet vir

vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea, veſtemq; plurimam. Dicebat igitur, ſe à ſenioribus audiuiſſe, vaſa argentea, & aurea, ac veſtem ſenſus ſignificare, qui inimico deſeruiunt. Quos homo niſi ab inimico extorſerit, feceritq;, vt fructum afferant Deo, ad veram quietem peruenire non poteſt. Tabernaculum nõ obumbrauit Deus, quoad imperfectum fuit, ſed cùm eſſet abſolutum, tunc illud obumbrauit. Sic & templum nebula non obumbrauit, quandiu illi quicq̃ defuit: at vbi perfectum fuit, oblata ſunt holocauſta, & odoratus eſt Deus odorem ſuauitatis. Niſi homo ex totis viribus ſuis, & ex tota mente ſua Deum dilexerit, eiq; toto corde coniunctus fuerit, ſuper eum Deus non requieſcit. Si mens, inquit, anteq̃ ſenſus domet, velit in crucem conſcendere, prouocat iram Dei. Rem enim viribus ſuis maiorem aggreditur. Si malæ te cogitationes coinquinant, tu autem non doles in corde tuo, ſed foues ea, vnde proficiſcuntur, veterem Adam imitaris. Si in illud ſtudium incumbis, vt peccatum ſuperes, te ipſum affligens, & omnes remouens occaſiones, & Dei opem implorans, Tua, inquiens, Domine, eſt miſericordia, vt liberes me. Ego.n.ſine auxilio tuo manus inimicorum meorum effugere nequeo. Si hæc facis, & diligẽter operam das, ne offendas eos, qui te ſecũdum Deum erudiũt, Ieſu naturam imitaris. Et ipſe cuſtodiet te ab omni malo. Quoniam eius eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amẽ.

AD EOS, QVI MVNDO RENVNTIARVNT,


ORATIO. VIIII.



SI MVNDO renuntiasti,teq; Deo per pœnitentiã addixisti,ne sinas ea te affligi cogitatione, quasi veterum peccatorũ veniam non impetraris. Neq; rursum eius mandata contemnas, & ad eadem peccata reuertaris. Ad mortem vsq; serua diuina mandata, & ea nunq̃ despice. Cum mulieribus cibum ne capias, nec tibi cum iunioribus familiaritas intercedat. Eodem in lectulo cum nemine dormias. Te ipsum quoq;, dum solus es, dum induis, aut exuis, reuerere. Si vrget necessitas, ad tertium vsq; vini poculum bibe. Mensuram hanc amicitiæ gratia, transilias, caue. Eum ne incolas locum, vbi peccando Deum offendisti. Orationis studium noli remittere, ne incidas in manus inimicorum tuorum. Psalmorum incumbe meditationi: ea enim te in innocentia continebit. Corporis afflictiones amplectere, & vitia reprimentur. Ne qua in re tibi placeas, caue. Peccata tua assiduè defle. A mendacio abhorre: expellet enim abs te timorem Dei. Cogitationes tuas in omnium conspectu ne retexeris, ne proximo tuo sis offendiculo. Aperi cogitationes tuas patribus tuis, vt gratia Dei te protegat. In opere & labore manus tuas exerce, & timor Dei tecum habitabit. Si fratris tui peccatũ videris non ad mortem, eum ne despexeris, ne incidas in manus inimici tui. Eorum, quæ admisisti, memoria ne delectare, ne renouentur in te peccata tua. Humilitatem amplectere, & proteget te à peccatis tuis. Noli esse contentiosus, ne omnis in te habitet improbitas. Ne sis apud temetipsum prudens, ne incidas in manus inimicorum tuorum. Cor tuum

inclina, vt libenter obediat patribus tuis, & gratia Dei habitabit in te. Linguam tuam assuefacito, vt dicat, Da mihi veniam, ignosce mihi: & humilitas ad te veniet. Dum resides in cella tua, his tribus assiduè vaca, orationi, meditationi, & labori manuum tuarum. Ita viue, vt si diem agas quotidie vltimum, & non peccabis. Ventri noli indulgere, ne pristina in te peccata renouentur. In omni loco atq; opere desidiam vita, ne te inimici vis opprimat. Quæ Dei sunt, assiduè meditare, & Deus ĩ te requiescet. Quemadmodum domus extra ciuitatem diruta, fit locus fœtidus: sic anima pigri monachi vitiorum fit domicilium. Orationi cum lacrymis incũbe, vt Dei misericordia veterem hominem peccatis onustum exuat. Labor, & paupertas, & hospitalitas, & afflictio, & silentium pariunt humilitatem. Humilitas verò veniam impetrat omnium peccatorum. Potest autem Domini & Dei nostri benignitas nos ita corroborare, vt voluntatem ipsius agnoscentes ac facientes, misericordiam inueniamus cum omnibus Sanctis, qui mandatis eius obtemperarunt. Amen.

EIVSDEM ARGVMENTI ORATIO. X.



SANCTO Petro Apostolo Deus ostendit, nullum debere communem aut immundũ hominẽ existimari. cuius mundũ est cor, is omnes homines mundos existimat. At qui vitiis cor habet inquinatum, is neminem mundum putat, sed sui similes omnes arbitratur. quòd siquis dixerit aliquem esse virum bonum, statim irascitur in corde suo. Cauete igitur, ne quempiam aut apertè, aut in animo vestro vituperetis. Quantò se quisq; viliorem putat, tantò maior est apud Deum. Quan- Act. 10.

tò se quisq; negligentius explorat, tantò se iudicat amiciorem Dei. At qui studet se à vitiis & perturbationibus expurgare, erubescit in cœlum tollere oculos suos in conspectu Dei: se.n. perspicit ab illo abesse q̄ longissimè. Homo quidam duos seruos habebat, & misit eos in agrum suum, vt meterent triticum, iussitq;, vt septena singuli vno die iugera meterent. Alter ipsorum totis viribus operam dedit, vt Domini faceret imperata. Sed tamen opus explere non potuit, quoniam vires ipsius superabat. Alter autem otio se dedit, Ecquis, secum ipse inquiens, tantum opus vno die queat perficere? iussa igitur negligens, nulla afficiebatur sollicitudine, sed modò dormiens, modò oscitans, modò sese vertens, vt ostium vertitur in cardine suo, diem temerè consumpsit. Cùm autem vesper aduenisset, ad dominum reuersi sunt. Qui, cùm serui diligentis laborem intellexisset, licèt totum ab eo non esset opus perfectum, tamen hominem laudauit. Alterum autem vt inertem ac desidem contemptorem domo sua malè mulctatum extrudi iussit. Nos item in omni opere, & afflictione nauiter ac totis viribus laboremus, & Deus nos sine dubio suscipiet cum Sanctis suis. Debet homo preces assiduè fundere in conspectu Dei magna cum humilitate cordis, & corporis afflictione, nec vllo in opere suo sibi placere, nec humanis laudibus extolli, aut vituperationibus deprimi. Sed frequēter peccatorum suorum recordari. Sic enim cor ab inimicis suis requiescet. Nullum verbum acerbū exeat ab ore tuo. Neminem coram laudes, aut vtq̄ vituperes. Omnes animæ fores, idest, sensus diligenter occlude atq; custodi, ne per illas aut euagetur, aut mundi verba ad eam perferantur. Beatus, qui continenter luget peccata sua. Amen.

DE GRANO SINAPIS ORATIO. XI.



AGNVM in exiguo ſinapis grano myſterium continetur, quemadmodum Patres dixerunt, ideoq; ad noſtrã doctrinam ſcriptum eſt: Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo, quod omnium eſt ſeminum minimum, cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius. Hęc cùm ita ſe habeant, conſentaneum eſt, vt huius granuli facultates imitemur. Cùm enim illud ex omnibus ſeminibus dicat eſſe minimum, oſtendit, humilitatem nobis eſſe complectendam. vt manſuetudine & patientia nobis omnes homines anteponamus. Rubor in eo verecundiam ſignificat & caſtitatem, vt nullum in carne noſtra dedecus admittamus. Acris in eo vis, indicat odium aduerſus vitia, & mundi vanitates. Quòd autem vis eius non patet, niſi tractetur, & conteratur, demonſtrat, nihil virtutem prodeſſe, niſi labore, atq; vſu, & exercitatione actio prodeat & conſequatur. Valet etiam ad corpora condienda, ne putreſcant, aut fœteant. Hoc igitur granulo, quod regno cœlorum eſt ſimile, quod Chriſtus eſt, voluntates noſtras ſolutas ac mortuas conſpergamus, ne putreſcant, & vermibus ſcateant. Iccircò enim Dominus Ieſus factus eſt homo, ne ſolliciti ſimus, ne mundi curis diſtrahamur, ſed ipſum pro viribus imitemur. Ad huius granuli normam nos exploremus, videamus, vtrum illi cordis humilitate, animi manſuetudine, charitatis ardore ſimiles ſimus. Ipſe autem Dominus Ieſus nos miſericordia ſua confirmet, vt voluntati eius pareamus, quoniam eius eſt gloria, & imperium in ſęcula ſæculorum.

Mat. 13.
Luc. 13.

DE VINO ORATIO. XII.



VINI & naturæ hominis mysterium sic intelligitur. Debemus cor nostrũ integrum cum omni sanctitate seruare, si volumus, vt in eo Deus cum lætitia degat. Dolium nisi vndiq; sit picce illitum, & nullas habeat rimas, vinum non potest continere: Cor nisi humilitate & castitate muniatur, & nullas habeat vitiorum rimas, Dei non potest esse domicilium. Fieri enim nequit, vt Deo quis simul, & voluptatibus seruiat. Caueamus diligenter, ne in corde nostro sit odium, aut inimicitia: hæc.n.arcent hominem à vera pœnitentia, vt Deo placere non possit. Feruet initio vinum: sic & adolescentia. Paulatim feruorem remittit vinum, tandemq; consistit: sic æstus adolescentiæ, tempore sedatur, tandemq; constituitur, dum patrum disciplina erudimur, & eorum præceptis obtemperamus. Non infertur vinum in cellam, nisi prius consistat: Non admittitur in aliorum cœtum, cuius non est constantia variis antè rationibus explorata. Si cum vinaceis vinum relinquatur, acescit. Sic & adolescens si cum illis, qui sanguine ei coniuncti sunt, aut certè ab institutis eius alieni, sinatur versari, disciplinam à patribus traditam corrumpit, & bonos mores. Nisi vinum in locis profundis & subterraneis recondatur, euanescit: Sic adolescentiæ labores omnes sunt vani, nisi in humilitate conseruentur. Vinum, quod subinde mouetur & gustatur, deterius fit: sic & homo, qui studia & actiones suas frequenter ostentat inani gloria, amittit perfectionem. Si dolii os apertum manet, culices ingrediuntur, & vinum corrumpunt: Idem accidit in multiloquio, & facetis, vanisq; sermonibus. Vinum ventis expositũ

amittit gratiam suam: & superbia perdit omnem hominis fructum. Quiescit vinum in locis penitus abditis,& operitur:Sic,qui virtutem colit,in silentio conquiescit, & tegit labores ac studia sua. Hæc omnia in vino obseruantur, vt placeat domino suo: Debet hæc omnia quisq; custodire, vt placeat Deo. Porrò, quemadmodum vino non creditur,quale sit, nisi hauriatur & degustetur· sic homo non debet sibi ipse fidere, sed in timore versari, donec occurrat Deo,à quo opera ipsius comprobentur Ac quemadmodum siqua in dolio rimula existat,defluit vinum; anteq̃ dominus sciat, si negligens est: Sic quælibet res quanuis exigua fructum excutit hominis negligentis. Studiosè igitur,fratres,ab omnibus offensionibus & peccatis caueamus, vt Deus nobis misericordiam & gratiam suam in iudicii die largiatur; quod faciet ille profectò, si pro infirmitatis nostræ viribus mandata eius obseruauerimus. Cæterùm, tua est, Domine, potentia, & misericordia, & auxilium, & protectio,& venia,& patientia. Quis.n.ego sum in manu malorum, à quibus me liberasti? Ego nihil habeo quod tibi dem. Peccator ego sum, atq; indignus omnibus donis tuis. Tu me è manibus inimicorum meorum eripuisti: Tu es Dominus meus, & Deus meus. Tua est gloria, & misericordia, & defensio, & præsidium, & imperium in sæcula sæculorum.

Amen.

AD EOS, QVI INITIANTVR ET TENDVNT AD PERFECTIONEM. ORATIO. XIII.



Luc.7. Aec sunt signa, quæ fecit Dominus Iesus, anteq̃ in crucem ascenderet. Euntes, inquit, renũtiate Ioanni, quæ audiuistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulãt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Qui spẽ suam in hoc mundo sitam habet, cæcus est. At si hac spe omissa, animum suum ad ea, quæ in altera vita expectantur, intenderit, visum recipit. Claudus est, qui amat hoc sęculum, quòd si, eo neglecto, Deum diligit, carnemq; contemnit, rectè incedit. Surdus est, qui vanis distractus occupationibus, diuinis rebus minimè vacat. Quòd si, relictis omnibus, capessit præcepta Dei, iã audit. Qui odio, aut inuidia, aut æmulatione, aut maledictis proximum suum insectatur, leprosus est, & iccircò, vt olim leprosi, arcendus est ab altari. Quòd si vitia eiusmodi expulerit, mundus erit. Si igitur respiciat cæcus, ambulet claudus, surdus audiat, & leprosus mundetur, homo qui negligentię tempore in his vitiis erat mortuus, in vitã reuocatur, & fit homo nouus, ac deinceps euangelizatur, cùm antea pauper sensibus fuerit, virtutũ diuitiis carens, & hæc renuntiat ei, à quo baptizatus est. Baptisma est afflictio cùm humilitate atq; silentio. Ioannes enim, ut

Matt.3. scriptum est, indumentum habebat ex pilis cameli, zona pellicea erat circa lumbos eius, & in deserto uersabatur: quod afflictionis est signum, ac pœnitentiæ, quæ mundat hominem, ac talem reddit, ut uacet ei in crucem ascendere. Crux autem est futuræ immortalitatis indicium. Sed opus est prius, ut

ora claudat Pharisæorum, & Sadducæorũ. Sadducæi figuram gerunt infidelitatis, & obstinationis: Pharisæi autẽ malitię, & simulationis, & inanis glorię. Scriptũ est enim, Et nemo ex illa die ausus est amplius Iesum interrogare. Postea misit Petrũ & Ioannẽ, vt pararent Pascha. Cùm enim mens se ipsam viderit nullis obstrictã vitiis, paratur ad immortalitatẽ sensusq; suos eodem dirigit, & secum cõiunctos habet. Iesus autem orauit, dicens. Pater mi, si fieri potest, transeat à me calix iste in hac hora. Quod nobis est documẽto, vt cùm mens vult in crucẽ conscendere, multũ incũbat orationi & lacrymis, supplexq; semper prosternat se in cõspectu Dei, benignitatis eius opem implorans, vt roboretur, & custodiatur, donec resurgat in nouitate sancta atq; inuicta. Crucis.n.tẽpore magnum imminet periculũ. Cùm autem orat, Petrũ, & Ioannem, & Iacobum adhibere socios debet, id est integram fidem, spẽ constantem, & ardentem charitatem. Atq; hæc quidem gessit, & pertulit dilectus Dñs ac Deus noster Iesus Christus pro nobis, & omnibus in rebus nobis exemplum fuit, vt inquit Apostolus, vt cognoscamus eum, & virtutẽ resurrectionis ipsius, & participes simus passionũ eius, mortiq; conformemur, vt occurramus ad resurrectionem mortuorum. Fel ipse pro nobis gustauit, vt nos improbam omnem cupiditatem abiiciamus, & os nostrum obstruamus, nec sinamus illam ex eo prodire ac perfici. Gustauit acetum pro nobis, vt nos omnem arrogantiam & perturbationem extinguamus. Sputis conspersus est pro nobis, vt nos mũdi laudes & humanam gloriam aspernemur. Spinea corona caput eius confixum est pro nobis, vt nos humilitatis corona redimiti, inimici superbiam conculcemus. Quòd autem verberibus affectus est Iesus, anteq̃ in crucem ageretur, nobis documento est, vt omnes hominum contumelias, atq; iniurias

Matt.22
Luc.22.
Matt.26.

æquo animo feramus. Iã quòd vestiméta eius ductis sortibus inter se diuiserint, admonemur, vt rerũ caducarũ iacturam paruipendamus, & crucẽ amplectamur, rapinã bonorum nostrorum, vt Paulus ait, cùm gaudio suscipiẽtes, quandoquidem meliorem & manentẽ substantiã habemus in cœlis. Hæc omnia debet homo præstare pro viribus suis, alioquin in crucem cum Domino non conscẽdet. Porrò, cùm hora sexta crucifixus sit pro salute nostra cum tanta cordis acerbitate, debemus ignauiã omnem ac formidinem deponere, donec peccatum intereat: quoniã, vt scriptũ est, per crucẽ interfecit inimicitiã in eo. Nã quòd hora nona clamauit Iesus voce magna; Deus, Deus meus, quid dereliquisti me? nostrũ esse declarat, posteaq̃ vitia, nos acriter affligentes deuicimus, vt tandem cum humilitate clamãtes ad Deũ, fiduciã sumamus. Quòd autẽ sole obscurato Dominus emisit spiritũ, intellige tunc in te mortuũ esse peccatũ, cũ spes rerũ, quæ in hoc mundo cernuntur, in animo tuo defecit. Et velum templi scissum est à summo vsq; deorsum, quod significat, si mens fuerit liberata, interstitium, quod inter illam & Deum intercedit, sublatum iri. Petræ scissę sunt, & monumenta aperta: quoniam per mortem illam nobis adhibitã, omne pondus, & cęcitas, & quæcunq; premunt animam nostram, confringuntur, & sensus, qui morti fructum ferebant, conualescunt, atq; excitantur inuicti. In sindone munda & aromatibus inuolutus est: vt nos post eius mortem in sanctitate atq; immortalitate conquiescamus. Et posuerunt illum in monumento nouo, in quo nemo positus fuerat, & voluerunt lapidem magnum ad ostium monumenti. Cùm mens ab omnibus huius sæculi perturbationibus liberata sabbatum agit, est in monumento nouo, & res nouas atq; incorruptas meditatur. Vbi corpus est, illuc congregabuntur & aquilæ. Surrexit

Heb. 10.
Eph. 2.
Luc. 17.

in gloria Patris sui, & ascendit in cœlos, & sedet in dexterâ maiestatis in excelsis. Nostrum igitur est, vt Apostolus ait, vt si cum Christo consurreximus, quæ sursum sunt, inquiramus, vbi Christus est in gloria Dei sedens. Quę sursum sunt, sapiamus, non quæ super terram. Mortui enim cum Christo sumus, qui pro sancto nomine suo faciet nobiscum misericordiam suam. nostras enim tulit infirmitates, vt peccata nostra deleret, nosq; in Sanctorum suorum numero collocaret. qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen. Col. 3.

BEATI ESAIAE ABBATIS LVCTVS ET LAMENTATIO.

ORATIO. XIIII.



ME MISERVM, me miserum, quia nondũ à gehênæ igne sum liber. Qui ad illã homines detrahunt, adhuc in me operantur: & omnia opera eius mouẽtur in corde meo. Qui me in incendium conantur demergere, agant adhuc in corde meo, & fructus suos proferre cupiũt. Nondũ mihi constat, quoniam hinc sim profecturus. Nondũ mihi parata est recta via. Nõdum planè liberatus sum ab aereis potestatibus, quæ mihi per mala mea opera dominari conãtur. Nondũ liberatorem meũ suscepi, q venit, vt me ab ipsis vindicaret. Adhuc enim in me viget earũ improbitas. Nondũ video, q̃ mihi apud iudicẽ possit esse fiducia. Nondũ exploratum habeo, vtrũ morte mulctandus sim, nécne. Nondum ex reorum numero exemptus sum. Reus, qui in carcere vinctus est, nõ lætatur. Qui ferreis obstrictus est vinculis, facere voluntatem suam non potest. Nõ docet alios, qui compedibus tenetur. Qui in dolori-

bus versatur,nõ,valet quiescere.Non edit cum voluptate,cuius collo iniectus est laqueus. Neq; amplius cogitat,quomodo alia scelera cõmittat, sed in luctu & mœrore degit ob illa,quibus obstrictus est,& propter quæ meritò cruciatur.Qui considerat extrema illa supplicia, quibus afficiendus est propter peccata sua,is animum in cæteris iudicandis non habet occupatũ; cor eius stimulat dolor tormentorũ: cruciatuum cogitatio non finit eũ esse curiosum: de cibis non est sollicitus.Non respondet illis, à quibus afficitur contumelia: patienti animo fert omnes iniurias,seq; dignũ illis existimat: risus ab eo pcul abest. cùm suspirio & gemitu formidandi iudicii, in quo sistendus est, recordatur. si quid audit,non animaduertit, vtrũ cùm laude dictum sit, an contrà. doloris magnitudo ingentem ex oculis eius copiam exprimit lacrymarũ. si ex claris parẽtibus ortus est, magis etiã dolet, quoniam in iudicio tam multis spectantibus videndus est.in populo non considerat,qui boni, qui mali sint. si vnà cùm ipso alii vincti trahuntur,nõ attendit illis, nec consultat cùm eis,quid agendũ sit. Onus enim fert quisq; suum. Dum ad suppliciũ trahitur, oculos humi defixos tenet. nemo de illo audet verba facere propter metum tormentorum. Ea, quæ patrarit, quamobrem meritò damnatus sit,ipse cõfitetur. Quãdiu igitur ebrius ero sine vino,& hęc, quæ ante me sunt, negligam? Ariditas cordis mei oculos meos exiccauit. Et sollicitudinis ebrietate caput meum exhaustum est. Animi distractio ad horam vsq; tenebrarum mihi obliuionem adduxit. Corporis necessitas deuinxit me.& interitus de via, me cogit deflectere. Neq; amicum habeo, qui de me loquatur. nec munus est mihi, quod ciuibus mittã. Fama calamitatum, quibus afficior, facit, vt me non agnoscant. Si eos imploro, non audiunt me. Vident enim me nondum à doloribus liberum. Cor meum

consolationem nõ inuenit. Peccatorum enim aculeus sine vlla intermissione me stimulat: & onus iniquitatum mearum ingrauescit. Nec tamen ignis vim planè reformido, quoniam in illum me iniectũ iri exploratum non habeo. Clamor in auribus meis insonat, in propinquo supplicium esse. Vulnera, quæ sanata videbantur, in corpore meo recrudescunt, nec tamen adhuc computruerunt, vt medicum requiram. Contego vulnera mea, ne ab hominibus videantur, & pati nequeo, vt ea medicus curet. Acerba inferre vult ille medicamenta, sed ego nõ patior. Bonus est medicus, nec mercedem à me requirit, & ego sum ita piger, vt ad eum grauer accedere. Vltrò ipse ad me venit, vt mihi medeatur, & inuenit me cõmedentẽ, quæ vulneribus sunt contraria. Hortatur me, vt deinceps abstineã, & vescẽdi voluptas cor meum decipit. Quoties comedo, toties me pœnitet cõmedisse, sed pœnitentia mea non est vera. Mittit ille mihi, quod comedam, vt conualescam. At mala consuetudo ea me suscipere non permittit. In summa; quid agã, ignoro. Lugete mecũ, oẽs vos fratres mei, vt Dei auxiliũ viribus meis maius ad me descẽdat, vt me regat, & doceat, Quoniã ipsius est regnũ, & gloria, nũc, & semper, & in omnia sæcula sæculorũ. Amẽ.

DE MVNDI RENVNTIATIONE.
ORATIO. XV.



RATIONIBVS nostris consulamus, charissimi, quoniã tempus breue est. Animo vacare non potest, qui de corpore sollicitus est. Quemadmodum nemo potest oculum vnum in cœlum tollere, & alterum humi defigere, ita mens nequit, quæ Dei, & quæ mundi sunt, simul curare. De iis, quæ tibi non prosunt, te

adeò fuisse sollicitũ erubesces, cùm è corpore excesseris. Deũ time, qui tibi in omnibus, quę agis, præstò est. Deũ time, qui tuas cogitationes intuetur. Quæ corã hominibus facere erubescis, ea & occultè cogitare turpe puta. Vt arbor ex fructu cognoscitur, sic ex cogitatione mens, qualis sit, intelligitur. Quãdiu peccato pares, ne te liberum putes. Qui vera fruitur libertate, is in eorum, quę turpiter admisit, meditatione non immoratur. Ne te igitur liberum existima, donec Dominum prouocas ad indignationem. Libertas non aduenit, quoad animus aliquid eorum, quæ in mundo sunt, concupiscit. Ea te cura sollicitet, quòd resurrecturus sis, & Deo rationem redditurus. Deum time, qui singula, quæ fecisti, iudicaturus est. Qui tam sollicitus es, si corpus ægrotat, vt illud cures: cur non studes, vt in resurrectione beatũ efficiatur? Quotidie anteq̃ Deo preces effundas, tecum ipse considera, quod vitium superaris. Quẽadmodum terra sine semine & aqua, fructum ferre non potest: sic agere nequit homo pœnitentiam sine humilitate & corporis afflictione. Aeris circunfusi & spirantis afflatu florent germina. Et mandatorum obseruantia floret homo. Quæ quidem obseruantia fidei in Deum est argumentum. Timor Dei conscientiam integram & tranquillam conseruat. Si tibi in cellula commoranti voluptas sensus tuos libidine titillauerit, primos cogitationis impetus cohibe, ne te corripiant. Deum esse præsentem recordare, cuius oculis vel cordis arcana sunt manifesta. Sic igitur animam tuam alloquere: Si vereris, ne te peccãtem aspiciant peccatores similes tui, quantò magis Deum vereri debes, qui penitus abdita & occulta contuetur? His verbis Dei timor excitabitur in corde tuo, quem quidem Dei timorem si amplecti volueris, immobilis atq; inuictus aduer-
Psal. 114 sus vitia permanebis. Sicut scriptum est; Qui confi-


dant in Domino, non commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. Qui credit, sibi, cùm è corpore discesserit, iudicium esse subeũdum, is nulla in re iudicat proximum suum. Oportet enim, vt scriptum est, omnes nos sisti ante tribunal Christi, vt vnusquisq; recipiat ex operibus, quæ gessit in corpore suo, vel præmium, vel supplicium. Qui credit, futurum esse Sanctorum regnum, cauet, ne in paruis, aut minimis rebus peccet, vt fiat vas electũ. Nam simile, inquit, est regnum cœlorum sagenę missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quos, cùm impleta esset, extrahentes elegerunt bonos, & putres abiecerunt. Qui credit corpus suum in die iudicii resurrecturum, debet illud ab omni sorde & macula purum integrumq; seruare. Reformabit enim, vt scriptum est, corpus humilitatis nostræ, vt sit conforme corpori claritatis suæ secundum operationem virtutis suæ. Nihil est in hoc mundo, quod eum, in quo Dei charitas habitat, possit ab illa separare. Quis enim, inquit Apostolus, nos separabit à charitate Dei? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Vtinam nos inter illos reperiat Deus quos nulla res huius mundi separauit à charitate Christi, vt vnà cum illis inueniamus misericordiam per virtutem Domini nostri Iesu Christi cuius cum Patre ingenito, & Spiritu sancto, est gloria, & imperium, nunc, & semper, & in sęcula sæculorum.

Amen.

Rom. 14
2. Cor. 5
Matt. 13
Philip. 3

DE GAVDIO ANIMAE DEO SERVIENTIS.

ORATIO. XVI.



N primis hortor te in timore Dei, vt ex eius voluntate perfectus sis, ne labores tui sint inanes, sed Deo grati. Qui enim negotiatur, lucrũ faciet, ideoq; lætatur, nec considerat, quos labores pertulerit. Qui duxit vxorẽ, eam studiosè obseruat atq; custodit, & cor eius in illa cõquiescit. Miles pro rege suo pugnãs mortẽ despicit, vt corona donetur. Hæc istius mundi sunt opera, & qui ea faciunt, gaudent. Quod cùm ita sit, quonam gaudio affici debet animus illius, qui Dei sese addixit seruituti, & in eo studio se nauiter gerit, cùm considerat Angelos sibi ex hac vita discedenti obuiam venturos, gratulaturosq;, quòd ex tenebrarũ potestatibus fuerit liberatus? Cùm enim anima è corpore egreditur, Angeli cùm ipsa proficiscuntur: Tunc autem occurrunt illi omnes tenebrarum potestates, exquiruntq;, si quid in ea proprium inueniant, vt illam sibi vindicent. Contrà verò tũ Angeli pugnant, tum multo magis opera, quæ ipsa fecit, quibus ab aduersariis oppugnantibus defenditur, & custoditur, vt eam attingere nequeãt. Quòd si opera bona vicerint, tunc eius præconium canunt Angeli, donec cum lętitia Deo occurrat. Quo quidem tempore omnium laborum, quos in mundo pertulit, obliuiscitur. In hoc ergo exiguo uitæ curriculo alacriter laboremus, & opera nostra ab omni malitia pura atq; integra custodiamus, ut è manibus inimicorum nostrorum, qui admodum improbi crudelesq; sunt, liberemur. Beatus ille, in quo nihil eorum inest, quoniam gaudium eius, & lætitia, & quies, & corona est immortalis. Huius autem

tem mundi diuitiæ & voluptates sunt vanæ. Ploremus coram Domino pro viribus, vt ipse pro benignitate sua nostri misereatur, nobisq; ferat auxiliū, quo nos adorientibus inimicis resistamus. Curam nostri geramus cum seueritate, desiderioque feramur in Deum, vt tunc ex improbis inimicorū manibus nos eripiat. Pauperes benignè cōplectamur, vt nos ab auaritia liberet. Omnes fratres nostros pariter diligamus, neminem omnino odio prosequentes, neq; vlli malum pro malo reddamus, atque ita ab æmulatione liberabimur. Pacem cum omnibus, tam paruis, quàm magnis habeamus. Omnibus in rebus humilitatē seruemus, proximoq; cedamus, quanuis iniuria, aut contumelia affecti, vt à superbia liberi simus. Proximum nostrum, licèt vituperemur ab eo, honore prosequamur, & à maledicentia erimus alieni. Mundi delicias & dignitates contemnamus, vt ab inuidia simus integri. Linguam in Dei laudibus & precibus contineamus, vt mendacium à nobis procul absit. Animum & corpus nostrum à libidine arceamus, vt puri castique simus. Hæc enim animam, cùm è corpore egreditur, tuentur atque defendunt, & virtutes ei sunt auxilio, si eas possederit. Quis sapiens recuset mortem oppetere, vt à mundi miseriis, & peccatis liberetur? Faciamus, quod in nobis est, & virtus Dñi nostri Iesu Christi nostræ non deerit humilitati. Nouit enim hominis infirmitatem, & iccircò concessit illi perfugium pœnitentiæ, quandiu est in corpore, vsq; ad extremū spiritum. Oēs igitur cogitationes tuas in Deo fige, vt te custodiat. Nihil in hoc mundo spei ponas, ne te perdat: res.n. has oēs terrenas derelinques, & emigrabis. Quicquid autē gesseris propter Deū, id te necessitatis tempore comitabitur. Quę mūdi sunt, odio prosequere, vt Deum cor tuum videat. Orationi cōtinenter incumbe, vt animus tuus illustretur. Desidiam fuge, ne dolore afficiaris in resurrectione in-

ctorum. Linguam tuam custodi, & Dei timorem amplectere. In pauperes benignus esto, ne in Sanctorũ conspectu confundaris. Ciborum ne indulgeas cupiditati, ne arceat te Amalec. A murmurationibus tépera, ne te serpentes deuorent. Noli vinum diligere ad ebrietatem, ne Dei lætitia priueris. Pios homines dilige atque obserua, vt per ipsos misericordiã consequare. Sanctos homines cole, vt zelus eorũ comedat te. Regni cœlorum recordare, vt eius memoria te paulatim alliciat. Gehennã considera, vt eius opera tibi sint inuisa. Quotidie manè, cùm surgis, cogita, Deo te rerum omnium, quas gesseris, rationẽ redditurum, & non peccabis aduersus illum, sed eius timor in te manebit. Para te, vt ei obuiam procedas, & eius voluntati obtemperabis. Eorum, in quibus hic deficis, quotidie rationem subducito, & in ipso mortis articulo non affligeris. Videant fratres tui opera tua bona, & zelus sanctus comedat eos. Explora quotidie, ecquod in te vitium superaris, nec tibi propterea placeas, nam misericordia, & virtus sunt Dei. De fide & probitate tua ne extollaris, sed ad vltimũ vsque vitæ spiritũ sta in timore. Ne tibi ipse fidas, quãdiu viuis, donec superes omnes tenebrarum potestates. Vigila, frater, aduersus spiritum homini tristitiã afferentem. Multas enim tendit insidias, vt opprimat te. Tristitia, quæ ex Deo est lætitiam affert, & hoĩem confirmat in volũtate Dei. Qui autẽ dicit tibi, Quò fugies? pœnitentiã non habes, veniam non inuenies: is ab inimico est, & nihil aliud quærit, nisi vt abiecta continentia incidas in desperationem. Tristitia verò, quæ ex Deo est, hominem ad desperationem non impellit, sed contrà potius eum consolatur, ne timeas, inquiens: ad Deum reuertere, qui benignus & misericors est, & nouit hominum imbecillitatem. Malis cogitationibus acriter resiste, & abs te fugiẽt. Timidos enim ignauosq; premunt, ac superant, & fi-

dem in Deo non habere coarguunt. Qui sibi ipse minimè blăditur, quiq; suam agnoscit imperitiam atq; infirmitatem, is non cupiditatibus indulget suis, sed diuinæ obtemperat voluntati. Qui sibi ipse placet, & sententiam suam cæteris anteponit, timorem Dei à se abesse ostendit. Timor Dei custos est animæ, & rationis defensor aduersus inimicos eius. Qui Dei gloriam quærat, à se fugat immunditiam. Qui prudenter sollicitus est, abscindit cupiditates. Sollicitudo enim, vt scriptum est, veniet ad hominem sapientē. Et qui seipsum extenuat, nouit sanitatē. Qui Regis sui vicit aduersarios, coronatur. Sunt vitia, sunt & virtutes. Quòd si nos desidiæ dedimus, deprehendimur proditores. Labor secundùm Deum ad virtutem auxilio est, desidia vitiorū est mater. Eorum, qui virtutes capessunt, est, vt si ceciderint, non desperent, sed exurgant. Moderati corporis labores in excolendis virtutibus prosunt: Ex inertia pullulant vitia. Scienter pugnantium murus est, proximum non iudicare. Murum hūc diruit, qui vituperat proximum. Linguæ moderatio prudentem indicat hominē. Qui linguæ laxat habenas, se procul à virtute abesse significat. Eleemosyna fiduciā parit: qui abhorret ab eleemosyna, virtutis est expers. Bonitas mater est castitatis. Animi distractio gignit cupiditates. Cordis asperitas iracundiam promit. Animi exercitatio terrenas detestatur occupationes. Corporis exercitatio parùm vtilis est. Animus concidit, cū occupationes diligit: exurgit aūt, dum moderatā quietem amplectit. Sōni satietas in corpore excitat cupiditates. Vigilia moderata salus est cordis. Somnus immodicus hebetat animum, moderatus autem illum acuit. Qui vigiliæ tempus in nugis consumit, tolerabilius illud in somno collocaret. Vitiorum omnium comes est dolor. Proximi conscientiam non pungit humilitas. Humana gloria paulatim superbiam parit. Distētio

impedit cognitionem. Ventris continentia vitia domat. Epularum studium immensas excitat cupiditates. Corporis ornatus est animæ interitus. Diuini iudicii meditatio animum continet in officio. Qui conscientiam cõculcat, virtutes excutit è corde suo. Qui Deum timet, diligens est: qui illum nõ timet, amplectitur negligentiam. Qui os suum custodit, prudenterq; tacet, cogitationes in Deum tollit. E multiloquio desidia prodit & furor. Qui voluntatem suam proximo submittit, animum virtutis studiosum ostẽdit: Qui verò voluntatem suã amplectitur, præsefert imperitiam. Dei timor & tacita meditatio custodit animũ à vitiis. Mũdi colloquia cordi tenebras offundunt, & à virtutibus deterrẽt. Rerum amor terrenarum mentem atq; animum perturbat: earũ verò contemptus quietem affert & trãquillitatem. Qui celat cogitationes suas, mũdi gloriam quærit: qui autem cogitationes suas patribus aperit, fugat eas à se. In domũ, quæ foribus, fenestrisq; caret, quilibet serpẽs ingreditur: huic similis est homo, qui laborat, & non custodit labores suos. Quẽadmodum ærugo ferrum consumit, sic ambitio cor hominis rodit. Quẽadmodum hedera vitem amplexa, fructum illius destruit; sic inanis gloria hominis laborẽ euertit. Inter virtutes excellit humilitas, & ingluuies præstat inter vitia. Virtutũ finis est charitas, & vitiorum extremum est, se iustũ existimare. Quẽadmodum tinea lignum rodendo corrũpit, ita malitia cor hominis inuadens, animã opprimit. Qui animã suam proiicit in conspectu Dei, facile perfert hoïum contumelias. Qui seipsum non reprehẽdit, ab iracũdia superatur. Qui cum hominibus mundo deditis versatur, sermonesq; confert, animam suam perturbat, & confundit eam, adimens illi fiduciam in oratione. Qui ea, quæ mundi sunt, diligit, animæ suæ tenebras offundit. Qui autẽ ea, quæ mundi sunt, planè contemnit ac despicit,

quæ vera sunt bona, cognoſcit & percipit. Qui labores libẽter ſumit, facilè vitia domat ac fugat. Inertia verò atq; ignauia ea gignit & fouet. Ne te ciuilibus negotiis implices, & animus tuus trãquillus erit. Ne confidas viribus tuis, & diuinum auxiliũ aderit tibi. Nullo cum homine inimicitias exercueris, alioquin oratio tua execrabilis. Pax tibi cũ omnibus ſit, vt oratio tua Deo ſit grata. Oculos tuos cuſtodi, & cor tuũ improba ne conſpiciat. Qui mulierem ſpectat cũ voluptate, committit adulterium. Inimici iacturam ne cupias audire, ne cor tuum vltione gaudeat. Aures tuas obſerua, ne tibi compares inimicos. Opere & labore manuũ exerce, vt pauper panem inueniat. Inertia enim mors eſt & interitus animę. Oratio frequẽs excutit ſeruitutis iugũ. Qui mortem cogitat appropinquare, facilè temperat à peccatis. Qui diu ſe victurum ſperat, multis peccatis irretitur. Qui ita viuit, tanq̃ factorum ſuorum omnium rationẽ redditurus, auxilio Dei viam ſuam ſeruat integrã à peccato: qui autem contemnit, Quãdo, inquiens, erit illa dies? ambulat in via peccatorum. Cogita vbi ſis, & quò tibi ſit abeundum, cùm è corpore diſceſſeris, & nullo tẽpore negligas animam tuam. Honorem conſidera, quem omnes ſancti ſunt aſſecuti, & eorum æmulatio te paulatim ad virtutem alliciet. Dedecus itẽ conſidera, in quod peccatores oẽs inciderunt, & cuſtodiet te ſemper à malis. Quicquid agis, id patrum tuorũ conſilio dirige, & tempus omne traduces cum tranquillitate. Attende tibi: cùm te cogitatio ſtimulat, quòd fratrẽ tuum offenderis, ne illam contempſeris, ſed ſupplex ab eo veniam pete, donec eam impetres. Caue, ne durus acerbusque ſis aduerſus fratrem tuum: ab inimico enim omnes tentamur. Si cum aliis fratribus habitas, noli ſemper illis imperare, ſed ſimul labora, ne mercedem amittas tuã. Si tibi de victu veſtituque Dæmones ſollicitudinẽ iniecerint, aut nimiam ino-

piam exprobrarint, nihil eis responde, sed te ipsum in toto corde tuo ante Deũ prosterne, & ipse te cõsolabitur. Caue, ne in orationibus tuis negligens sis: ex illis enim lumen ad animam venit. Si multa bona opera fecisti, ne glorieris. Quòd si mala rursus multa cõmisisti, cor tuũ ne cõtabescat desperatione, sed diligenter attendat, ne illis amplius obstringatur. Si libido te premit, corpus tuũ affige sine intermissione in conspectu Dei cum humilitate, & quietem inuenies. Si te liuor inuaserit, cogita, nos omnes esse Christi membra, proximiq; tum honorem, tum ignominiam esse nobis cõmunem, & liberaberis. Si te gula ciborũq; cupiditas oppugnat, fœtorem inde prouenientem considera, & cõquiesces. Si te obtrectandi fratri vitiũ adoritur, cogita, illud q̃ abiecti sit animi, inuisumq; Deo, & recedet à te. Si te superbia occupat, recordare per illã omnes excuti virtutum fructus, & abs te fugiet. Si te proximi contemptus inuadit, cogita, Deum traditurum te in manus inimicorũ tuorum, & recedet à te. Si cor tuũ trahit corporis pulchritudo, quæ sit intus in eo fœditas, considera, & requiesces. Si fœminæ voluptas tibi iucunda est, aliq̃d carũ, quæ iam mortuæ sunt, memoria repete, & quietem inuenies. Hęc omnia rationis iudicio discutiuntur. Quod quidem iudiciũ assequi sine exercitatione non potes. Primùm quies est necessaria, hæc studium parit; ex studio humanæ miseriæ cognitio nascitur, quæ gignit timorẽ Dei; ex Dei timore prouenit humilitas, ex humilitate prudẽtia, ex prudẽtia dilectio, dilectio seruat aĩam à perturbationibus liberã. Tunc homo, q̃ longè sit à Deo, facilè intelligit. Ad hæc virtutũ ornamenta qui cupit accedere, humanam omnem abiiciat sollicitudinẽ, & se ipsum ad mortẽ præparet; & quoties orat, consideret, quid sit, quod separet ipsum à Deo, atque illud vitet, & mundum oderit vniuersum: & Dei benignitas munera hæc illi

omnia celeriter largietur. Ad ea verò nemo, mihi crede, aspirabit, qui vino cibisq; indulget, & eorum, quæ mundi sunt, aliquid amat, sed se ipsum decipit. Quamobrem oẽs homines, qui Deum sibi per pœnitentiã conciliare cupiunt, hortor, vt à vino tẽperent. Vinum enim renouat omnia vitia, & ab anima Dei timorem expellit. Deum ora totis viribus tuis, vt sui timorem tibi largiatur, quo possis omnia vitia miseram animam tuã, vt eam in seruitutem redigant, oppugnantia, superare. Nunq̃ igitur cesses, frater, dum es in corpore, neq; tibi ipse confidas, quanuis interdum te sentias à perturbationibus liberum. Hostes enim nos ad tempus desinunt oppugnare, vt studiũ remittamus, quò nos imprudentes adoriantur, & infœlicem animam nostram tanq̃ passerem rapiant, & in peccatis grauioribus detineant, q̃ erant illa, à quibus vt solueretur, antea precabatur. Maneamus igit in timore Dei, & virtutes omnes, quæ hostium malitiam cohibent, amplectamur. Virtutes enim non solùm à vitiis nos vindicant, sed animæ coronã parant, anteq̃ è corpore discedat. Magister noster sanctus, Dominus Iesus, hostium nostrorũ cognita crudelitate, & genus humanũ commiseratus, Vigilate, inquit, quia nescitis, qua hora fur venturus sit, ne fortè ueniat repentè, & inueniat uos dormientes. Rursumq; docens suos, videte, inquit, ne grauẽtur corda uestra crapula, & ebrietate, & sollicitudinibus huius uitæ, & repentè superueniat uobis hora. Cùm item sciret, nobis esse fortiores aduersarios nostros, ut doceret nos, ab ipso uim proficisci, qua muniti eos minimè timeremus, Ecce ego uos, inquit, mitto sicut oues in medio luporum. Et præcepit eis, ut nihil acciperent in uia. Cùm enim nihil luporum haberent, non poterant eos lupi deuorare. Porrò cùm incolumes obseruato mãdato eius reuertissent, gratulatus est eis, gratias agens Deo & Patri pro ipsis. Et cor eorum

Matt. 24
Luc. 21.
Matt. 10
Luc. 10.

confirmans dicebat illis, Videbam Satanam tanq̃ fulgur è cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatẽ calcandi super serpẽtes & scorpiones, & nihil vobis nocebit. Missio illa fuit cũ timore & obseruatione. Sed cùm, expleto mandato, reuersi essent, dedit eis potestatem atq; auctoritatẽ. Hæc non ad eos solùm pertinent, sed ad oẽs, qui mandata eius obseruant. Cùm
Luc. 12. enim eos diligeret charitate perfecta, Ne timeas, inquit, pusille grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam, & habebitis sacculos, qui non veterascũt, thesaurum non deficientem in cœlis. Cùm autem & sermonem hunc seruassent, dixit eis: Pacem meã do
Io. 14. vobis, pacem meã relinquo vobis. Et rursum eos cohortãs, Qui diligit me, inquit, mãdata mea seruabit, & ego & Pater veniemus, & mansionem apud eũ fa-
Io. 16. ciemus. Iam ut mundi terrorem ab illis excuteret, In mundo, inquit, afflictionem habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Eos uerò corroborãs, ne in rebus aduersis animũ desponderent, & corda eorum lætitia perfundens, Vos, inquit, estis, qui permãsistis me-
Luc. 22. dum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis, sicut Pater meus disposuit mihi regnum, ut edatis & bibatis in mensa mea. Hæc autem non omnibus dixit, sed illis, qui secum permanserant in tribulationibus. Quinam illi sunt, qui cum Iesu permanent in tribulationibus? nisi qui constantes sunt in uitiis insectandis, donec ea absciderint. Sic autẽ illos alloquebatur, cùm esset ad crucem profecturus. Quamobrẽ qui uult edere & bibere in mensa Domini, unà cum illo crucem conscendat. Crux enim Iesu, est omniũ cupiditatum, donec eas deleueris, insectatio. Itaque Beatus Apostolus, qui eas contriuerat, audebat dicere: Cum Christo crucifixus sum. Viuo autem, iam non ego, Viuit autem in me Christus. In illis igitur,
Gal. 2. qui cupiditates destruxerunt, uiuit Christus. Quare

filios suos Apostolus commonefaciens, Qui Christi Iesu sunt, inquit, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Gal. 5.
Scribens aut ad Timotheum filium suum, Si, inquit commortui sumus, & cõuiuemus. Si sustinemus, & cõregnabimus. Si negauerimus, & ille negabit nos. 2. Tim. 2
Quis autem negat illum, nisi qui voluntatem suam facit secundum carnem? quiq; contumelia afficit sanctum baptisma? Nam per sanctum nomẽ eius data nobis est remissio peccatorum. At hostis noster nos rursum peccato per inuidiam obstrinxit. Cuius malitiam cùm ab initio Dominus noster Iesus Christus non ignoraret, pœnitentiæ nobis donũ ad extremum vsq; spiritum concessit. Nisi enim hoc pœnitentiæ munus esset, nemo ferè saluaretur. Proinde cùm sciret Apostolus nõ deesse, qui peccent etiam post baptisma, Qui furabatur, inquit, iam non furetur. Eph. 21.
Dum igitur Spiritussancti signaculum habemus, abolere peccata nostra studeamus, vt misericordiam inueniamus in die illa, quę iam appropinquat. Citò enim aderit Dominus sedens in solio maiestatis suæ, & congregabuntur coram illo omnes tribus, & vnusquisq; ex propria lampade, quam in manu tenebit, illustrabitur. Quòd si quis oleum nõ habuerit, lampas eius extinguetur, & in tenebras coniicietur. Qui lampadẽ splendidam & ardentem habuerit, in regnum ingredietur. Demus igitur operam, fratres, vt vasa nostra sint oleo plena, quandiu sumus in corpore, quo lampas nostra nobis in regnũ ingredientibus pręluceat. Pręclara lampas atq; illustris est anima sancta. Anima enim bonis operibus splendens, in regnum introibit. Anima verò malitia coinquinata in tenebras discedet. Vigilate igitur, fratres, & bonis operibus incumbite, quoniã tempus appropinquat. Beatus, qui strenuè se gerit. Matura iam seges est, & messis adest. Beatus, qui fructũ suũ seruauit: quia veniẽt Angeli, & recondent illũ in horreo æterno. Væ

illis, qui zizania sunt, quoniam ignis eos manet. Hæreditas huius mundi est aurum, & argentum, & domus, & vestimenta: quæ quidem omnia peccati materiam præbent, & tamen hinc discedentes ea relinquimus. Dei verò hæreditas est immēsa, quam neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; cor hominis cogitatione comprehendit. Atq; hanc elargitur iis, qui exiguo hoc tempore mandatis suis obtemperant. Hanc pro pane, & aqua, & vestimentis, quæ pauperibus largiti fuerimus, pro humanitate, pro corporis castitate, pro cordis innocētia, & reliquis virtutibus accipiemus. Quas quidē virtutes qui colunt, & quietem inueniūt in hoc sæculo, & in honore ac veneratione sunt apud homines, & cùm è corpore decesserint, gaudium percipient sempiternum. Qui verò cupiditatibus indulgent suis, nec pœnitentiam agunt, sed voluptate detinentur, & opinionis errore decepti delicias aucupantur, & vitia complectuntur, nec Dei iudicium reformidant, crudelesq; sunt atq; inhumani aduersus pauperes, & reliquis sese peccatis obstringunt atq; contaminant: isti cùm in hoc sæculo cōfundentur, despectiq; atq; inuisi erunt apud homines, tum verò, cùm ex hoc mūdo migrauerint, dedecus eos & ignominia in gehennam consequetur. Potest autem Deus dignos nos facere, qui in operibus eius proficiamus, abstinemusq; ab omni opere malo, vt seruari possimus in tempore tentationis, quæ vētura est super mūdum vniuersum. Neq; enim tardat Dominus noster Iesus Christ⁹, sed veniet, secum præmia ferens, atque impios quidem mittet in ignem æternum, piis autem mercedē tribuet, & ingredientur cum ipso in regnum cœleste, vbi cōquiescent in sæcula sæculorum. Amen.


DE MVNDI ABRENVNTIATIONE. ORATIO. XVII.



IFFICILE videtur in primis, patria relicta in solitudinem sese conferre, secumq; gerere fidẽ perfectam,& spem,animiq; constantiam aduersus proprias voluntates. Statim enim eiusmodi cogitationes te circunuenient, & timorem iniicient, Quomodo tẽtationes laturus sis, & asperam paupertatẽ,& morbos,si in eos incideris, cùm,qui te curet,aut cognoscat,habeas neminẽ? Sic autem explorat te bonitas Dei,vt studium tuum, & charitas erga ipsum appareat.Deniq; cùm in cellula tua solus eris, inuadent te grauissimæ timoris cogitationes.Seruat hominem,inquient,nõ solitudo,sed obseruatio mandatorũ Dei, tibiq; in memoriam redigent sanguine cõiunctos aliquos,& dicent,Nonne isti sunt serui Dei? Acris præterea proponent intemperiem,vt concidat cor tuũ,atq; animũ despondeas. Verùm si in te charitas, spesque fuerit,malitia nihil proficiet: sed tuus in Deũ amor patefiet,qui cũ magis diligas,q̃ quietẽ carnis. Solitudinis afflictio perducit hominẽ ad spem, spes defendit ab inimicis ex carne.Neq; enim temerè in solitudinẽ te contulisti, sed vt te ipsum explores exerceresq; contra aduersarios tuos, disceresq; suo quenq; illorũ tẽpore prosternere,quibus deuictis ad immortalitatis quietem peruenires. Magnũ autẽ ac præclarũ existimo inanẽ gloriã vincere,atq; in Dei cognitione proficere.Qui enim hac improba inanis gloriæ perturbatione tenetur,is procul abest ab ipsa pace,& animum à Sanctis alienũ habet, & ad malorũ suorũ extremum incidit in superbiæ vitiũ,fallendiq; sollicitudinẽ. Tu verò,ò Christiane, labores cœla, virtutesq; tuas,& caue,ne

illis, qui zizania sunt, quoniam ignis eos manet. Hęreditas huius mundi est aurum, & argentum, & domus, & vestimenta: quæ quidem omnia peccati materiam præbent, & tamen hinc discedentes ea relinquimus. Dei verò hæreditas est immēsa, quam neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; cor hominis cogitatione comprehendit. Atq; hanc elargitur iis, qui exiguo hoc tempore mandatis suis obtemperant. Hanc pro pane, & aqua, & vestimentis, quæ pauperibus largiti fuerimus, pro humanitate, pro corporis castitate, pro cordis innocētia, & reliquis virtutibus accipiemus. Quas quidē virtutes qui colunt, & quietem inueniūt in hoc sæculo, & in honore ac veneratione sunt apud homines, & cùm è corpore decesserint, gaudium percipient sempiternum. Qui verò cupiditatibus indulgent suis, nec pœnitentiam agunt, sed voluptate detinentur, & opinionis errore decepti delicias aucupantur, & vitia complectuntur, nec Dei iudicium reformidant, crudelesq; sunt atq; inhumani aduersus pauperes, & reliquis sese peccatis obstringunt atq; contaminant: isti cùm in hoc sæculo cōfundentur, despectiq; atq; inuisi erunt apud homines, tum verò, cùm ex hoc mūdo migrauerint, dedecus eos & ignominia in gehennam consequetur. Potest autem Deus dignos nos facere, qui in operibus eius proficiamus, abstinemusq; ab omni opere malo, vt seruari possimus in tempore tentationis, quæ vētura est super mūdum vniuersum. Neq; enim tardat Dominus noster Iesus Christ⁹, sed veniet, secum præmia ferens, atque impios quidem mittet in ignem æternum, piis autem mercedē tribuet, & ingredientur cum ipso in regnum cœleste, vbi cōquiescent in sæcula sæculorum. Amen.

DE MVNDI ABRENVNTIATIONE. ORATIO. XVII.



IFFICILE videtur in primis, patria relicta in solitudinem sese conferre, secumq; gerere fidẽ perfectam, & spem, animiq; constantiam aduersus proprias voluntates. Statim enim eiusmodi cogitationes te circunueniẽt, & timorem inicient, Quomodo tẽtationes laturus sis, & asperam paupertatẽ, & morbos, si in eos incideris, cùm, qui te curet, aut cognoscat, habeas neminẽ? Sic autem explorat te bonitas Dei, vt studium tuum, & charitas erga ipsum appareat. Deniq; cùm in cellula tua solus eris, inuadent te grauissimæ timoris cogitationes. Seruat hominem, inquient, nõ solitudo, sed obseruatio mandatorũ Dei, tibiq; in memoriam redigent sanguine cõiunctos aliquos, & dicent, Nonne isti sunt serui Dei? Aeris præterea proponent intemperiem, vt concidat cor tuũ, atq; animũ despondeas. Verùm si in te charitas, spesque fuerit, malitia nihil proficiet: sed tuus in Deũ amor patefiet, qui eũ magis diligas, q̃ quietẽ carnis. Solitudinis afflictio perducit hominẽ ad spem, spes defendit ab inimicis ex carne. Neq; enim temerè in solitudinẽ te contulisti, sed vt te ipsum explores exercceresq; contra aduersarios tuos, disceresq; suo quenq; illorũ tẽpore prosternere, quibus deuictis ad immortalitatis quietem peruenires. Magnũ autẽ ac præclarũ existimo inanẽ gloriã vincere, atq; in Dei cognitione proficere. Qui enim hac improba inanis gloriæ perturbatione tenetur, is procul abest ab ipsa pace, & animum à Sanctis alienũ habet, & ad malorũ suorũ extremum incidit in superbiæ vitiũ, fallendiq; sollicitudinẽ. Tu verò, ò Christiane, labores cœla, virtutesq; tuas, & caue, ne

lingua tua tibi illas surripiat,& tradat inimicis tuis. Qui enim rectè agit, & corporis sui vitia, infirmitatesq; per pœnitentiã abiicit, is animam suam pretiosam constituit in conspectu Dei, & gratum illi templum efficitur.. Qui verò gloriam hominum diligit, is vitiorum expers esse nõ potest, sed ęmulatio & inuidia habitãt in eo, is animam suam multis tentationibus exponit, & cor eius à Dęmonibus conuulneratur, cùm explendæ cupiditatis suæ locum nõ semper inueniat. finis autem eius interitus. Humilibus à Deo peccata retegũtur, vt ea agnoscant, & pœnitentiam agant, expulsisq; septem Dæmonibus, vera gloria, & sanctis virtutibus animam nutriant. Qui sunt eiusmodi, non curant hominum contumelias. Suorum enim memoria peccatorum tanq̃ clipeo ab iracundia vltioneq; sese defendunt, patienterq; ferunt, quicquid illis accidit. Quænam illos attingat ignominia, qui sua in conspectu Dei peccata perspiciunt? Quòd si verba proximi tui ferre non poteris, sed volueris illi respõdere, bella excitabũtur in corde tuo, quæ tibi molestiã afferent, tum ex iis, quæ audieris, tum ex iis, quæ fueris locutus. Et beatos existimabis eos, qui soli degunt, irritabiturq; cor tuum aduersus proximos tuos, tanq̃ sint charitatis expertes. Patientiam igitur & charitatẽ amplectere. Patientia enim iracundiam vincit, & charitas molestiam abstergit. Itaque Deũ ora, vt has tibi virtutes largiatur, quibus iracundiæ impetũ repellas. Quòd si tibi obiicientur adhuc, quibus aduersus proximum irascaris, irascere aduersus Dęmonas, cum proximo autẽ humiliter pacem retine. Qui, vt pacẽ colat, dura hominis acerbi ac stulti verba sustinet, is vocabitur filius pacis, animæq;, & corporis, & spiritus pacem possidebit. Quæ quidẽ tria si in te cõsenserint, cõcident ii, qui armati sunt aduersus legẽ mẽtis, & carnis seruitutis destruetur, & ipse filius pacis appellaberis, & habitabit in te

Spiritus sanctus,& nō discedet. Beati,q labores suos prudēter consideratéq; suscipiunt. Eos enim leuius ferunt,& Dæmonum dolos ac fraudes subterfugiūt, eorū in primis, qui formidine quadam homines ab omni opere bono,quod aggrediuntur,deterrent, & ad ignauiā animum Deo vacantem impellunt,vt eū ab eiusmodi auocent studio. Verùm si charitas in uobis fuerit,& patientia,& continentia,ne ab vno quidē opere bono poterunt nos amouere, præsertim si cogitauerimus,ignauiam bona cuncta destruere. Si mundo renūtiasti, caueto à Dæmone tristitiā afferēte,ne te per nimiā pupertatē & afflictionē impediat, quo minus ad magnas virtutes peruenias, quę in eo sitæ sunt,vt tibi ipse ne placeas,vt æquo animo contumeliā feras , gaudeasq; te ad nullum sæculi negotiū & munus aptum existimari. Hæc si operam dederis,vt assequare, animæ coronam & decus acquires. Neq; enim qui mundo renuntiarunt, & paupertatē in aperto tantùm cōplexi sunt,spiritu pauperes existunt:sed qui malitiæ renuntiant, Deiq; memoriam semper esuriunt & sitiunt. Neq; qui corporis tātùm incumbunt afflictioni,ad animi perueniunt tranquillitatem:sed qui vacant homini interiori; & proprias amputant voluntates,ii virtutum coronas accipient. Sta igitur in custodia cordis tui, & sensibus tuis attende,vt memoria tecū ab oībus mundi cogitationibus conquiescat , neq; à latronibus diripiatur. Qui enim cogitationes suas diligenter obseruant, agnoscunt eas,quæ cupiūt ingredi,& animū coinquinare. Si ardenti studio diuinis mandatis incubueris,intelliges eos,qui te perturbant.qua occasione tibi terrorē iniiciant.Mētem enim perterrefaciunt,vt extollatur,& iners fiat.At illi, quibus malitia eorum cognita est,constantes manent in eo loco,quem elegerūt, & Domino gratias agunt.Sic enim in rebus aduersis se gerunt illi, quibus patientia, & longanimitas, &

charitas cordi est. Desidia verò,& negligētia,otiūq; cupiditas,ea suadent loca conquirere,in quibus laudem & gloriam inueniamus.Ex quo sensus fiunt imbecilliores,& perturbationum impetus exurgit, superbiaq; & satietate occultam continentiā perdit.Si sensibus tuis vis perfectè mederi, Christi crucē amplectere:in ea enim veram omniū ægritudinū medicinam inuenies. Si te inuito cor tuū extollitur,& ad ea,quæ nolis,facienda pertrahitur,id ex vetere Adā scito proficisci.Si cor tuum peccatū odit,& abhorret ab iis,quę peccati afferunt occasionem,& tu pruden ter adhibito supplicio, recedes ab iis,quę te ad peccandū alliciūt,& ex animo procreatorem tuū oras, vt tibi ferat auxilium,vt nulla in re ipsum offendas, multisque lacrymis in conspectū eius prostratus ita precaris, Tuū est,Domine,misereri,Libera me,Domine,ab inimicis meis.Ego enim sum imbecillior,q̄ vt sine ope tua possim è manibus eorum effugere : si hoc modo supplicaris,diligenter studēs,ne illos molestia afficias,qui docent te secundùm Deum: id ex natura est noui Adā Iesu Christi.Nisi enim obedientiam,& humilitatem,& patiētiam, amplectare, licèt cuncta facias,tamen ad habitū naturæ contrariū declinabis.Totum igitur cor tuum ad obediendū Deo conuerte,sic illum obsecrans in veritate.Ad te,Domine,supplex accedo,doce me facere voluntatē tuā. Ego enim,quid mihi expediat, ignoro.Tu,Domine, pro me pugna aduersus inimicos meos. Mihi.n.ignotæ sunt fraudes ipsorū & doli.Si ex animo ita precatus,ea studueris exequi,quę noui hominis Iesu naturæ sunt cogruentia,is, nulla in re te decipi patietur. Sin vnū aliquod duntaxat præceptū obseruas, nō curas te ipsum planè , neque illius seruituti te penitus addixisti. Quemadmodū agellus per se nō potest efficere,vt à zizaniis expurgetur,& semina bona percipiat, neq; fruges bonas simul cū zizaniis ferre quo-

niã à zizaniis opprimũtur,ita tu nisi ope diuina fueris à carnis voluntatibus expurgatus,nõ poteris te ipsum à peccato custodire. Caue igitur ab iis,quæ peccatũ generãt. Auaritia mater est improba omniũ peccatorũ. Acedia propriam fouet voluntatẽ. Voluntas propria superbia intumescit,& contemptum gignit. Cor sibi placens mundanæ consuetudinis parit cupiditatẽ. Inde fit,vt quæ tibi sunt inutilia,concupiscas, vt obtrectatoribus aures patefacias,vt nugas aucuperis,casq; aliis vendites,vt quæ sæculi sunt, diligas; vt doceas,quæ non didicisti,& quæ abs te non exiguntur: vt linguà tua proximũ pũgas,ac stimules. Hæc & alia mala permulta consequũtur. Siquis igitur proficit,aut cupit proficere,caueat diligenter ab occasionibus peccatorũ,atq; ita peccata cõprimet, & extinguet. Qui strenuè pugnat, hæc animaduertit, & admonitiones libẽter audit. Qui verò eas aspernatur, adulatoribus aures patefacit. Qui corporis timet infirmitatẽ,ad id,quod secundum naturam est,nõ perueniet. Qui supplex ad Deum confugit,in eo quietẽ inueniet. Nisi Gedeon hydrias cõfregisset,non aspexisset lampadũ splẽdorem: itidem homo,nisi corpus contempserit,diuinitatis lumen non intuebitur. Etenim Iahel vxor Aber Cinnæi, nisi tulisset clauum tabernaculi, Sisanę superbiã non oppressisset. Si mens igitur se confirmauerit,decreueritq; charitatem sequi,omnia carnis vitia superabit. Charitas enim patiens est,benigna est,æmulationẽ,& arrogãtiã vitat, nec permittit, vt mens ab iis, quæ naturæ contraria sunt,opprimatur. Mẽs autẽ bona,caput est animæ,atque princeps,nec finit eam quicq̃ suscipere,quod sit naturæ contrarium. ostendit enim illi, quot iniuriis ꝓpterea sit affecta. Dominus noster Iesus Christus, cum suam erga genus humanum in cruce misericordiam ostenderet,latrones duos,cùm inter ipsos medius esset, separauit. Turbatus est autem is, qui à si-


Iud.7.

Iud.4.

nistris erat, animaduertens necessitudinem prauam, quæ sibi cum altero, qui à dextris pendebat intercesserat, esse diremptam. At ipse cum humilitate & timore in Iesum intuens, Memento, inquit, mei cùm veneris in regnum tuum. Amici non sunt igitur amplius, nec potest is, qui à dextris est, alteri persuadere, vt à malo vitæ proposito recedat. Cæterùm illi, qui nondum ad hanc humilitatis & charitatis viam peruenerunt, identidem cadunt, & resurgunt, donec misericordia Dei cum illis fiat, sine qua salutem assequi nequeunt. Quæ cùm ita sint boni latronis fidé atq; humilitatem imitemur. Humilitas faciet, vt crucis ignominiam libenter feramus. Qui cruce sua sublata, per Christum à malo latrone seiungitur, agnoscit peccata sua, quibus Deum offendit, eaque confitetur, & deflet, & veniam atq; misericordiam impetrat ab ipso Deo, cui potestas, & gloria nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

DE INIVRIARVM OBLIVIONE.

ORATIO. XVIII.



ANCTVS Apostolus præcipiebat filiis suis, Dominus, inquiens, propè est. nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestrę innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ superat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Et Dominus in Euangelio, Dimittite inquit, omnia peccata debitoribus vestris, vt & vobis dimittat Pater vester peccata vestra. Verbum Domini terribile ac formidandum. Nisi cor tuum videris erga omnes purum, caua petas aliquid à Deo, ne te ipsum afficias ignominia: qui, peccator cùm sis, & succenseas proximo tuo, tamen corda scrutanti audeas dicere, Dimitte,

Philip. 4

Matt. 6. Luc. 6.

dimitte mihi peccata mea. Qui talis est, nō orat men te, sed labris cū ignorātia. Qui enim in veritate orare vult Deū in Spiritu sancto & corde puro, animum suum explorat, anteq̃ ad orandum accedat, vt rū odii quippiam retineat aduersus aliquem, an non, nè se ipsum decipiat, cùm audiat nemo. Si quidē nec mens ipsa orat, nisi quodā cōsuetudinis instituto horarias preces persoluendi; Quamobrem si purā vis orationē offerre, prius excute mentē tuam, atq; ita constitue, vt si dixeris Miserere mei, ipse quoque precātis te, miserearis. Si dixeris, Ignosce mihi, tu item inimicis ignoscas tuis. Si dixeris, Ne reminiscaris delicta mea, nec tu ꝓximi tui delicta recorderis. Si dixeris, ne memineris peccatorū, quibus me vel volens, vel inuitus obstrinxi, ipse quoq;, quibus sis affectus iniuriis, obliuiscaris. Hęc nisi pręstiteris, frustra precaris. Neq; enim te Deus exaudit, vt omnes scripturæ testantur. Sic enim in Euāgelio Matthæi præcipit orare: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorū, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Et in Euangelio Lucæ: Dimittite, inquit, & dimittetur vobis. Et alibi discipulos precari docens: Et dimitte nobis peccata nostra, siquidē & nos dimittimus omni debenti nobis. Totā charitatis vim ostendi tibi, vt quod à Deo vis tibi fieri, id prior ipse facias. Et tunc ea mensura, quam hominibus exhibuisti, liberaberis. Cordis affectionem Deus intuetur, non linguæ verba tantū. Cor igitū tuum ita confirma, vt oēs iniurias obliuione deleas voluntaria. nihil.n. voluntate vehementius est, siue ad mortem, siue ad vitā inclinet. Beati igitur qui vitam æternā diligunt, quia non offendēt. In eam curā omni labore & studio est incūbendū, vt oppugnantes opprimas cogitationes, anteq̃ cor tuum vulnerent. Id assequerę, si peccata tua semper ante oculos habueris.

Matth. 6

Luc. 6.

Hoc.n.pacto siquam tibi ab aliquo illatã iniuriã intellexeris, faciliùs ex animo tuo pelles omnem vlciscendi cupiditatẽ. Quòd si proximo tuo perrexeris succensere, gehennæ timor inuadet te, & cùm tibi ignosci postulaueris, ita coarguet: Infęlix ac miser homo, ad hunc vsq; diem te Deus patienter expectauit, nec peccata tua patefecit, & tu palàm irasceris fratri tuo, & peccata eius acerbè persequeris, & speras, te à Deo veniam impetraturũ? Falleris, mihi crede. Si igitur cor tuũ mite fuerit & facile ad ignoscendũ, apud Deum misericordiã inuenies. Sin durũ aduersus proximum extiterit & inhumanũ, nulla tui habebitur ratio in conspectu Dei. Ignosce mihi. Ego.n. egenus planè sum, & peccatis obstrictus. Et hæc scribens confundor in corde meo. Nisi.n. homo ad filii Dei naturam & exemplum se cõposuerit, inanes sunt oẽs labores eius. Qui seminat, multiplicem fructum expectat. Quòd si spes eũ fefellerit, dolet, q̃ semina, laboresq; perdiderit. Petrus Apostolus cùm Romæ esset affigẽdus cruci, orauit, vt capite demisso suspenderetur. Quo quidem mysterio, quæ naturæ cõtraria sunt, atque homini dominantur, indicauit. Quisquis enim baptizatus est, debet oĩa naturæ rationiq; repugnãtia, quibus superatus est Adã, & ex gloria in ignominiam æternumq; dedecus deturbatus, crucifigere. Forti igitur animo pugnandũ est, despiciendaq; oĩa, quæ apud hoĩes sunt in pretio. Hæc enim sunt illa, quæ filios Adã redigunt in seruitutem: nempè lucrũ, honor, otium, gloria, corporis pulchritudo, & cætera his similia, quæ nutriunt voluptatẽ, quã draco in os Euæ coniecit. Quamobrem nos quoq; ex malis cogitationibus, quæ nos Dei hostes constituunt, agnoscimus nos esse filios Adam. Beatus, qui cum Christo crucifixus est, & mortuus, & sepultus, & resurrexit in nouitate vitę, & sancta Iesu vestigia sequit̃, q pro nobis factus est homo, vt ei per humilitatẽ, & paupertа-

tem,& iniuriarum,ignominiæq; tolerantiam,similes efficiamur,& de corpore nihil solliciti, neq; malorũ insidias veriti,pacem cum omnibus habeamus. Qui vitiis sublatis hæc complectitur, is ex Christo est, & filius Dei,& frater Iesu. Faxit Deus, vt nos omnes simus in numero electorum eius, & bonis potiamur sempiternis in Christo Iesu Domino nostro,cui gloria,& imperium in sæcula sæculorum. Amen.

DE MORBIS ANIMI, ORATIO XIX.



Clamare libet & mihi cũ Esaia Propheta: Patiens tui, sicut parturiens, loquar,dissipabo eos,& perdam. Si teipsum nosti,si fons in te fluit Spiritus sancti, constat dissipatos & perditos esse inimicos tuos. Nõ est,inquit Saluator noster,regnum Dei hic,aut illic, sed intra vos. Sunt,qui loquuntur ea,quæ regni sunt, nec tamen faciunt. Sunt rursus,qui ea faciunt,sed minus scienter & considerate. Paucissimi verò, intra quos sit regnũ Dei, vt Saluator ait. Ad hos peruenit Spiritus sanctus. in his impletus est sermo Ioannis Euangelistæ:Potestatẽ dedit eis,filios Dei fieri,iis,qui credunt in nõie eius,qui nõ ex sanguinibus,neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri,sed ex Deo nati sunt.Isti liberati sunt à dolore,qui Euã inuasit.In dolore filios paries. Isti liberati sunt ab acerba sententia, quæ lata fuit in Adã. Maledicta terra in opere tuo. Isti sunt q gratiã accipiũt,quã accepit Maria.Quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obũbrabit tibi. Quẽadmodum enim dolor cepit Euã & semen eius adhũc vsque diem:sic gaudium cepit Mariam,& bonos omnes Christianos in perpetuũ. Sicut igitur eramus iam filii Euæ, & maledictionem eius in nos per malas nostras cogitationes agnoscebamus; ita

Esa.42. Luc.17. Io.1. Gen.3. Luc.1.


debemus intelligere nos esse filios Dei per bonas Spiritus sancti cogitationes, & Christi passiones, siquidē verè sunt in corpore nostro. Sic.n.ab Apostolo scri-
2.Co.13 ptū est: Probate vosmetipsos, vtrū Christus in vobis sit, ne fortè reprobi sitis. Quando enim ferebamus imaginē terreni, cognoscebamus nos eius esse filios ex turpi materia cogitationū in nobis habitantium,
Esa.26. quę morbi sunt animi. qui aūt cœlestis gestant imaginē, cognoscunt se Dei filios per Spiritum sanctū in ipsis habitantē. Esaias.n.clamat; Ex timore tuo, Dñe, in vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus
Eccl.11. spiritum salutis in terra. Et rursus in Ecclesiaste scriptū est: Quemadmodū compinguntur ossa in ventre gerentis, sic est via spiritus. Nā sicut sancta virgo gestauit Dei filium in carne: ita qui Spiritus sancti gratiā accipiunt, concipiunt & gestant illū in corde suo,
Eph.3. sicut Apostolus ait habitare Christū in interiori homine per fidē in cordibus vestris. Radicati, & fundati in charitate, vt possitis cōprehendere cum oībus San-
2.Cor.4 ctis. Et rursum, Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Si illuc igitur peruenisti, vt eadē imagine ex gloria in gloriā sis transformatus, & impletū est in
Col.3. te illud Apostoli, Et pax Dei exultet in cordibus vestris. & si in mente vestra est Christus Iesus. Et, Qm̄ è tenebris lux effulsit in cordibus vestris cognitionis
Luc.12. Dei. & si adimpletū est illud in te: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardētes in manibus vestris. Et, Eritis sicut serui expectātes Dn̄m suum, donec reuertatur à nuptiis: Ne obstruatur os tuū, non habens, qđ respondeat in medio sanctorū. Et si nosti te, quēadmodū virgines illas habere oleū in vase tuo, vt sponso obuiam procedas, neque excludaris. Et si cognoscis spiritum tuū, & animam, & corpus esse coniuncta sine reprehensione, vt in Die Domini nostri Iesu Christi sine macula appareant. Et si te non accusat

neque arguit conscientia. Et si paruulus factus es iuxta sermoné Saluatoris dicentis: Sinite paruulos venire ad me. talium.n.est regnum cœlorũ: verè sponsa eius facta est anima tua. Et Spiritus sanctus in te, nunc etiam dum es in corpore, conquiescit. Quòd si non es eiusmodi, dolorem & gemitum acerbũ expecta, quoniam dedecus & ignominia præcedent te in cõspectu Sanctorũ. Quemadmodum virgo quotidie manè cũ surgit, nihil aliud curat, nisi vt ornet se sponso suo, & speculo explorat diligenter, nequa macula resideat in vultu suo, qua sponsus offendatur: sic magna quotidie cura & diligentia Sancti cogitationes, & sermones, actionesq́; explorant suas, nequid in illis sit quod cœlesti sponso displiceat. Nullis neque animi neque corporis laboribus parcito, frater, vt æternũ illud gaudium assequare; quo pauci reperiuntur digni, nimirum illi, qui spiritus gladio animũ sensusq́; suos ab omni inquinamento, ut monet Apostolus, mundauerunt. Adiuuet Deus infirmitatem nostram; vt in numero Sanctorum eius esse mereamur per Christum Dominum nostrum. Amen.

Matt. 19

2. Cor. 7.

DE HVMILITATE. ORATIO XX.



VID est humilitas? Humilitas est cùm quis se peccatorem existimat, & nihil boni facere in conspectu Dei. Humilitatis exercet officia, qui silentium colit, qui sibi ipse non placet vlla in re, qui non est cõtentiosus, qui se subiicit omnibus, qui oculos humi defixos tenet, qui mortem assiduè meditatur, qui à mẽdacio cauet, & à nugis, & sermonibus abhorret inutilibus, qui maioribus non aduersatur, qui sententiam suam minimè defendit, qui æquo animo fert contumeliam, qui otium fugit, qui labores libenter

ſubit, qui neminem irritat. Da igitur operã, frater, vt hæc poſſideas, ne anima tua domiciliũ fiat omnium perturbationũ, & vitam tranſigas ſemper infructuoſam. Cõcedat nobis Deus, vt fructus feramus dignos æterna vita, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE POENITENTIA.
ORATIO XXI.



VAESITVM fuit ex Abbate Eſaia, quid eſſet pœnitẽtia, aut quid eſſet fugere à peccato. Qui reſpondens, Duæ ſunt, inquit, viæ. Vna vitæ, mortis altera. Qui per hanc ingreditur, in illa nõ ambulat. Qui autem in vtraque incedit, nondũ addictus eſt vni, neq; ad regnum, neq; ad ſupplicium, donec è vita deceſſerit. Iudicium eſt Dei, cuius & miſericordia. Qui vult in regnum introire, opera eius obſeruat. Regnum enim cœlorum deſtruit omne peccatum. Seminant inimici, ſed eorũ nõ germinant ſemina cogitationũ. Etenim cùm mens diuinitatis dulcedinem deguſtarit, iacula nequeunt ad eam penetrare. Munita eſt enim virtutum clipeo, quo ſe defendit, vt nequeat perturbari, & propriæ incumbit meditationi, vt viam vtranq; diſcernat, atque vnam quidem fugiat, alterã autem diligat. Siquis Dei gloriam nouit, is inimici ſæuitiã intelligit. Siquis regnum cognoſcit, is gehennã nõ ignorat. Cui nota eſt dilectio, huic perſpectũ eſt odiũ. Cui amor Dei cognitus eſt, huic odium mundi non eſt incognitũ. Qui munditiã nouit, is immunditiã deteſtatur. Qui ſcit virtutũ fructum, is etiã ſcit, qui ſit malitiæ fructus. Cui de bonis operibus Angeli gratulanĩ, is non dubitat, Dęmones gaudere, cùm eorum opera perficimus. Quomodo quiſpiã intelligat, quæ ſit auaritia, niſi propter Deũ paupertatem amplectatur? Qũo quis æmulationis

amaritudinē norit, nisi mansuetudinem sit adeptus? Qūo quis iracundiæ cognoscat perturbationem, nisi oībus in rebus patientiam diligat? Qūo libidinis fœtorem, nisi integræ castitatis sentiat suauitatē? Qūo obtrectationis dedecus, nisi suas agnoscat infirmitates? Qūo risus ineptias, nisi in lugēdis peccatis lacrymas effundat? Quomodo desidiæ vitiū, nisi sensibus rectè constitutis Dei lumen perspiciat? Horum malorum omnium caput est vnum malitia inimici. Virtutum autem fons est timor Dei. Qui Dei timorem possidet, in castitate virtutes parit, & amputat malitiæ ramos, quos recensuimus. Dei timorem amplectere, frater charissime, & tēpus omne traduces cum trāquillitate. Virtutum.n.oīum radix est timor Dei. Quandiu quis hæc transgreditur, nondum est regni cœlorū. Paulatim igitur illi certandum est, donec vitia, quæ cōmemorauimus, expūgnet. Id autē hoc argumento intelliget se cōsecutū. Donec sinistra peragit opera sua, nondum peccatum interiit: neq; virtus dexteræ tecū conquiescit. Scriptum est enim: An nescitis, qm̄ cui exhibetis vos seruos ad obediendū, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiā? Et rursum: An nescitis, q Iesus Christus in vobis est? nisi fortè reprobi estis. Et Iacobus, Siquis, inquit, videtur religiosus esse, nō refrænans linguā suam, huius vana est religio. Hæc oīa nos docet Spiritus sanctus, vt à peccato recedamus, neq; in illud amplius incurramus. In hoc.n. pœnitentia consistit. Peccatum verò non vnum est, sed multiplex. Totus enim homo vetus, peccatum appellatur. Iccircò, Nescitis, inquit Apostolus, quòd qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Quis autem est hic, nisi qui cōstanter & fortiter pugnat? Qui enim, inquit, in agone cōtendit, ab omnibus abstinet. Curam igitur nostri geramus, fratres charissimi. In eo autem hæc cura potis-

Ro. 6.
2. Co. 13
Iac. 1.
1. Cor. 9

simum ita sit, vt supplices procidamus in conspectu bonitatis Domini nostri Iesu Christi, qui potest nos ex improbis inimicorum nostrorũ manibus liberare. Idem Abbas, cùm ex eo quæreretur, quomodo sit in cella quiescendum, respondit: Is in cella rectè quietem & silentium colit, qui supplex ante Deũ prostratus assiduè vacat orationi, & totis viribus improbas omnes inimici repellit cogitationes. Id enim est à mundo procul aufugere. Rursum ex eo cùm quæreretur, quid esset mundus. Mundus est, inquit, animi ad peccata distractio. Mundus est, cùm ea, quæ naturæ contraria sunt, sequimur. Mundus est, cum carnis voluntates implemus. Mundus est, cum arbitramur, diu nos in hoc sæculo permansuros. Mũdus est, cùm maiorem corporis, q̃ animæ curam gerimus. Mũdus est, cùm iis, quæ caduca sunt, gloriamur. Non ex me ipso ista confingo, sed Ioannes Apostolus ita loquit.

1.Io.2. Nolite diligere mundũ, neq; ea, quæ in mundo sunt. Siquis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne, quod est mundo cõcupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia uitę, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem Dei, manet in æternum. Filioli, nequis uos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est. Qui autem peccatum facit, ex Diabolo est. Ab initio enim Diabolus peccat. Amicitia enim mundi, inimicitia est in Deum. Et Petrus Apostolus deterriens filios suos à

1.Pet.2. peccato: Hortor, inquit, uos, fratres, tanq̃ aduenas & peregrinos, ut abstineatis à carnalibus desideriis,

Io.14. quę militant aduersus animam. Et dilectus Dominus noster Iesus, cùm sciret, mundum afferre nobis peccati molestiam, donec illum relinquamus, discipulos suos confirmauit, Venit, inquiens, princeps mundi huius, & in me nihil eorum, quæ ipsius

Io.5 sunt, inuenit. Et rursum; Mundus in maligno po-

situs est. Ac de discipulis suis dicebat, eos se elegisse de mundo. Quonã è mundo elegit eos, nisi ex omni occupatione peccati? Quisquis igitur vult esse discipulus Iesu, fugit à vitiis: nisi enim ea proiecerit, Dei nõ potest esse domiciliũ, neq; diuinitatis dulcediné degustare. Lucerna enim, ĩquit, corporis est oculus. Si oculus simplex fuerit, totũ corpus lucidũ erit. Sin oculus prauus extiterit, totum corpus tenebrosum erit. Itaq; nisi mens à malitia fuerit aliena, atq; integra, nõ potest diuinitatis lucé intueri. Malitia enim tanq̃ obscurus paries menti prætéditur, & animã desertã efficit, vt in Euangelio scriptũ est. Nemo lucernã accendens, ponit eam sub modio, sed super candelabrũ, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Mundi huius iniustitia modius dicitur, qua dũ mens ipsa distinetur, in ea diuinitatis lucerna nõ potest esse. At si mens super sublimius candelabrũ fuerit, tũc diuinitatis lumen in ipsa est. Tunc cognoscit eos, qui in domo sunt, & quos debet eiicere, & quibuscũ pacé habere. Sic enim docuit eos, quorũ mẽs in diuinis mandatis illustrata est. Dico, inquiens, vobis, qui auditis: Diligite inimicos vestros: benefacite iis, qui oderũt vos. Orate pro calũniantibus & persequentibus vos Percutienti te in dextera maxilla, præbe illi & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentũ, etiã tunicã noli prohibere. Omni petenti te, tribue. Et volenti mutuare à te, ne auertare: Et ab eo, qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas. Hæc dixit ad eos, qui mundũ fugerant: Reliquerant enim omnia sæculi huius, & parauerant se ipsos, vt Saluatoré suũ sequerentur. Ideò diligens eos charitate perfecta, dicebat eis: Surgite abeamus hinc. Quò igitur ducit eos, q̃ dicit, Surgite abeamus hinc? Ab huius sęculi negotiis abducit illos in regnũ suũ, vt reqescãt. Quamobré ad ipsos, Ego, inquit, sum vitis, & vos palmites. Manete ĩ me, & ego in vobis. Quemadmodũ palmes nõ potest ferre fru-

Io. 15. Matt. 7. Luc. 2. Luc. 6. Io. 14. Io. 15.

ctū, nisi manserit in vite: ita nec vos nisi in me manseritis. Sic eos alloquitur, q mundū reliquerunt, q Spiritus sanctus in illis est, & habitat in cordibus eorū. Nō relinquā vos orphanos, sed veniā ad vos. Siqs igitur Deum diligit, & vult eū in se habitare, & se orphanū nō derelinqui, studeat, ea, quę Iesus precepit, obseruare, & habitabit cū ipso. Neq; enim ꝑcul à nobis est, neq; inter ipsum & nos quicq̄ intercedit, nisi peccatū. Quamobrē, frater, si dicis, te mundo renunciasse, & ea, quæ mundi sunt, facere deprehēderis, nō renūtiasti planè, sed teipsū decipis. Hoc enim eorū,
Io. 12. q mundo renūtiarunt, indicium tulit, Qui amat, inquiens, animā suā, perdet eā. Qui autē perdiderit animā suā ꝓpter me, seruabit eā. Quomodo qs ꝑdit animā suam, nisi dum oēs carnis voluntates amputat? Et
Luc. 14. rursum: Qui non tollit crucē suā & sequitur me, non potest meus esse discipulus. Quam dicit, vt tollamus crucē? nisi vt mēs assiduè vigilet, & virtutibus incumbat? A cruce nō discedit, q vitia persequit, donec ea
Io. 12. ꝓfliget, ac superet. Ad eos, qui resurgūt, Nisi, inquit, granū fruméti cadens in terrā mortuū fuerit, ipsum solū manet. Sin autē mortuū fuerit, multū fructū affert. Eos verò, qui ad grani similitudinē moriuntur, cōsolatur, Qui mihi, inquiēs ministrauerit, honorifi
Io. 12. cabit eum Pater meus. Et vbi ego sum, illic, & minister meus erit. Quomō ministrant Iesu, nisi dū mundi vitia odio persequuntur, & obseruāt madata Dei? Quorū obseruatione fiduciā sumūt, & dicūt ei: Ecce
Mat. 19. nos reliquimus oīa, & secuti sumus te, qd ergo erit nobis? Quibus ille respōdet: Vos, q secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis ī sede maiestatis suę, sedebitis & vos sup sedes, iudicātes duodecim tribus Israel. Et quicunq; reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrē, aut matrē, aut vxorē, aut filios, aut agros, propter nomē meū, centuplū

accipiet,& vitã eternã possidebit. Cùm sciret dilect⁹ Dñs noster Iesus fieri nõ posse, vt hoīs mens ad crucẽ accederet, nisi ab oī mũdi sollicitudine abesset: præcepit, vt oïa relinqueret, quorũ occasione auocaret̃ à cruce. Ideò venieti ad se, dicentiq́; sequar te, Domine, sed pmitte, vt prius disponã ea, quę in domo mea sunt prohibuit: qm̃ si ea vidisset, cor eius iterũ ad illa declinasset. Nemò, inquit, mittens manũ ad aratrũ,& reuertens retrò aptus est ad regnũ cœlorũ. Iã cùm fecisset cœnã filio suo pater, misissetq́; seruos, qui vocarent inuitatos, & rerú, quas quisq; diligebat, cupiditate noluisset venire, dolore commotus dixit, Si quis venit ad me,& nõ odit patrẽ suũ,& matrẽ,& vxorẽ,& filios,& fratres,& sorores, atq; etiã animã suã, nõ potest meus esse discipulus. Quibus verbis significauit, non posse nos ad regnũ, qđ cupimus, peruenire, nisi prius decreuerimus, odio psequi ea, quæ cor nostrũ ad mundũ alliciũt. Porrò monẽs nos, ne fide sola, in qua nõ in sint operá, cõfidamus, Ingressus, inquit, Rex vt recumbẽtes videret, aspexit illic hominẽ nõ indutũ veste nuptiarũ,& iussit, eũ extrudi in tenebras exteriores. Ingrediuntur enim, quia sunt nomine Christiani, eiiciuntur autem, quia non habent opera nomini cõgruẽtia. Sciebat Apostolus neminẽ, quę Dei, & quæ mundi sunt, simul posse diligere, ideò scripsit ad Thimoteũ discipulũ suũ: Nemo militans, vitæ negotiis implicat̃, vt ei placeat, à quo miles electus est. Neq; pugil qsq̃ coronat̃, nisi legitimè certauerit. Et cõfirmãs eũ, ne labores suos crederet inanes fore, laborãtẽ, inquit, agricolã opportet primũ de fructibus accipere. Et ad Corinthios scribens, Qui sine vxore est, inquit, sollicitus est, quę dñi sunt, quomõ placeat Deo. Qui autẽ cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mũdi, qũo placeat vxori,& diuisus est. Caueat vnusquisq;, ne vocẽ illã audiat: Proiicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus,& stridor dentium. Demus

Matt. 8.
Luc. 9.
Luc. 14.
Mat. 22.
2. Tim. 2
2. Tim. 2
1. Cor. 7.
Mat. 25.

igitur operã pro viribus, fratres, vt induamus vestiméta uirtutũ, ne foras exturbemur. Nulla enim erit acceptio personarũ apud Deũ in illa die. Et qui turpiter flagitioseq; viuunt, vt ait Apostolus, regnũ Dei possidere nõ possunt. Et quoniã qui ex mortis operibus suscitãtur, & viuunt secundũ spiritũ, à quo accusentur, nõ habent: quinã sit fructus ipsius spiritus indicat, Fructus inquiẽs, spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, lõganimitas, bonitas, benignitas, man-
Gal. 5. suetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. At amabilis Dominus noster Iesus, ostẽdens nobis opera in illa die esse patefacienda, Multi inquit, quærent ingredi, & non pote-
Luc. 13. runt. Posteaq̃ enim paterfamiliàs surrexerit, & ostiũ clauserit, pulsantibus respondebit: Nescio vos. Num possumus dicere Deũ quicq̃ ignorare? Absit. Cur igitur dicit, Nescio vos? Quia virtutes ignorant illi, qui pulsant, & dicunt, Domine, Domine, aperi nobis. Ac
Io. 15. de illis quidẽ qui fidẽ habent, & nõ habent opera, rursum loquitur, Ego sum, inquiens, vitis, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multũ: qui autem in me non manet, eiicietur foras, & arescet, & in ignẽ coniicietur. Qui aut fructũ ferunt bonũ, eos purgat Deus, vt plus fructuũ ferant. Quòd autẽ illos non amet, qui carnis obtemperant voluntati, declarat, Non pro mũdo, inquiens, rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi. Quia tui sunt, & ego elegi eos de mũdo. Mũdus enim, quæ sua sunt, diligit. Pater serua illos à malo, quia nõ sunt de mũdo. Exploremus nosmetipsos fratres, vtrũ simus de mũdo, nec ne. Quod si non sumus è mundo, nos à malo seruabit. Sic enim
Io. 17. ait: Nõ pro iis tãtùm rogo, sed & pro illis, qui per sermonẽ ipsorũ in me credent, vt omnes vnũ sint; sicut & nos vnũ sumus. Et rursum: Vt vbi ego sum, illic sint & ipsi mecũ. Considerate, charissimi, quanta nos, qui in hoc mundo certamus, & carnis voluntatẽ odimus,

charitat complectatur, siquidē regnaturi sumus cum ipso in infinita sæcula. Cōtemplas enim magnā illa gloriā Ioannes Apostolus, Scimus inquit, quia cū ap paruerit, similes ei erimus, si seruauerimus mādata eius, & ea quæ sunt placita in conspectu eius, fecerim⁹. Et idē rursus, Nolite mirari, charissimi, si mūdus vos odit. Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitā, quoniā diligimus fratres. Et rursum, Omnis, qui nō facit iustitiā, non est ex Deo, & qui nō diligit fratrē suū. Et rursum, Qui facit iustitiā, ex Deo nat⁹ est. Qui autē peccatum facit, ex Diabolo est. Et rursum, Qui ex Deo natus est, peccatū nō facit, quia semen eius in ipso manet, & non potest peccare, quoniā ex Deo natus est. His testimoniis confirmati ad Dei benignitatē cōfugiamus, vt misereatur nostri, viresq; tribuat, quibus mūdi istius immundi iugū excutiamus. Neque enim inimicus noster vnq̃ cessat, vias omnes persequi, quibus animas nostras deprædetur. Verùm Dominus noster Iesus Christus nobiscū est. Eius verba nobis opitulantur. Horū virtute, si ea seruauerimus, inimicū cōteremus; Alioqui quis ei resistere valeat? Petrus Apostolus, docēs hominē operibus seruari, Ministrate, inquit, in fide vestra virtutē, in virtute autē scientiā, in scientia autē abstinentiā, in abstinentia autem patientiā, in patientia autē pietatē, in pietate autē amorē fraternitatis, in amore autē fraternitatis charitatē. Hæc enim si vobis adsint, & superēt, nō vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans obliuionē accipiens veterū suorū peccatorū. Et Ioannes Baptista, Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Iā, & securis ad radicē arborū posita est. Omnis igitur arbor non faciēs fructū bonum, excinditur, & in ignem mittitur. Et Dominus, Ex fructu inquit, arbor cognoscitur. Nunquid colligūt è spinis vuā, aut è tri-

1.Io.3.

1.Pet.1.

Luc.3.

Matt.7. bulis ficus? Et rursum: Nō omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnū cœlorū: sed qui facit voluntatē patris mei, qui in cœlis est. Et Iacobus,
Iac.2. fides, inquit, sine operibus mortua est. Et Dæmonia credūt, & cōtremiscūt. Sicut enim corpus sine spiritu mortuū est, sic & fides sine operibus mortua est. Apostolus itē affirmans filiis suis, fidē operibus indigere, sic eis vehementer præcipit: Fornicatio, & omnis im
Eph. 5. munditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpido, aut stultiloquiū, aut scurrilitas, quæ ad rem nō pertinet: sed magis gratiarū actio. Hoc enim scitote intelligentes, ꝙ omnis fornicator, aut immūdus, aut auarus, quod est idolorū seruitus, nō habet hęreditatē in regno Christi & Dei. Et hęc cōfirmans subiicit: Nemo vos seducat inanibus verbis. ꝓpter hæc enim venit ira Dei in filios inobedietiæ. Nolite ergo effici participes eorū. Eratis enī aliqn̄ tenebræ, nunc autē lux in Domino, vt filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia, & veritate, probātes, q̄d sit beneplacitū Deo, & nolite cōmunicare operibus infructuosis tenebra
Eph. 4. rū, magis aūt redarguite. Et rursum: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cū omni malitia. Imitatores, iquit, mei estote, sicut & ego Christi. Quicūq; enim in Christū baptizati estis, Christū induistis. Exploremus nos ipsos, fratres, vtrū Christū induerimus, an nō. Agnoscitur Christus per castitatē: castus est enim, & in castis habitat. Quomodo igitur casti sint, nisi desināt ea flagitia facere, quæ faciebāt? Ea enim est Dei benignitas, vt quacunq; hora se cōuerterit homo à peccatis suis, suscipiat eū cū gaudio, & veterū eius peccatorū obliuiscatur, sicut in Euāgelio scriptū est de filio iu-
Luc. 15. niore, q h̄rditatis suę partē ꝓdigus dilapidarat, & ad extremū eò redact⁹ est, vt porcos pasceret, & saturari cuperet porcorū cibo. Deniq; resipiscēs intellexit


nullã inueniri peccatorũ satietatẽ. Quantò enim magis ea cõmittimus, tantò maiori eorũ accendimur cupiditate. Cùm igitur pœnitentiæ stimulus eũ attigisset, rẽ nõ distulit, sed statim carnis volũtatẽ abiiciẽs, ad patrẽ suũ rediit cũ humilitate. Patris enim misericordia cõfisus, sperauit eũ sibi peccata, quæ cõmiserat, nõ exprobaturũ. Quamobrẽ & pater eius confestim iussit, illi sanctitatis stolã dari, & arrã paterni amoris. Hoc exemplo nos docuit Dominus noster Iesus Christus, vt si volumus ad ipsum reuerti, prius porcorũ cibũ relinquamus, & tũc suscipiet nos. Hæc dixit, ne animũ despondẽtes dubitemus, vtrũ nos sit exauditurus. Conuertamus igitur nos in toto corde nec precãdo defatigemur, & celeriter nos exaudiet. ipse, enim ait; Petite, & accipietis. Quærite, & inuenietis. Pulsate, & aperietur vobis. Si igitur petere, aut quærere, aut pulsare volumus, discamus, quid ab eo nobis petendũ sit. Qui media nocte ad amicũ suũ accessit, Mutua, inquit, mihi tres panes, quoniã amicus ad me venit de via. Cùm igitur pulsare pergeret, quod petebat impetrauit. Abiiciam⁹ pigritiã à nobis fratres, & hanc petẽdi cõstantiam imitemur, & quæcũq; petierim⁹, impetrabimus. Misericors enim est, nec magis quicq̃ cupit, quã vt peccator resipiscat, & cõuertatur. Amen dico vobis, inquit ipse, gaudiũ est in cœlo super vno peccatore pœnitentiã agente. Dũ ad eius clementiã cunfugere possumus, & misericordię ipsius diuitiis perfrui, resipiscamus, in toto corde dũ sumus in corpore, ad illũ reuertamur. Exiguũ est huius vitę curriculũ. Quod si fecerimus, gaudiũ æternũ & incredibile cõsequemur: Sin retrò nos cõuerterimus, similes erimus adolescẽti illi q̃ Dominũ Iesum interrogauit, quid sibi agendũ esset vt saluus fieret. Cui Dominus cũ respõdisset, Vende omnia, quę habes, & da pauperibus, & tolle crucem tuã & seq̃re me, ostendens nobis salutem in eo sitam esse, vt

Matt. 7. Luc. 2. Luc. 15. Luc. 18.

volũtatẽ noſtrã abnegemus. his ille auditis triſtis diſceſſit. Intelligebat enim graue quidẽ eſſe, dare cũcta pauperibus, ſed multo grauius, crucẽ ſuã geſtare. Facultates enim pauperibus diſtribuere, virtus eſt vna, quæ tamen etiã in cruce cõſiſtit. Crucẽ verò geſtare, eſt omne peccatũ deſtruere, vnde & charitas naſcitur, ſine qua nõ eſt crux. Cæterũ cũ ſciret Apoſtolus multas eſſe & haberi virtutes, in quibus charitas nõ eſt, neq; virtutũ perfectio, Si linguis hominũ, inquit, loquar, & Angelorũ, charitatẽ autẽ nõ habue
1.Cor. 13. ro, factus ſum, ſicut æs ſonans, aut cymbalũ tinniens. Et ſi diſtribuero omnes facultates meas, & dedero corpus meũ, ita, vt ardeã, charitatẽ autẽ nõ habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperã, non inflatur, nõ indecorè ſe gerit, nõ quærit, quæ ſua ſunt, nõ irritatur, non cogitat malũ. Qui vult igitur in via charitatis incedere, ab omniũ hominũ, ſeu boni, ſeu mali ſint, ſolicitudine recedit, & Dei deſideriũ fouet in corde ſuo. Quod quidẽ deſideriũ iuſtã quandã illi iram gignit, qua propulſat inimicũ. Tũc Dei timor nutritur
Act.21. in eo, & per timorẽ charitas patefit. Ei qui eiuſmodi eſt, eadem fiducia, qua Apoſtolus, dicit, Ego paratus ſum non ſolũ vinciri, ſed etiã mori pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Beata eſt aĩa illa, quæ ad talẽ charitatẽ peruenit. Exeamus è mũdo, fratres. Quo in ſtatu ſimus, conſideremus. Etenim, miſericors eſt Dominus Ieſus, & ꝓ cuiuſq; operibus quietẽ tribuit magnis pro magnitudine, paruis pro tenuitate ipſorum. Multæ enim ſunt, inquit, manſiones apud Patrẽ
Io. 14. meũ. Licet enim vnũ ſit regnũ, propriũ tamen in eo quiſq; locũ inuenit, & opus ſuum. Pugnemus, fratres, aduerſus ignauiã, & tenebrarũ velũ à nobis excutiamus, quod eſt obliuio, vt pœnitentiæ lucem aſpiciamus. Marthã & Mariã imitemur, quæ plorant in conſpectu Saluatoris, ut ſuſcitet fratrẽ Lazarũ, ideſt, ani
mum

mű multis peccatorũ vinculis obſtrictũ. Qui ſi ſolutus fuerit,tũc Mariæ, Marthæq; ſtudiũ extabit,& Lazarus ſine ſollicitudine recũbet cũ Ieſu. Martha cũ lætitia miniſteriũ ſuũ diligẽter exercebit: Maria verò ꝓmet alabaſtrũ vnguẽti, & vnget pedes Domini. Quod in nobis eſt,fratres,id totis virib⁹ exequamur. Et Deus ꝓ multitudine miſericordiæ ſuæ nobis opitulabitur.Quòd ſi corda nr̃a haud ita cuſtodiuim⁹,vt patres nr̃i,nũc ſaltẽ,ea à peccatis cuſtodiamus,ſperemusq; nos itẽ famis tẽpore apud eũ miſericordiã inuẽturos, ſicut inuenerũt Sãcti oẽs. Quãuis enim alia ſit Solis gloria, alia lunæ, & ſtella à ſtella differat in claritate, in eodẽ tñ ſunt firmamẽto. Et gloria atq; honor oĩum eſt ipſius Dei in ſæcula ſæculorũ. Amẽ.

DE OPERIBVS HOMINIS NOVI, ORATIO. XXII.



RIA ſunt,fratres chariſſimi,quibus Hæbreus ab aliis diſtinguitur:circunciſio,& paſcha,& ſabbatũ.Sic enim in Geneſi ſcriptũ eſt:Infans octo dierũ circũcidetur in vobis tã vernaculus, quàm emptitius. Qui circunciſus nõ fuerit,delebitur de populo meo, quia pactũ meũ irritũ fecit. Primus Abrahã circũciſus eſt. Id eſt ſignũ hominis noui,quod in ſancto corpore ſuo Dominus Ieſus admiſit. De hoc & Apoſtolus ait:In quo circũciſi eſtis circunciſione nõ manu facta in expoliatione corporis carnis in circunciſione Chriſti,cõſepulti ei in baptiſmo. In quo & ſurrexiſtis per fidẽ operationis Dei.Et rurſum:Deponete vos ſecundũ priſtinã conuerſationẽ veterem hominẽ, qui corrũpitur ſm̃ deſideria erroris: Renouamini autẽ ſpiritu mẽtis veſtræ,& induite nouũ hominẽ,qui ſecundum Deũ creatus eſt, in iuſtitia,& ſanctitate, & veritate. Et rurſum: Vt moriamini,quidẽ peccato,viuatis au-

Gen.21. Col. 2. Eph. 4.

tē iustitiæ. Et hæc quidē de circuncisione, quę q nō obseruat, nō est circuncisus, nec verè Christianus qa irritū fecit pactū, qđ ꝓprio sanguine sancto suo Dn̄s Iesus sanciuit. Nunc de sancto paschate dicēdum est, de quo sic ait ad Moysem: Hæc est paschatis lex: Oīs alienigena nō vesceť ex eo. Oīs seruus emptitius nō
Exo.12. comedet ex eo. Oēm seruum emptitiū circuncides; & sic comedet ex eo. Quisquis autē nō fuerit circuncisus, ne comedat ex eo. Hoc comedite ī vna domo. Renes vestros accingetis, & calceamēta vestra habebitis in pedibus vestris, tenētes baculos in manibus. Nō editur pascha nisi cum azimis & lactucis agrestibus, & carnibus assatis igni. Nō dixit: Accingetis vos super renes uestros, ne quis de cingulo dictū intelligeret. Sed renes uestros accingetis, ut de castitate, & munditia intelligamus. Calciamēta autē significant, ut prompti paratiq; simus ad oīa fugienda & declinā da, quæ conscientiā pungunt, & maculāt, mentemq; auertunt à ꝓpria cōtemplatione ī sanctitate. Per baculum spes indicatur, & fortitudo tendentiū ad terrā ꝓmissionis. Hi sunt, qui sabbatum obseruāt. Sanguis agni significat sanguinē Dn̄i Iesu, qui factus homo uenit ad nos, ut filios Israel duceret ad ꝓmissam cœli hæreditatē. Apparent, q instructi sunt, & signum in aīa sua perspicuè impressum habent. Hysopi fasciculū, indicat afflictionem. Iubet enim, ut cum lactucis agrestibus, seu herbis amaris comedatur. Expende diligenter, ò frater, vtrum sis circuncisus, & domus tuæ fores inunxeris agni sanguine immaculati. Vtrū ab oī terrena cogitatione te remoueris. Vtrū te ipsum sic instruxeris, ut intrepide in terram promissionis ingrediaris. Deinceps de sabbato dicēdum est, quod est ipsorum proprium, qui circuncisi sunt, & sanctū pascha, ut diximus, comederunt, & ab Ægyptiis liberati, eos oēs in mari rubro submersos conspexerunt, & ab acerba eorum seruitute quieuerūt.

Sex dieb⁹, inquit, operaberis. Septima dies sabbatum est requietionis Dñi. Qui die sabbati fuerit operatus, pdetur aïa illa. At Dñs noster Iesus uerum ipse sabbatum obseruauit, docuitq;, qũo deberet obseruari. Cùm ĩ parasceue ascendit, sed antequã in crucem ascenderet, cuncta pręparauit, tot ignominias, & contumelias ferens, nõ soluens, neque se ipsum recreãs ullo modo, quinetiã cùm diceret, Sitio, obtulerunt illi spõgiã aceto plenã, quo degustato, dixit, cõsummata sunt oïa. & inclinato capite tradidit spiritum. Et deposuerunt eum uerè sabbatũ obseruantem. Quieuit enim Dñs Iesus septimo die, & benedixit ei, qm̃ requieuit ab omnibus operibus, qbus humanas destruxerat infirmitates. Ingrediens enim, ut scribit Apostolus, in requiem suam, ab omnibus operibus suis quieuit, quemadmodum & à suis Deus. Hoc uerum est sabbatum, quod qui non obseruat, non est Christianus. Lugens enim Ieremias super populum Israel, Nolite, inquit onera gestare in die sabbati. Et ne egrediamini portas Hierusalem portantes onera in die sabbati. Heu me miserum, qui hæc sancta mandata non obseruo, & grauia fero onera in die sabbati. Quæ sunt ista onera? Ira onus est graue, æmulatio, odium, inanis gloria, obtrectatio, maledicentia, irritatio, superbia, arrogantia, contentio, amor proprius, inuidia. Hæc animæ sunt. Corporis autem, ingluuies, nimius corporis ornatus & cura, libido, concupiscentia, cordis defectio. Hæc omnia, & reliqua his similia repulit à corporibus Sanctorum occidens ea in sancto corpore suo, ut affirmat Apostolus, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Quisquis igitur grauia fert onera peccatorum, is sabbatum uiolat, nec uerus est Israelita, sed seipsum decipit. Solum enim habet nomen, nec quicquam accipiet à Domino Iesu, quem factis negat. suscitans ea, quæ interfecit, & faciens

Leui. 23

Heb. 4.

Eph. 2.

illa, quæ ſepeliuit, Cùm igitur veneritDñs Ieſus in gloria ſua,ſolos filiosIſrael,id ē,ſolos verè Chriſtianos, circũciſione nō manufacta,ſed ſpiritu circunciſos, quos ex omnibus populis elegit, ducet in regnũ ſuũ ſempiternũ. Cæcitas enim,vt inquit Apoſtolus, cōtigit ex parte populo Iſrael,donec oēs ingrediantur nationes.Et rurſum:Quicũque hāc regulā ſecu-
Ro. 2. ti fuerint, pax ſuper illos, & ſuper Iſrael Dei. Animaduertis,eos eſſe Iſraelitas Dei,qui cordis habent circunciſionē & ſabbati obſeruationē,hoc eſt,deſtructionē peccati.Nā,vt idē ait Apoſtolus,nō qui in ma
Gal. 6. nifeſto Iudæus eſt in carne,ille Iudæus eſt:Neq; circũciſio,quæ cernitur,illa eſt circũciſio:ſed qui in occulto Iudæus eſt,& circunciſio cordis in ſpiritu,non in litera.Attēdamus nobiſmetipſis,fratres. Quouſq;
Ro. 2. fruſtra laborabimus?,quouſque noſtro parebim9 aduerſario, qui in nobis eſt, & allicit ad vitia,à virtute nos auocās,nec permittit,vt oculos ad perſpiciendā diuinitatis lucē extollam9?Explora teipſum,infœlix, qui baptizatus es in Chriſtũ & mortē eius. Cōſidera, qualē ipſe pro te mortē ſubierit, vtrũ eius ſequaris veſtigia.Oſtēde mihi mores tuos.Ipſe ſine peccato eſt,& ſe tibi omnibus in rebus exēplum propoſuit ad imitādum. Paupertatē amplexus eſt, tu autē abhorres à paupertate. Nō habuit, vbi caput reclinaret: tu certũ & cōmodum quæris domiciliũ. Ille cōtumelias pertulit: tu es ferre nō vis.Ille malum pro malo nō reddidit: tu vltionis es cupidus.Ille,dũ pateretur,nō cōminabatur, tu dũ laboras,iraſceris.Ille inter ignominias minimè turbabatur: tu nulla affectus ignominia,perturbaris.Ille benignè ad ſe peccatores vocabat: tu verbis tuis amicos etiā pungis. Ille iniurias æquo animo perferebat: tu nulla iniuria prouocatus,indignaris.Ille manſuetus in eos,qui in peccatũ inciderāt:tu ſuperbus etiā in eos, qui te meliores exiſtunt.Ille ſemetipſum tradiditpro illis,

à quibus offensus fuerat, vt eos redimeret: tu eos etiã lædis, qui de te sunt benemeriti. Cõsidera, quid tibi ille dederit, & quid tu viciſſim illi retribuas. Agnoſce illũ ex eius operibus, & te ex operibus tuis. Si mortuus es cũ ipſo, quis facit iſta opera, id eſt, iſta peccata? Sancta ipſius mãdata diligẽter attẽdamus, dilectiſſimi, & proprias abnegabimus volũtates. Si diligimus eos, qui nos colunt, q̃d amplius facimus, quã ethnici? Si pro benemerẽtibus oramus, id faciũt & publicani. Si laudãtium ſermõne delectaris, & Iudæis idẽ cõtingit. Quid igitur amplius facis tu, qui peccato mortuus, viuis in Chriſto Ieſu? Si eos, qui tibi obſequũtur, tãtum amas, quid amplius facis, quã peccatores? Nõne & ipſi idẽ faciũt? Si eos, qui te moleſtia afficiunt, qui nõ obediũt, q̃ laceſſunt odio proſequeris, ethnico & tu ſimilis es. Pro illis potius tibi precãdum erat, vt eis ignoſceretur. Si cõtumeliis & ignominiis doles, dolẽt & publicani. Teipſum excute & expẽde, qui in Chriſti noĩe baptizatus es, vtrũ hæc ſint opera nomini tuo cõgruẽtia. Eanc in die gloriæ eius tecũ corã illo laturus ſis, vt coroneris. Corona dabitur pro illarũ victoria perturbationũ, quas olim ſuperauit Rex tuus, ſeipſum tibi proponẽs exẽplum. Ipſe enim Rex Regũ, & Dñs Dominãtium cùm in illa die ſe gẽtibus omnibus cõſpiciẽdum præbebit in maieſtate, ſecũ feret ſigna ſua, nẽpe cicatrices illas, quas pro nobis pertulit. Tu verò nihil eorũ ſimile laturus es in corpore tuo. Quãobrẽ dicet tibi: Neſcio te. Tunc videns omnes Sanctos, qui propter nomen ipſius mortẽ oppetierunt, in eorum conſpectu erubeſces conſiſtere: Sãctorum omnium vitas perpende, & eos reperies, cũ mala pertulerint, ea nõ rependiſſe. Sãguis eorũ omniũ clamat: Vindica nos ex omnibus inhabitantibus terram. Ego verò, qui otium & quietem diligo, quid dicã in illa die, quando perſpiciã illic Prophetas, & Apoſtolos, & Martyres, & reli-

quos sãctos, qui nullũ dãtes ultionis aut iracũdiæ signũ, in iniuriis tolerãdis fortes atq; cõstantes extiterũt? Cùm illa dies aduenerit, nõ erit in cuiusq; potestate, qd respõdeat. Sed unusquisque resurget propriis operib⁹, siue bonis, siue malis, tanquã uestimentis indutus. Opera loquenť ipsa, & in loco cuiusq; cõsistẽt. Beatus, q in eã curã diligẽter incũbit, ut exuat opera, quæ in gehennã detrahunt, & induat illa, quæ perducũt in cœlũ. Nã, ut Apostolus ait, Etsi terrena nr̃a habitatio huius tabernaculi dissoluatur, scimus, nos habitationẽ habere domũ nõ manufactã in cœlis. Nihil est tp̃s uitæ nostræ, & cũ uenerit hora nr̃a, ratio à nobis acriter exigetur. Ne sint igiť animi nr̃i remissi & dissoluti. Sed oĩ studio ac diligẽtia laboremus, suppliciterq; ad Dei benignitatẽ, ut nos adiuuet, assiduè cõfugiamus. Fratribus nr̃is ne irascamur, quòd re, aut sermone nos læseriut. Quòd si operarii, & uasa Diaboli esse perrexerint, Dei cõstituenť aduersarii, donec dissoluãtur, & è stadio fugiant. Oĩbus in rebus, fratres charissimi, humilitatem & patientiã amplectimini, & semper in eã cogitationẽ incumbite, ut propriæ uoluntati renũtietis. Nã propria uolũtas perdit oẽs uirtutes. Qui cogitationes suas rectè disponit ac moderatur, propriã abnegat uoluntatẽ, & mansuetudinem amplectens, tanquam à dracone fugit ab omni discordia & contemptione. Hæc enim totum uirtutis ædificium euertit, & animo tenebras offundit, ut honestatis lucem aspicere nequeat. Ab hoc igitur vitio, quod se uirtutibus insinuat atque implicat, donec eas deleat, declinato. Etenim nec Dominus Iesus prius ascendit in crucem, quàm Iudam expulisset è medio discipulorum. Nisi enim hòmo tetrum hoc uitium excindit, non potest proficere secundùm Deum. Ex eo nanque mala cunctà proficiscuntur. Qui hoc uitio laborat, crucem suam ferre non uult, inanem gloriam sequitur: om-

niā denique, quæ Deus odit, habitant in aīo hominis cōtentiosi & arrogantis. Qui peccata sua cōsiderat facilè assequitur humilitatē. Humilitatis est, propriā voluntatē subiicere proximi voluntati. Cordis mundititia gratas Deo preces ꝑsoluit. Cui propria displicent vitia, luctui & lacrymis vacat. Charitas non iudicat proximū. Patientia nō meminit iniuriarum. Qui Deū diligit, vindictā nō appetit. Qui silentiū & quietē colit, ꝙ sibi minus obediatur, nō cōmouetur. Animus paupertatis studiosus, innocēs est. Qui propriis sensibus dn̄atur, in pace degit. Qui mitis est, oīa perfert. Qui misericors, facilè ignoscit. Propriæ voluntatis abnegatio gignit hęc oīa, & virtute amabili pacis vinculo cōiungit. Nihil in oībus scripturis perspicio, quod magis ab homine Deus exigat, quàm vt omnibus in rebus humiliet se proximo suo, & propriam abneget voluntatē, & Dei semper auxiliū imploret, vt oculos suos excitet à somno obliuionis, & ab errore captiuitatis. Hominis.n. natura mutabilis est, & ad malū prona: Dei verò est misereri, & imbecillitatem nostrā corroborare. Dei, nos ad se conuertere. Dei nobis gratiam elargiri. vt ei gratias agamus: Dei, nos defendere atque eripere è manibus inimicorū: Dei denique est honor & gloria in sæcula sæculorū. Amen. Contentionē verò quę pariūt, hæc sunt. Multiloquium, & curiositas, & adulatio, & arrogantia, & linguæ duplicitas. Anima illius, in quo sunt hęc, virtutum est expers. Nisi quis magno cum sudore singulis virtutibus incubuerit, ad quietem filii Dei non poterit peruenire. Vitam igitur vestram, fratres, ne negligatis, neq; mens vestra in malitiæ operibus torpescat, ne tempus deficiat, antequā ad filii Dei quietem aspiretis, quæ in eo sita est, vt omnibus in rebus humilitatem, atq; innocentiam cōplectamini, & neminem oderitis, neque vlli rei Deo inuisæ aquiescatis, sed ab oībus peccatis abhorrentes, cūctis malitię

operibus mortui sitis. Sic enim Deus, qui non mentitur, aderit nobis, & infirmitatem nostram misericordia sua confirmabit. Amen.

DE PERFECTIONE ORATIO XXIII.


ISI quis fidē in Deū possideat, vt quidā è patribus ait, & assiduo eius flagret desiderio, & nemini noceat, nec malū pro malo reddat, affligatq́; se, & humilitatē, & castitatē, & humanitatē colat, mundoq́; renūtiet, mãsuetusq́; sit & patiēs, assiduoq́; cordis labore Deum precetur, & verã charitatē amplectatur, neq; ad ea, quæ retrò sunt, redeat, sed ad anteriora cōtendat, neq; bonis operibus & sacrificiis suis cōfisus, diuinū quotidie imploret auxiliū: salutē assequi nō potest. Tã acres vigilãtesq́; sunt hominis aduersarii. Ne cōtēnas, frater, neq; negligas cōscientiã tuã, neq; tibi ipse cōfidas omnino, quãuis aliquo in ꝑtio apud Deū esse videaris. Vndiq; enim ab aduersariis obsidemur. Afflictio cōsiderata præteritas delet negligentiæ notas. Et sensuū castigatio, hostiū interiorū vulneribus medetur. perfecta secundum Deū dilectio occultis hostibus resistit. Occulta sanctitas occultis bellis superatis ad filii Dei quietē ꝑducit. Et sanctitas manifesta virtutes seruat. Dei cognitio facit, vt ad eū tpe tētationis cōfugiam⁹ eiusq; muniti ꝑsidio superiores sim⁹. Qui laboribus suis minimè cōfidit, is Dei magis sentit auxiliū. Qui ex aīo piè Deo q̃rit in veritate, is stat in timore, ne displiceat Deo. Sēper enim à cōsciētia stimulatꝛ, quòd aliqua in re defecerit. Vbi aūt stimul⁹, ibi accusatio: vbi accusatio, nō est libertas. Quòd si deinceps orãdo animaduerterit, se nullo malitię stimulo pungi, tū verè liber est, & ex volūtate Dei ĩ requiē sanctã introiuit. Si bonos fructus ꝓspexeris a nullis inimici ziza-

niis suffocari, neq; tamẽ, quãuis cũ sensibus amplius nõ pugnes, hostes malitia sua cõfisi desinãt oppugnare. Et si nubes tabernaculũ obumbrauit, neq; Sol vssit te per diẽ, neq; luna per noctẽ. Et inuẽtus in te fuerit oĩs apparatus tabernaculi, vt colloces, & custodias illud s̃m voluntatẽ Dei, parta nimirũ tibi p Deũ est victoria, & ipse tabernaculũ obũbrabit, q̃a ipse est, & ipse præcedit, & parat, vbi cõstituatur. Nisi enim præcipiat ipse, quo in loco sit collocãdum, nõ potest cõsistere, vt ait scriptura. Magnũ iã est periculũ, donec homo seipsum nouerit. Et planè sciat in se nõ esse, vt ab interpellãtibus, & ad iracundiã impellẽtibus liberetur: Oportet igitur vt cũ timore ad eius benignitatẽ cõfugiamus, assidueq; memoria repetam⁹ ipsius beneficia, & sanctã humilitatẽ amplectamur, quæ nullo vnq̃ tẽpore discedat a corde nostro, quæ peccata nostra nobis semper antè oculos proponat, & bona, si, qua in nobis sunt, seruet & ad finẽ vsq; tueatur faciatq; ne nobis ipsi cõfidamus. Cæterùm qui proximũ iudicat, & irascitur fratri suo, cumq; cõtẽnit, ac despicit, aut iracũdiè docet, aut cupiã detrahit, à misericordia, qua Sancti sunt prædit, alienus est, & ab aliis prestãtibus virtutibus. Eiusmodi enim vitia labores hominũ perdunt, & fructus bonos excutiunt. Siquis peccata sua lugere se dicit, neq; ab illis recedit, is seipsum decipit. Qui ad quietẽ aspirat, neq; sollicitus est, vt animi pellat ægritudines, cæcus est, & sanctæ virtutũ ædificationis imperitus. Qui post habita peccatorũ suorũ curatione, aliis mederi studet, prepostere agit. Priusq̃ enim illud aggrediatur, debet peccata sua lacrymis abstergere, & Dei misericordiã imploret, vt sibi ignoscat, tantumq; roboris & fortitudinis præbeat, vt nunq̃ amplius in eadẽ incurrat, aut illũ vel cogitatione, vel sermone, vel factis offendat. Beatus, qui ita se gerit in veritate. Qui verè pœnitentiã agit, in eo non est occupatus, vt pro-

ximum iudicet. Satis.n.sua cuiq; peccata negotii prębét, nec spatium relinquunt, aliena vt curet. Qui malum pro malo reddit, ꝓcul abest à vera pœnitentia. Qui gloriæ captus cupiditate, mundi negotiis implicatur, ex aĩo non luget peccata sua. Qui hunc, aut illum, bonum, aut malũ affirmat esse, in corde suo confundet. Dum.n.ea, quæ nostra nõ sunt, volumus iudicare, decipimur, atq; ita distrahimur, vt nobis nõ vacet, peccata nostra cognoscere. Si cõtumelia affect⁹ indignaris, verã non agis pœnitentiam. Si rebus tuis tibi ereptis doles, Dei timor non est in te. Si, ꝙ in te aliquis falsa cõtulerit, perturbaris, timor Dei nõ est in te. Si laudes tuas libenter audis, timor Dei nõ est in te. Si in mutuis sermonib⁹ verba tua volueris pręualere, timor Dei nõ est in te. Si dolueris, ꝙ sermo tuus cõtemnatur, timor Dei non est in te. Hæc.n.oĩa indicant, veterem hoĩem adhuc vigere, neq; esse, qui illum expugnet, verumq;, & Deo gratum luctum amplectat̃. Aperiendi sunt mentis oculi, vt nos ipsi cognoscamus, sciamusq; Dei inimicum cõstitui, q propriã sequit̃ voluntatem. Si custodieris mandata Dei, & ex ipsius voluntate direxeris opera tua, & animaduerteris maiestati eius ꝑ te placere nõ posse, & peccata tua semꝑ ante oculos habueris, inuenies propugnaculum oppositum aduersario tuo, q te conat̃ per superbiã, qua tibi iustus videaris, expugnare, & ædificiũ, quod extruit pœnitentiæ luctus, cõseruabis. Tũc te tibi notum esse intelliges, & vbi sis, & cor tuũ, tanq̃ victoria parta, non extollet̃. Etenim, nisi homo in iudicio constiterit, & sententiã audiuerit, & locum suũ nouerit, scire nõ põt, vtrũ Deo placeat, néne. Dolor, qui ẽm Deum cor pungit, sensus in officio põt cõtinere, & sobrietas mentem integrã cõseruare. Sed hõ sibi ipse nõ debet vnq̃ cõfidere, imò tãdiu sollicitus esse, dum est in corpore. Beati, qui suis nunq̃ opibus fidunt, sed semꝑ pauidi Deo nõ audent occurrere, &

cognita eius maiestate, & ppria infirmitate volũtati eius, vt ipse vult, student obtẽperare, atq; ita seipsos lugent, & cæteros nõ iudicant, sed Deo oĩum iudici iudiciũ derelinquunt. Cùm quis seipsum Deo totum addixerit, & ex voluntate eius pfectus decesserit, tũc in libro viuentium se scriptũ inueniet, & Angeli testabunt, cum sinistræ principes, euasisse. Tunc inter beatos spiritus cõsistet. At dũ viget bellum, in timore versat hõ: & si hodie vincit, nescit, vtrũ cras victurus sit. Ancipiti.n.certamine cor est suspensum. At q iam brauiũ pcepit, tranquillus est, nec metuit, quorsum tres illæ partes tendant, quę iam in Deo cũ pace cõiunctæ sunt, aĩa nimirum, & corpus, & spiritus, vt ait Apostolus. Cum.n.hęc tria p operationẽ Spiritus sancti vnum fuerint, amplius seiungi nequeunt. 1. Tes. 5.
Christus.n.mortuus est, & resurrexit, & amplius non morit, mors illi vltrà non dominat, Nã mors eius salus nobis facta est. Et per mortẽ eius peccatũ deletum est in perpetuum. Et resurrectio ipsius vita facta est credentibus in eum, vt in Deo viuant, & iustitiæ fructum afferãt. Ne vicisse te putes, dum pugnas. Ro. 6.
Militia.n.est vita hoĩs super terrã. Siue vigilemus, siue dormiamus, nõ cessat nos aduersarius oppugnare. Qui in stadio pugnat, si prudens est, ante victoriã præconium non canit. Imprudens autẽ, & si cadit, tñ extollitur, & se victorem existimat. Iccircò Dñs, cùm discipulos suos mitteret ad prædicandum, Neminé, inquit, in via salutaueritis: in domum aũt cùm intraueritis, salutate: & si ibi fuerit filius pacis, apud eum manete. Et Elisæus ad Giezi, cùm eũ mitteret, Si occurrerit, inquit, tibi homo, ne salutes eum, & si salutauerit te quispiam, ne rñdeas illi. Neq; tñ Giezi puerum suscitauit. At cùm venisset vir Dei, vidit puerũ iacentẽ in lectulo, & clausit hostium sup se & sup illum, & cum singulis sensibus pugnauit, descẽdẽsq; in domo semel huc atque illuc deambulauit, & cùm ca- Iob. 7. Luc. 10. 4. Reg. 4.

lefacta esset caro pueri, p volũtatẽ Spiritus Dei aperti sunt oculi eius. Quid dicemus nos miseri, q gloriã mũdi diligimus magis, q̃ gloriã Dei? Qui nec qũo pugnãdum sit, aut ad requiẽ cõtendẽdum, cõsideramus, nec Dei patiẽtiã intelligim⁹, q cum bono fructu sinit zizania crescere, nec priusq̃ ille creuerit, pfectusq; sit, permittit, vt zizania colligãtur. Et Giezi itineris cursum cõfecit, sed tamẽ nõ potuit puerũ suscitare, qa dilexit gloriã hominũ magis, q̃ gloriã Dei. Beati oculi qui cum humilitate ad Deũ respiciũt, & solliciti sunt, qũo curent vulnera sua & peccata lacrymis abluũt, ac veniã deprecãtur. Væ illis, qui tẽpus cõsumunt, putãtq;, se esse sine peccatis, & propriã cõculcãt cõscientiã, nec volunt pœnitẽtiã agere. Agricola, qui semẽ suum iacit, nisi germinet, querit, quòd sumptum & operã perdiderit. Sic & homo, licet nouerit mysteria oĩa, & oẽs scientiã, & fecerit virtutes multas & curationes, variisq; se afflictionibus affecerit, nisi charitatis fructus aspiciat, magno affici timore dẽt. Vndiq; enim inimicorũ fraudib⁹, insidiis, & dolis
1.Co.13 oppugnatur, vt cõcidat. Charitas verò nunq̃ excidit, sed oĩa sperat, & credit, & sustinet. O q̃ laboriosa est
Matt.7. via Dei. Angusta enim est, vt ipse ait, porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitã, & pauci sunt, qui inueniunt eã. Nos aũt inertes, & ignaui, & voluptatibus dediti quietẽ in eo sitã ducimus, quòd iugũ illius nõ gestamus, q dixit: Tollite iugũ meũ super vos, & discite à me, qa mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiẽ aĩabus vestris. Iugũ enim meũ suaue est, & onus meũ leue. Quis sapiẽs ac timẽs Deũ nõ omnibus viribus cõtendit, vt diuina mandata custodiat, & tamen, cùm omnia fecerit, se indignũ agnoscit, q Dei nomẽ inuocet? Dñs noster Iesus Christus, ppter nos factus est homo, vt ægritudines nostras curaret, vt secundũ spiritum, non secundum carnem ambulemus, & patris voluntatem nobis patefecit. Et discipulis suis di-

xit: Cúm feceritis omnia, quæ præcipio vobis, dicite, Serui inutiles sumus: etenim quod debemus facere, fecimus. Siquis viperam, aut scorpionem, aut aliquid aliud pestiferum viderit, timore perterritus fugit: & impudens atq; infœlix anima, cùm mortifera cernat, non fugit, neq; recedit, sed audacter cum illis versatur. Ideò sterilis & sine fructu tempus omne cõsumit Luc. 17.

DE TRANQVILLITATE. ORATIO. XXIIII.



IN virtutum via est lapsus, sunt inimici, est mutatio, est copia, est mediocritas, est inopia, est mœstitia, est gaudium, est animi labor, & angustia, est quies, est pgressio, est vis. Iter enim agimus, donec ad requiem perueniamus. Trãquillitas autẽ ab omnibus est perturbationibus vacua, & nulla re indiget. Est enim in Deo, & Deus in illa. Inimicos nõ habet, nõ lapsum, non incredulitatem, non perturbationis laborẽ, non rei cuiusq̃ cupiditatẽ. Magnæ deniq; atq; innumerabiles sunt illius dotes. Ab hac procul abest, qui aliqua laborat perturbatione. Hæc est illa charitas, quã nos Dominus Iesus docuit omnibus exhibere. Ad hanc imperiti nõnulli putant se peruenisse, cùm adhuc animi morbis diuexentur, & corporis immunditia sordeant, & ab omni virtute sint remotissimi. Ignoscite mihi, quæso per Deum, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EIVSDEM AD PETRVM ABBATEM DISCIPVLVM SVVM, XXV.



QVOD scribis ad me, te velle peccatorum tuorum pœnitentiam agere, si Deus te ab huius mundi sollicitudine liberauerit, rectè dicis Fieri enim non potest, ut mens potestis, inquit Dominus, Deo seruire & Mamonæ.

Per Mamonã, oĩa mundi negotia significat. Quæ qdẽ homo nisi reliquerit, Deo seruire nõ põt. Dei seruitus reqrit, vt dum illũ colimus, & adoram⁹, & precamur, & laudam⁹, neq; malitiã in aĩo, neq; odium, neq; inuidiã, neq; turpẽ cupiditatẽ retineamus. Hæc.n. oĩa miseræ aĩæ tenebras offundunt, vt Deo castè seruire nõ possit, & illi in abscõdito bñdicere. Hęc illã impediunt, quominus occurat Deo, & cùm charitatis dulcedine, & cordis suauitate illum sanctè ex aĩo deprecẽt, vt seipsam illustret. Hæc sunt in causa, quominus ꝓficiat ẽm Deũ: & oẽs amputet ꝑturbationes. Quod quidẽ assequi nõ possumus, nisi ab oĩbus mundi sollicitudinibus recedamus. Aĩa enim foris & intus oppugnaẽ. Foris ab huius sæculi occupationibus, vt corpori satisfaciat: Intus à propriis ægritudinib⁹, quæ sunt inimicæ virtutis. Has aũt illa nec videre põt, nec curare, nisi mũdi negotiis & curis libereẽ. Iccircò Dñs Iesus eos negat suos posse discipulos esse, qui ꝓpriæ nõ renuntiãt voluntati. Voluntas enim tã intimis, q̃
Luc. 14. externis actionibus dñatur. Et ideò, nẽ mentẽ interimat, vt Dñs ꝑcipit, est abneganda. Mẽs enim occidiẽ, cùm aĩa mundi negotiis & sollicitudinibus distineẽ. Tunc enim ægritudines intus sꝗuiunt & ꝓpagantur. Quòd si aĩa Dñi Iesu verbis obtẽperãs, oẽs suas obiecerit voluntates, ab oĩbus sęculi istius operibus obhorrebit. Tunc mẽs excitata cõfirmabitur, & oẽs a se depellet ægritudines, aĩamq; diligẽter custodiet, nẽ rursus ad pristina sese cõuertẽs, in manus incidat inimicorum. Anima enim similis est adolescẽtulæ degenti cum viro suo, quæ si fortè vir peregrè abierit, excusso timore, rẽs domesticas negligit. At illo domũ reuerso, sedula ad officium redit, & cum timore cuncta ex viri voluntate disponit. Ipse verò domui suæ cõsulit oĩbus in rebus necessariis. Sic & mens animã obseruat assiduè, & bona opera ex illa tanq̃ filios gignit, & nutrit: Atq; ita cõueniunt, vt cor vnum es-

ficiātur. Anima menti vt mulier viro subiicitur. Nā, vt ait Apostol⁹, Caput mulieris est vir. Et rursū, Vir, inquit, nō debet velare caput. Imago enim & gloria Dei est. Mulier autem est viri gloria. Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulieré, sed mulier propter virum. Propterea mulier debet velare caput & ,ppter Angelos. Veruntamen neq; mulier sine viro, neq; vir sine muliere in Domino. Sicut enim mulier ex viro, sic & vir ex muliere, omnia aūt ex Deo. Cùm igitur anima méti paret in Dño, tunc Deo pces fundimus in castitate, tūc Deo bñdicimus ex corde sācto, tūc illustramur à Deo: tunc veri illi efficimur adoratores, quos Deus requirit. Tales sunt, de quibus ipse ait: Inhabitabo in eis & inābulabo. Tunc illud impletur: Si duo vestrum cōsenserint, quæcunq; in nomine meo petierint, impetrabunt. Vult ergo Deus, vt ab oībus, quę ipse destruxit in corpore suo, quæq; nos vel intus vel foris coinquinant, liberi simus. Manete, inquit, in me, & ego in vobis. Vides, frater, quomodo velit, vt maneamus in ipso per bona opera, vt ipse in nobis maneat per sanctitatem. At ego, dicet aliquis, in ipso maneo per baptisma, opera autem perficere nequeo. Audi, frater charissime, Quisquis baptisma suscipit, illud suscipit ad peccati destructionem. Illi enim consepulti sumus in mortem, vt inquit Apostolus, vt destruatur corpus peccati, hoc est, vt peccato amplius non seruiamus. Simul cum peccato Christus manere nō potest. Quamobrem si in te Christus habitat, peccatum mortuum est, spiritus autem per iustitiam viuit. Quæ enim, vt ait Apostolus, sub viro est mulier, ei dum viuit, alligata est lege. Quòd si vir mortuus fuerit, liberabitur à lege viri. Itaq; si viuente viro, cum alio fuerit, adultera declarabitur. At mortuo viro, liberabitur à lege, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Siquis igitur scire cupit, vtrū

1.Co.11

2. Cor.6

Matt. 18

Io.15.

Ro.6.

Col.2.

in se Christus inhabitet,id ex ꝓpriis intelligat cogitationibus.Quandiu enim cordi peccatum imperat, Deus ĩ eo nõ habitat,neq; spiritus eius in illo requiẽ inuenit. Deus habitat in hoĩe,q bona facit opera, & & homo in Deo, cuius est cor liberũ à peccato. Qui adhæret meretrici,inquit Apostolus,vnũ cũ illa corpus efficitur.Et q adhæret Dño,vnus cũ illo spiritus est.Per meretricẽ intelligitur oẽ vitiũ.Si igitur liberata fuerit aĩa,& euaserit oĩa,quę illi in hoc aere aduersanĩ,tunc manet in Deo,& haurit de spiritu eius,
2.Cor.6 atq; ita dictũ illud impletur:Qui adhæret Dño,vnus spiritus est.Et discit,quomodo orare debeat,adorãs cũ assiduè,& adhærẽs illi sine intermissione. Itidem ipse manet in ea, & requiescit,aperiẽs & largiens ei honores & munera sua incredibilia.Regeneraĩ enim
1.Io.3. ab illo per baptisma & sancti Spiritus infusionẽ.Porrò q natus est ex Deo,vt scriptũ est, nõ peccat. Nec
Matt.18 tangit eũ malus.Nisi conuersi fueritis,inquit ipse, & efficiamini sicut paruuli,non intrabitis in regnũ cœlorũ.Sicut modò geniti infantes,inquit Petrus,ratio
1.Pet.2. nabile,ac sine dolo lac cõcupiscite, vt in ipso crescatis. Quęnã sunt infantis opera?Infans,si verberetur, plorat.Risu agnoscit arridẽtes sibi. Affectus eõtumelia nõ irascit. Laudibus nõ extolliĩ. Si loco eius aliũ venereris, nõ dolet.Si res illi suas eripias, nõ turbaĩ. Si paucis in rebus hæres fuerit institutus,minimè curat.Neminẽ vocat in iudicium. Pro fortunis suis nõ cõtendit.Neminẽ odit.Si pauper est,nõ mœret. Si diues,nõ suꝑbit. Si mulierẽ videt,nõ cõcupiscit. Nulla illi neq; libido,neq; sollicitudo dñatur. Neminẽ iudicat.Nemini imperat. Inuidet nemini.In iis,quæ nescit,sese nõ iactitat.Proximi formã aut habitũ nõ deridet.Nõ exercet vllo cũ hoĩe inimicitias.Non simulat. Nõ quærit mundi dignitates.Cumulãdis diuitiis non incumbit.Nõ diligit auaritiã. Non est pertinax. Non litigiosus.Nõ in docendo ambitiosus. Si exuatur,

tur,non eſt ſollicitus.Non triſtat. Propriam non defendit voluntatē.Famem non metuit.Maleficos & facinoroſos hoīes non timet.Serpentes & feras nō formidat.Si bellū ingruat,non perhorreſcit.Tales ſunt, de quibus ait Dn̄s noſter Ieſus Chriſtus:Niſi cōuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum Dei. Cæterùm vbi infans paululū creuerit, & in eo malitia cœperit habitare, cum Apoſtolus arguit,vt iam,inquiens,non ſimus paruuli,fluctuantes, &circunferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hoīum,in aſtutia,ad circunuentionē erroris. Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo ꝑ omnia q̄ eſt caput,Chriſtus. Et alibi,Tanq̄ paruulis, inquit,in Chriſto,lac vobis potum dedi, non cibum, nondū.n.poteratis,ſed nec nūc quidē poteſtis:adhuc enim carnales eſtis.Et alio in loco, Quanto,inquit, tp̄e hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dn̄s omnium,ſed ſub tutoribus & actoribus eſt, vſq; ad præfinitum tēpus à patre. Sic & nos cùm eſſemus paruuli,ſub elementis mundi eramus ſeruientes.Idē rurſus,Iuuenilia,inquit,deſideria fuge. Docens autē nos,vt eiuſmodi infantiā euitemus,Nolite,inqt,pueri effici ſenſibus,ſed malitia paruuli eſtote: ſenſibus autē perfecti eſtote. Paruulorum igitur,quos requirit Dn̄s, opera indicantur ab Apoſtolo Petro in illis verbis:Deponentes oēm malitiam,& oēm dolum,& ſimulationes, & inuidias, & oēs detractiones, ſicut modò geniti infantes,&c. Intellexiſti, Frater,qui ſit ſenſus verborum Dn̄i noſtri Ieſu, cùm ait: Amen, amen dico vobis,niſi cōuerſi fueritis, & efficiamini, ſicut paruuli,non intrabitis in regnum cœlorū. Quæ quidem verba eo maiorem terrorem afferunt, qm̄ duplici cum affirmatione ſunt pronuntiata. Amen enim iurantis eſt vox. Iccircò Paulus Apoſtolus, Quoniam,inquit,neminem habuit,per quem iuraret maiorem ſe,iurauit per ſemetipſum, Niſi benedicēs

Matt. 18
Eph.4.
1.Cor.3.
Ro.4.
2. Tim.2
1.Co.14
1. Pet.2.
Mar.1.

Heb.6. nedicens benedicã. Hæc igitur assiduè cum timore & tremore diligenter consideremus. Quoties Diabolus inimicus noster aduersus proximum nos incitauerit, aut quoties nos aliquis lacessierit, aut contumelia affecerit, aut nobis calumniã struxerit, aut pximus nobiscum contenderit, aut dicto audiens nõ fuerit, quamobrẽ acerba nos in eum ira, aut indignatio, aut odium adoriatur, vt animę tenebras offundat: sermonem Dñi nobis in memoriã reuocemus sic affirmantis:
Mat. 18. Amen, amen dico vobis, nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum Dei. Quis hæc audiens verba non contremiscat? Aut quis sapiẽs, & salutis animæ suæ cupidus nõ proiiciat oẽm ex animo suo aduersus proximum indignationẽ? Aut quis metuens incendium gehennæ, odiũ omne non expellat è corde suo, ne è regno deturbetur? Verbum nobis proposuit abbreuiatum, Nisi cõuersi, inquiens, fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorũ: Acerba sententia apud illos, qui propriæ indulgent voluntati, mundumq; diligunt, nec munus agnoscunt Spiritus sancti, qui super quos venerit, facit eos oĩum iniquitatum obliuisci, & docet illos, quæ sua sunt, pro ira lenitatẽ, pro inimicitia pacem, pro cõtentione humilitatem, charitatẽ pro odio, patientiã pro contumelia. Eiusmodi sunt illi, quibus contigit regeneratio. Studeamus igĩ euellere è corde nostro, & abolere, quę dixit magnꝰ Apostolus, vt ad paruuli mensurã veniamus. Qui.n.ea circuncidunt atque amputant, hi rursus ad sanctã, & magnam, atq; perfectam ætatẽ perueniunt. Etenim cùm in faciẽ ipsorum insufflasset, Accipite, inquit, Spiritũ sanctum. apparuit eis iuxta mare Galilææ, Habetis,
Luc.24. inquiens, aliqd, quod mãducetur? Per Spiritus insufflationẽ eos se fecisse paruulos significauit. Atqui nõ erant ætate paruuli. Rursus scriptum est: Ecce ego, &
Heb.2. paruuli, quos dedit mihi Deus. Qm̃ igĩ pueri cõmu-

nicauerant carni & sanguini,& ipse pariter factus est particeps cum. Vt per morte destrueret eum,qui habebat mortis imperium.i.Diabolum, atq; illos liberaret.Cuiusnã carnis & sanguinis factus est particeps ad eorum similitudinẽ?nisi illorum,qui malitiã oém abiecerant,& ad sanctæ peruenerant mensurã infantię?Et ipsi rursus fiunt perfecti,vt ait Apostolus, donec occurramus oés in vnitatem fidei filii Dei,in virum perfectum,ad mẽsurã ætatis plenitudinis Christi.Et rursum: Augmentum corporis facite ad ædificationẽ eius in charitate. Ad eos,qui sunt eiusmodi, loquitur Ioannes Apostolus,Hæc scribo,inquiẽs,vobis,filioli,quia cognouistis eum,q̃ est ab initio: Scripsi vobis,adolescentes,q̃a vicistis malum.Vides eos, q̃ malitia paruuli sunt, fieri pugnatores aduersus inimicũ?Eius.n.armatura,quæ est malitia,sunt exuti.Et iidem patres euadunt, & ad perfectionis mensuram perueniunt. Qm̃ cõmittuntur eis mysteria & reuelationes,donec sapientiã,& vnitatem,& bonitatem, & mãsuetudinẽ,& castitatem assequañt.Hi sunt q̃ Christum honorãt in corpore suo. Quæ cùm ita sint, frater,& magna fames terrã occupet, omni studio contendamus,ne quid nobis desit.Sed bonitatem,& fortitudinem,atq; constantiã postulemus,ne hostis,inuidus nos decipiat,p̱suadeatq;, vt abiecto pudore atq; misericordia,flagitia & scelera admittamus. Assiduè igitur Deum cum Dauid obsecrãtes,dicamus: Respice,&audi me,Dñe Deus me⁹.Illumina oculos meos, ne vnq̃ obdormiã in morte, nequando dicant inimicus meus,Præualui aduersus eum.Qm̃ qui tribulant me si cecidero,gaudebunt.Si igiẗ nos adorti fuerint, clamemus,dicentes: Deus,quis similis erit tibi,ne taceas,neq; cõpescaris, Deus. Qm̃ ecce inimici tui sonuerunt,& qui oderunt te,extulerunt caput. Super populum tuum inierunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos,Dixerunt,Venite,& disperda-

Ephe.4.
Io.2.
Psal. 12.
Psal. 82.

mus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltrà. Quamobrē supplicans Spiritui sancto dicebat: Deus meus pone eos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Imple facies eorum ignominia, & co-
Psal. 82. gnoscant, quia tu es Deus solus. Ecce, quō qui fide muniti sunt, cor suum armant aduersus inimicos, & sese confirmant ad sanctam petrā, qui Christus est, & cum animi fortitudine, Circundederūt, inquiunt, me sicut apes, & exarserunt, sicut ignis in spinis, & in
Psal. 117 nomine Dñi, quia vltus sum eos. Proinde si viderimus eos, qui nos malitia sua, id est acedia, circundederunt, aut voluptate animam nostram dissoluere, aut ira nos aduersus proximum, siquid perperā egerit, concitare, aut oculos nostros ad cupiendā corporum pulchritudinem cōmouere, aut proximi nostri sermonē nobis tanq̄ venenum obiicere, aut nos ad aliorum verba carpenda pellicere, aut ad serendas inter fratres discordias, dicentes, hunc esse bonum, illum verò malum: fraudibus eorum ne succumbamus, sed potius cum Dauid magna animi fortitudine clamemus: Dñs protector vitæ meæ Si cōsistant aduersum me castra, nō timebit cor meum. Si exurgat ad-
Psal. 26. uersus me prælium, in hoc ego sperabo. Vnam petii à Dño, hāc requiram, vt inhabitem in domo Dñi omnibus diebus vitæ meę. Vt videam lætitiam Dñi, & visitem templum sanctum eius. Quoniā protexit me, & ecce nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Hæc eorum sunt, qui mentē à mortuis excitāt,
1. Tes. 5. quos Apostolus noctē appellat, Non sumus, inquiēs, noctis, nec tenebrarum. Eos verò qui desidiæ dediti
1. Tes. 5. seipsos negligunt, coarguit, Qui dormiunt, inquiens, nocte dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte sunt ebrii. Et
1. Tes. 5. rursum: Dies Dñi, tanq̄ fur veniet. & non effugient, qm̄ sunt in nocte. Ad illos autē, qui mentem excitāt à vitiis, quæ sunt nox, Induentes, inquit, loricā fidei, & charitatis, & galeā spei salutis. Ab operibus ergo

mortuorũ vigilemus, & animæ diligenter vacemus, ne quid agamus, quod sit naturæ contrarium. Est.n. anima natura mutabilis, & similis ferro; quod, si negligat, rubigine consumit, igne autẽ excoctum purgatur, & quandiu manet in igne, fit ei simile, nec potest illud quisq; attingere, qm̃ ignis est. Itidẽ anima, dum versat & loquitur cum Deo, ignis efficitur, & cõburit inimicos suos, qui eã negligentiæ somno consopitã solent opprimere. Vt ferrum igit, anima renouatur, sanctaq; efficitur, neq; amplius vlla in re istius mundi corrumpit, sed in recta natura sua, quã habet à Deo, cõqescit. Quòd si à natura sua recesserit, perit. Quẽadmodum.n. aĩalia terrestria, si in aqua demergant, intereunt, qm̃ sunt è natura terrena: Pisces autem in terrã extracti moriuntur, qm̃ ex aquæ natura sunt. Volucres verò in aere quiescunt, & si in terrã descenderint, timent ne capiantur. Sic & anima si à propria natura deflexerit, statim interimitur. Quamobrẽ qui diuinis illis muneribus donati sunt, mundi fraudes & dolos reformidant, eiusq; fugiunt consuetudinẽ, ne in laqueos & mortem incidant. Talis anima, ne si velit quidẽ, potest mundum diligere. Meminit.n. qualis fuerit, anteq̃ esset in Deo. Et quid sibi ex mundo cõtigerit, & q̃ malè fuerit ab ipso tractata. Quemadmodum.n. cùm in vrbem, quam expugnarit, Rex inimicus ingreditur, ciues timore conterriti passis manibus victori se dedunt. At ille statim deiectis alterius Regis imaginibus, legibusq; sublatis, imagines suas, & leges nouas cõstituit. Quòd si ciues legitimo Regi clam denuntiarint, vt sibi ferat auxiliũ, & iratus ille aduersus hostẽ exercitum duxerit, ciuesq;, re intellecta, Regi suo portas aperuerit, ingrediens ipse captum hostẽ interficit, statuasq; suas, & pristinas leges restituit, Regis aduersarii statuis & legibus euersis & abrogatis. Tũc icredibili ciuitas exultat gaudio. Rex aũt in illa habitat, & sic eã munit, vt nemo possit am-

plius ea potiri. Et ciues suos docet arma tractare, vt nullum metuant aduersarium. Sic etiam aïa post susceptum baptisma, à Diabolo fuit expugnata, qui eã pro libidine sua euertit atq; vastauit, exturbataq; veri Regis imagine suã erexit, fecitq; vt misera anima sæculi istius curis & sollicitudinibus vacaret, & in oïbus vitiis & peccatis volutaretur. Verùm postea quã sancti magniq; Regis Iesu Christi benignitas eam ad pœnitentiã reuocauit, læta Regi suo fores aperuit. At ille ingressus aduersarium expulit, & turpe eius imaginem, atq; nefarias leges aboleuit, animamq; in pristinam libertatem vindicauit, & suam in illa sanctam imaginem instaurans, sanctas ei leges dedit, pugnandiq; peritiam tradidit, & sensus illius oẽs communiuit, ac deinceps in ea vti sua requieuit. Fieri.n. nõ potest, vt anima ingrediatur in requiem filii Dei, nisi eius imaginem habeat. Queadmodum.n. nullus mercator nummum accipit, in quo Regis imago nõ non sit expressa: neq; eum nummularius probat, neque rex in suum thesaurum admittit: Sic anima, nisi Regis magni & Dñi nostri Iesu Christi seruet imaginem, non probatur ab Angelis, neq; admittitur ab ipso Rege: Quin potius audit: Quõ huc intrasti non
Io. 13. habens imaginem meã? Porrò imaginis nota charitas est. In hoc.n. inquit, cognoscent, vos meos esse discipulos, si dilexeritis inter vos. At charitas eius in nobis esse non potest, cùm anima ita diuisa sit, vt & Deum quærat, & diligat ea, quæ mundi sunt. Etenim queadmodum volucris vnica ala volare non potest, sic aïa nequit in Deum progredi, si altera parte ad mundũ inclinet. Et queadmodum nauis, si quid ei necessarium desit, per mare transire non potest: sic anima, si virtus ei aliqua desit, perturbationum pelagus nõ potest traiicere. Et quemadmodum nautæ si pulchra vestimenta, & chirothecas, & calciamenta habẽt muliebria, officio suo fungi & nauigare non possunt.

quia necesse est, vt sint expediti: sic anima improbas spirituũ aduersariorum procellas superare nõ valet, nisi mundi curis & sollicitudinibus sit vacua. Et quẽadmodum miles cum hostibus principis sui cõflicturus, si arma deficiant, non potest resistere, ita Christi aduersariis .i. vitiis & perturbationibus homo repugnare nõ valet, si virtutum armis sit destitutus. Et quemadmodum si pars aliqua muri corruerit, hostes in vrbem per illam ingredi poterunt, licèt portæ custodiantur: Ita siquis ædificii spiritualis propugnacula, aliqua ex parte per vitium aut flagitiũ aliquod sinat corruere, licèt sensuum portas alioqui diligẽter custodiat, tamen aduersarius Diabolus ingreditur, & euertit oĩa. Neq; verò hæc ipse confingo, sed ita te statͤ diuina scriptura. Et dixit Deus Noe: Te solum in hac generatione vidi iustum atq; perfectum. Abrahę verò, Ambula, inquit, corã me, & esto perfectus, & ponam pactũ meum tecum sempiternum. Et Isaac bñdicens filio suo Iacob, Deus, inquit, meus corroboret te, donec possis facere oẽm voluntatem eius. Et in Numeris scriptum est: Oĩs, qui votum habet sup se, seipsum custodiat, nec vinũ bibat, aut acetum ex vino, aut quicquid inebriare põt, vsq; ad acinũ vuæ. Et in Deuteronomio, si exieris, inquit, ad pugnã contra aduersarios tuos, custodi te ipsum ab omni sermone & opere malo, donec tradatur inimicus tuus in manus tuas. Porrò ex his septem gentibus, neminẽ omnino captiuum seruabis, ne doceat te peccare cõtra me. Ac docens nos, ne contemnamus eos, qui dicunt, Qñ poterimus eos delere, cùm tam multi sint? Nõ poteris, inquit, delere eos in anno vno, ne fortè terra deserta relinquatur, & multiplicentͤ feræ contra te: Sed paulatim donec, numero augearis. Et dilatabit Deus terminos tuos. Sæpè etiã pręcepit illis Deus, Caue, inquiens, ne fœdus ineas cum Chananæis, quos ego sum deleturus à facie tua. Iam cũ Ie-

Gen. 7.

Gen. 17.

Num. 6.

Io.6. sus filius Naue Iericho obsideret, vt illam euerteret, Anathema, inquit, constitue s illā, & omnia, quę in ea sunt. Et cū uellet manum cum hoste cōserere, nō potuit Israel resistere, sed fugitā facie eius, ꝑpter exiguum anathema, quod surripuerat Achan. Et procidēs Iosue in faciē suā clamauit in cōspectu Dei, Vertit, inquiēs, Israel terga inimicis suis. Et ego quid faciā? Et dixit ei princeps militiæ Dñi. Quoniam est in

Io.7. te anathema, Israel, non poteris resistere inimicis tuis. Et nō processit in prælium prius, quam è medio

1.Re.15. tolleret Achan. Ad hæc videmus, q̄uo Saulem regno spoliauerit Deus, propter anathema, quod ceperat ex Amalec. Quid, Quòd Deus nō audiit Israel, cùm

1.Re.14. Ionathas hastā intinxisset in melle, eamq; admouis-

Eccl. 10. set ori suo? Ecclesiastes præterea docens, quolibet minimo vitio virtutum aciem frangi dicebat, Muscæ

Ezec. 3. morientes perdunt suauitatē vnguenti. Et Ezechiel, Quacunque, inquit die iustus deflexerit dè via iustitiæ suæ, & fecerit iniquitatem, oēs iustitiæ eius tra-

Gal.5. dētur obliuioni. Et Apostolus, Modicum, inquit, fermentum totā massam corrumpit. Ananias autem & Zaphira vxor eius, cū fraudassent de pretio agri mentientes, repentè ceciderunt ante pedes Apostolorū,

Iac.2. & expirarunt. Siquis, inquit Iacobus, totam legē seruauerit, offenderit autē in vno, factus est oīum reus. Admonet nos Deus, vt ad se nos cōuertamus: In qua

Ezec. 18 die, inquiens per Ezechielem, conuerterit se impius à via impietatis suæ, & fecerit iustitiā & iudiciū, iniquitatum eius non recordabor. Sed vita viuet. Quia nolo mortem peccatoris, sed potius vt conuertatur, & viuat. Dicit Dominus Deus, Cōuertimini conuertētes. Cur interit dominus Israel? Et Ieremias, Conuertimini, inquit, ad me, domus Israel, & propitius

Hiere.8. ero vobis, dicit Dominus. Et idem rursus; Nunquid qui cecidit, non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste auer-

ſione contentioſa? Apprehenderunt mendacium,& noluerunt reuerti ad me,dicit Dñs.Cõuertimini ad me,& ego cõuertar ad vos.Et Dñs,Si dimiſeritis, inquit,hominibus peccata eorum,dimittet & vobis pater veſter cœleſtis peccata veſtra.Quòd ſi non dimíſeritis,nec pater veſter dimittet vobis.Siquis veſtrũ inquit Apoſtolus,prçoccupatus fuerit in aliquo delicto,vos,qui ſpirituales eſtis, corripite eiuſmodi in ſpiritu lenitatis.Et Iacobus,Fratres mei,inqt, ſiquis ex vobis errauerit à veritate,& conuerterit qs eum, ſcire debet, qm̃ q cõuerti fecerit peccatoré ab errore viæ ſuæ,ſaluabit aĩam ſuã à morte, & operiet multitudinẽ peccatorũ.Ecce,quomodo cũcta ſcripturarũ teſtimonia nos cõmonẽt, vt noſmetipſos exploremus,ne,dũ ſtudio virtutis incũbimus, malitiã ſeruemus,aut irã aduerſus proximũ, quæ labores noſtros perdat,& Dñs noſter Ieſus Chriſtus nobis eo tẽpore nõ opitulet ur,cùm inimici noſtri nos afflixerint.His enim indignat̃,cũ ait: Serue nequã,oẽ debitũ dimiſi tibi,qm̃ rogaſti me: nõne oportuit & te miſereri cõſerui tui?Et iratus tradidit eũ tortoribus, donec redderet omne debitũ.Sic faciet pater meus cœleſtis,niſi dimiſeritis vnuſquiſq; fratri veſtro è cordibus veſtris Explora te ipſum,frater,& quotidie cor tuũ excute in cõſpectu Dei,vt intelligas,vt vtrũ in eo reſideat indignatio, aut odiũ in fratrẽ tuũ,aut contumelia,aut inuidia,aut ſuperbia.Qm̃ ſi eiuſmodi veneno infectũ fuerit, Deo placere nõ poterit.Tibi ĩ memoriam redige verba illa Dñi Ieſu,Niſi dimiſerit vnuſquiſq; ꝓximo ſuo ex toto corde. Quiſquis igitur timet, ne in gehennã incurrat, oẽm è corde ſuo malitiã expellat.Attende cordi tuo,frater,& vigila. Hoſtes enim noſtri ſunt aſtutiſſimi, & nunq̃ dormiunt. Scito fieri nõ poſſe,vt homo,dũ malè agit,faciat bona.Poteſt tamẽ ſub ſpecie boni mala facere. Iccircò Dñs ad vigilandũ nos hortabatur: Anguſta enim eſt

Matt.6.
Gal.6.
Iac.5.
Matt.18.
Matt.7.

porta,& arcta est via quę ducit ad vitã,& pauci inueniũt eã. Lata aũt & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionẽ,& multi sunt, q ingrediuntur per illã: Attendite, inquit, à falsis prophetis, q veniunt ad vos in vestimentis ouiũ, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces, à fructibus ipsorũ cognoscetis eos. Qui nã sunt fructus istorũ? Oĩa peccata, ad quę nos conantur impellere. Attamen eos, q Deũ ex toto corde diligunt, decipere nequeunt falsi prophetæ. Quis, inquit Apostolus, nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an periculũ? an nuditas? an gladius? Certus sum enim, q̃ neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; prǽsentia, neq; futura, neq; vlla alia creatura poterit nos separare à charitate Christi. Animaduertis, mi frater, nihil esse in mũdo, q̃d ex toto corde diligentes Deũ possit ab ipsius charitate separare. Attẽde igitur tibi, ne qua te malitia seiungat ab eius charitate, ne aurũ, aut argẽtum, aut ædes, aut voluptas, aut odiũ, aut cõtumelia, aut acerbius aliquod dictũ, aut vllũ aliud Draconis venenũ, quo ille cor nostrũ afflauerit. Ne turbemur, sed potius in serpentẽ æneũ aciem intendamus, quẽ ex sermone Dñi Moses fecit. Ligno enim illum affixit in montis vertice, vt quicunq; fuisset à serpentibus morsus, statim in eũ respiciens, curaretur. Dñs noster Iesus Christus ęneo serpenti assimilatus est. Qñquidẽ inimicus est, quem audiuit Adam, inimicus constitutus est Dei. At Dñs noster Iesus Christus, perfectus homo factus est in omnibus, excepto peccato, similis Adã propter nos. Porrò serpẽs est æneus, q̃a similis est illi qui Dei erat inimicus, non tamen improbã habet cogitationẽ, neq; venenum, neq; malitiã, neque abscondit sese, neq; afflat, neq; spiritum habet inimici. Figuram hanc subiit Dñs noster Iesus Christus, vt venenum illud extingueret, quod ex ore draconis Adã hauserat. Natura igitur, quæ fuerat deprauata,

Matt. 7.

Ro. 8.

in proprium ſtatũ redacta eſt. Quid eſt, inquit, Dñs Moyſi, qđ habes in manu tua? Et dixit: Virga. Proiice, inquit, illã in terrã. Quæ proiecta in ſerpentẽ conuerſa eſt. Et ſurgit Moyſes à facie eius. Et dixit illi Deus. Extẽde manum tuã, & caudã ipſius apprehende. Quod ille cùm feciſſet, in virgã conuerſus eſt ſerpens. Et dixit Deus, Sume virgam, quæ in ſerpentem verſa eſt, & fluuiũ Aegypti pcuties in cõſpectu Pharaonis & aqua eius vertetur in ſanguinem. Et rurſus eandẽ virgam accipiẽs percute mare rubrum, & areſcet. Petrã item eadẽ virga percutito, & aquã effundet. Cernis, quõ qui p veſtigia Dñi noſtri Ieſu Chriſti incedit, poſteaq̃ factus eſt inimicus & ſerpens, in virgam vertitur, & nullus illi reſiſtere poteſt aduerſarius? Myſterium hoc magnũ eſt. Si igitur draco ſuum in nos virus effuderit oculos noſtros ad crucifixum intendamus, qui propter nos hæc omnia paſſus eſt, neq; tamen immutatus eſt, neq; ira commotus in eos, à quibus tot iniuriis & contumeliis afficiebatur, nihil reſpondens, ſed ad ænei ſerpentis ſimilitudinẽ immobilis manens. Quamobrẽ ſi auxiliũ eius implo rauerimus, ab occultorum ſerpentiũ morſibus integri pmanebimus. In eo ſitũ eſt robur & præſidiũ noſtrũ. Quemadmodũ enim, inquit ipſe, Moyſes exaltauit ſerpẽtem in deſerto, ſic exaltari oportet Filiũ hominis: vt oĩs, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitã æternam. Vt oĩs, inquit, qui credit in eum. Neceſſe eſt, vt ad illũ per fidẽ accedamus. Neq; enim æneus ſerpens vulneratos curabat, niſi qui in eum reſpexiſſent. Multi enim increduli, neglecto Dei ſermone à ſerpentibus icti moriebantur, vt teſtatur Apoſtolus: Et ne tentemus, inquiens, eum ſicut illi tentauerunt, & à ſerpentibus ſunt interfecti. Cernis frater, hoc itẽ tẽpore ſerpentes in eorum cordibus ineſſe, qui tentare volunt Dñm Ieſum? Quinã ſunt iſti? Illi nimirũ, qui mandata eius requirunt, cùm ea no-

Io.3.

1.Cor.1

ſint obſeruare. Acceſſit, inquit, ad eũ vnus è legiſperi-
tis tentans eũ, & dicẽs: Magiſter qđ eſt magnũ & pri-
mũ mandatum in lege? Cui reſpõdit, Ieſus: Diligẽs
Matt.22. Dñm Deũ tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua,
& proximũ tuũ ſicut te ipſum. In his duobus præce-
ptis vniuerſa lex pendet & prophetæ. Vides eos, qui
quærunt, & nõ faciunt, tentatores appellari? quoniã
æneo Serpenti nolunt credere, qui poteſt eos à pe-
ſtifero occulti ſerpẽtis morſu curare. Cor igitur tuũ
cõfirma, & ne dixeris, Quomodo poſſum ei⁹ mãdata
ſeruare, cùm homo peccator ſim? Qui enim cõfeſſus
fuerit peccata ſua ſeſe cõuertens ad Deũ, ꝑ pœniten-
tiã regenerabitur. Sicut portauimus imaginem, ter-
reni, inquit Apoſtolus, portemus & imaginem cœle-
ſtis. Poteſtatẽ, vt vides, dedit homini Deus, vt per pe-
nitẽtiã immutetur, & totus ꝑ illã nouus efficiať. Ma-
ter dũ infans eſt in ſinu ſuo, illũ ſeruat ab omni ma-
lo. Si luget, mammã prębet. Leuiter illi colaphos in-
fligit, vt cum timore lac ſugat, nec cõtumax euadat.
Flentẽ cõplexu & oſculo cõſolať. Eum, vt cor, & viſce-
ra ꝓpria, diligit, & fouet, & ad ſugẽda vbera inuitat.
Si aurũ infanti, aut argẽtũ, aut margarita, aut quiduis
aliud oſtẽdať, aſpicit ille quidẽ, ſed in ſinũ matris fu-
giẽs oĩa cõtemnit, vt mãmã eius accipiat. Non arguit
eũ pater, ꝙ nihil agat, ꝙ ſe ad bellũ nõ cõferat, & pu-
gnet cũ aduerſariis. Qm̃ eſt paruulus, nõ poteſt. Pe-
des habet ille qdẽ, ſed illis inniti nõ valet. Manus ha-
bet, ſed arma neq̃t tractare. Patiẽter expectat mater,
vt paulatim creſcat. Vbi paululũ creuit, ſi fortè cum
alio luctari voluit, victusq; cecidit, non iraſciť pater,
qm̃ paruus eſt. At cũ in virũ euaſerit, eius apparet vir
tus & ſtudiũ. Patris inimicos ꝓſequitur. Tunc illi pa
ter oĩa ſua committit & credit, qm̃ filius eſt. Quod ſi
poſt oẽs labores, quos in eo educando parẽtes pertu
lerunt, fames, aut peſtis, aut bellũ ingruerit, & ille pa-
rentes deſerat, neq; eorum ſenectuti velit cõſulere,
ſed cũ inimicis illorũ amicitiã ineat, tũc amoris obli-

ti domo filiū ingratū eiiciunt, & ſpoliāt hæreditate. Et nos igit, fratres, operā demus, vt ī pœnitētię preſidio cōſiſtamus, ſugamusq́; lacè ſanctis ei⁹ vberibus, vt nos ipſa nutriat & foueat. Oīa, quæ cernunt, aſper nemur, vt lac eius in ore noſtro dulceſcat. Diſciplinę ipſius iugū ſubeamus, vt noſtri curā gerat. Quòd ſi cū hoſtibus noſtris pugnauerimus, & illi nos vt par uulos afflixerint, ploremus in ſinu eius, vt illa patrē noſtrū ad eos, q nos vexant, vlciſcendos exhortetur. Oēm cordis noſtri, voluntatē amputemus, & nos eſſe peregrinos non pigebit, vt nos tanq̄ Abraham ſer uet atq́; defendat. Manib⁹ eius nos, vt Iacob, ſubiiciamus, vt à patre noſtro benedictionē impetremus. Voluntates noſtras abnegemus, vt Moyſes, qui ſub eius ꝓfugio ſeruatus eſt aduerſus illos, qui eū interficere cupiebant. Ne cōtemnamus illā, ne oderit nos ſicut Eſau. Sanctitatē eius cuſtodiamus, vt nos exaltet in terra inimicorū noſtrorū. Eam tanq̄ ꝓpugnaculū teneamus, vt Ieſus filius Naue, qui puer è tabernaculo nō egrediebatur. Inertiæ locū in corde noſtro ne relinquamus, ne ſpoliet nos terræ ꝓmiſſionis hęreditate. Oibus in reb⁹ humilitatē amplectamur, vt quemadmodū Chaleb, ingrediamur in terrā fluentē lac & mel. Nihil ꝑditionis cōcupiſcamus, ne pereamus, vt Achan. Amem⁹ eius ſtimulū cōſciētiæ, q oī hora nos excitet, vt ſeruet nos in tēpore tētationis, quemadmodū Raab. In nullo cibi genere gulæ indulgeamus, ne perdat nos, vt filios Heli. Seruemus nos integros ab oī iniquitate, ſicuti Samuel, q nullo cōſcientiæ ſtimulo pūgebatur, q mali quippiā feciſſet ꝓximo ſuo. Caueamus, ne malū proximo reddamus, vt nos à malo ſtodiat, quemadmodum Dauid. Ab omni iactātia atq́; inani gloria temperemus, ne reiiciat nos à facie Patris noſtri, vt Abſalon. Humilitatē & grauitatem colamus, vt habeat nos vltores aduerſus inimicos patris noſtri, quēadmodum Salomonē. Omni in re nos

ſubiici ſtudeamus, membra noſtra ab oíbus operibus mortuis cohibentes, vt cor ſtrenuũ aduerſus inimicos noſtros obtineamus, ſicut Elias Thesbites. Ne ſimus cupidi voluptatis, ne nos ꝑdat, vt Achaã. Totis viribus ad mortẽ vſq; contendamus, ne ſanctã ipſius amittamus hęreditatẽ, vti Nabut Iſraelita. Obedientes ſimus patribus noſtris ſpiritualibus, volũtates nõſtras oíbus in rebus abnegantes, donec illis ſubiiciamur, vt ad Eliſei ſimilitudinẽ, eorum benedictio nobiſcũ maneat. Ne ſimus auari, neq; mendaces, vt hominibus placeamus, ne nos perterrefaciat, vt Giezi. Viros pios magis, q̃ noſmetipſos oíbus in rebus diligamu, svt nos quemadmodũ Sunamitidẽ benedicat. Peccatum ad mortẽ vſq; odio ꝓſequamur, vt in die neceſſitatis ſicut Suſannã nos adiuuet. Varia ciborũ genera ne cupiamus, vt illi, q̃ cibũ de mẽſa Nabuchodonoſor capiebant. Afflictione gaudeamus, vt Azarias. Ne ſim⁹ aſtuti & callidi, ſicut Babylonii murmurantes cõtra fideles. Expleamus miniſteria noſtra, vt Daniel, corporis ignauiæ nõ indulgentes, qm̃ maluit mori, q̃ relinquere ſacrificia, quæ quotie faciebat. Deus enim fortis eſt, eosq; à tentationibus ſeruat, à qbus diligit. Improbos autẽ ꝑdit. Iuſti verò fides in Deũ, feras reddit vt agnos ouium. Benedictus Deus pœnitẽtię, & benedictus à Deo, q pœnitentiã diligit, & collũ ſubiicit volũtati ei⁹, donec de ſũ ꝑ regeneret ex volũtate Dei. Magna, frater, opus eſt homini diligẽtia, & iudicio, & vigilãtia, vt oẽm ſuã repudiet voluntatẽ, & rectè incedat in oíbus viis ſuis, ne aberret. & incidat in manus hoſtiũ pœnitẽtię. Qui ſe iuſtũ exiſtimat, illã interficit. Qui iudicat peccatores, eã inſectat. Qui deſpicit negligentes, eam diſſoluit. De hac in Prouerbiis ſcriptũ eſt. Oẽs viæ eius rectæ. Cibum otioſa nõ comedit. Veſtimẽta duplicia fecit viro ſuo Facta eſt, velut nauis inſtitoris de longè portãs diuitias ſuas. Ex his verbis illã conſideremus. Mercator;

qui nauem onerat, non genus vnum merciũ in ea cõiicit, sed oĩa, ex quibus se lucraturum sperat. Quòd si quem iacturã fecisse viderit, cum non imitat̃, sed eos poti⁹, quos animaduerterit diuites euasisse. Incolas, & quos minimè inuidos arbitrat̃, rogat, quanti vnaquæq; res emi, aut vẽdi possit. Talis est aĩa, quę Deo cum lętitia cupit occurrere. Non vna re tantùm contenta est. Sed oĩa cõparat, ex quibus lucrũ sperat. Ea verò respuit, quæ dãnum allatura suspicat̃. Nunc igit̃, mi frater, quando Dñi Iesu mercator effectus es, ab illis mercibus caue, quæ afferunt detrimentũ. Cuiusmodi sunt, humana gloria, superbia, arrogãtia, iactantia, irritatio proximi, maledicentia, auaritia, discordia. Hęc, & his similia Dño Iesu placere nõ possunt. Te ipsum, frater, cõsidera diligenter, sensus tuos expende, vt scias, quinam ex illis, aut Deo, aut peccato fructum ferat. Vtrum oculi tui rapiant̃ à voluptate. Vtrum lingua sit ad petulantiã prona. Vtrum cor tuũ humanæ gloriæ dulcedine capiat̃. Vtrum aures adulatores & maledicos libenter audiant. Hęc oĩa mẽti sunt detrimento. Nã in Leuitico scriptum est: Sic dicito Aaron: Ne obtuleris ad altare meum ex animalibus mundis. quod maculã habeat, ne moriaris. Aaron mentem significat. Et qm̃ inimicus cum specie iustitiæ miscet malitiã suam, ideo iussit, vt exploraret, anteq̃ offerret, ne moreretur. Diligens hęc exploratio illorum est, qui verè diligunt Dñm Iesum, & sperant in eum. Horum aĩa facta est sponsa virtutibus oĩbus exornata, quę habet speculum suum. Nam, vt inquit Apostolus, nos omnes reuelata facie gloriam 2.Cor.3
Dei veluti speculo referentes in eandem imaginem transformamur, de claritate in claritatem, tanquam à Dñi spiritu. Nunc autem videmus per speculum in ænigmate, tunc videbimus ipsum facie, ad faciem. Quamobrem aĩæ, quæ spõsæ illius fiunt, in castitate

ſeipſas tanquã in ſpeculo contẽplantur, ne fortè aliqua in vultu macula reſideat, qua diſpliceãt ſponſo ſuo. Quærit enim ille virgines animas caſtas, & mundas, nullã habẽtes maculã. Id quòd de Rebecha ſcriptũ eſt: Quòd virgo erat pulchra valde, neſciens virũ. Et Propheta, Adducẽtur, inquit, virgines poſt eã. Proximæ eius adducẽtur tibi. Adducẽtur, habita humanitatis ratione. Proximæ, qa cõiungẽtur ipſi. San-

Pſal. 44. cti enim baptiſmatis regeneratio renouat eas ab omni vetuſtate. Et pœnitẽtia illas ſanctificat, & puras virgines reddit. Totius enim vetuſtatis obliuiſcuntur. Audi, inquit, filia, & vide, & inclina aurẽ tuã, & obliuiſcere populi tui, & domus patris tui. Et cõcupiſcet Rex ſpeciẽ tuã. Et ſuſpiciẽt illã oẽs virtutes cœlorũ, ꝓpter munditiã, qua eã pœnitẽtia decorauit, & vnũ cũ ipſo corpus illã effecit. Et dicẽt: Quæ eſt iſta, quæ aſcẽdit dealbata inter filias eius? Omnibus ergo viribus cõtendamus, vt paulatim veteris hominis actiones exuam⁹, caueamus à rebus omnibus perditionis, donec charitas eius ad nos veniat, & à nobis auferat imaginẽ terreni, & ſanctã eius imaginẽ figat in corde noſtro, vt puri & integri ab omni macula, eo digni

1. Cor. 15. efficiamur. Et ſicut portauimus imaginẽ terreni, vt inquit Apoſtolus, portem⁹ & imaginẽ cœleſtis. Quoniã probè nouit Apoſtolus, meminẽ eſſe ſine peccato, ex quo facta eſt trãſgreſſio: & pœnitẽtiã eſſe, quæ ad integrã hominẽ ducit puritatem: iccircò nos monet, vt deſtruamus actionẽ eius qui nõ obediuit, & actionẽ amplectamur Dñi noſtri Ieſu Chriſti, obtẽperãtes mãdatis illius, qui miſericordia adductus hominis ſeruitutẽ tulit, vt eũ in recõditum reduceret paradiſum, & ſanctas illi ſuas virtutes oẽs largiretur, permitteretq; veſci de ligno vitæ, quæ eſt ſermonũ eius cognitio atq; obſeruatio, quę in aĩo fideliũ pacẽ inſerit, eoſq; ſeruat aſſiduè, & arcet aures eorũ ab oĩ ſermone Draconis improbi, in memoriam illis redi-

gens

gens acerbam seruituté, in quam per obedientia inci dimus cohortansq; nos, vt ei semper gratias agamus, qui pretioso sanguine suo nos redemit, delens in cru ce chirographum nostrę seruitutis, nosq; sibi fratres & amicos ascribens, qui cùm Spiritũ suũ in charitate super discipulos suos effudisset, & animos eorum recreasset, Ascendo, inquit, ad patrẽ meum, & patré ve strum, Deum meum, & Deum vestrũ. Volo, Pater, vt vbi ego sum, & ipsi illic sint mecum. Qm̃ dilexi eos, sicut tu dilexisti me: cęterùm vt ostenderet, se non de omnibus dicere, sed de illis, qui proprias amputãt voluntates, & sanctę ipsius volũtati parent, & omnia mundi huius commercia à se reiiciunt, Elegi, inquit, eos de mũdo, propterea odit eos mundus, qm̃ ab eo non sunt. Qui ea, quæ mundi sunt, reliquerunt, digni facti sunt, quemadmodum vides, vt Dñi Iesu sponsæ sint, & in eius vnitate ꝑmaneant. Propter hoc, inquit Apostolus, relinquet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum est. Ego autẽ dico in Christo & in Ecclesia. Idem Apostolus, gentes dixit esse cohęredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangeliũ. Qui digni facti sunt, vt sint vnũ corpus cũ ipso, Spiritus sanctus habi tat in eis, & ipse suggerit illis oĩa, & pro illis ipse sollicitus est. Neq; enim vos estis, inquit, q loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Et Apostolus, Qm̃, inquit, vobis reuelauit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Nos enim, inquit, mentem Christi ha bemus. Quomodo igitur Christi mẽte peccatum aliquod cogitemus? Mysterium hoc, frater, animo contemplare. Omnia genera animalium, quæ sunt in terra, cum simili, non cum diuerso genere coniuncta generant, siue iumenta sint, siue ferę, siue serpentes, siue volucres. Propterea Deus adduxit omnia

[Margin notes: Io. 20. — Io. 15. — Ephe. 5. — Eph. 3. — Mat. 10. — 1. Cor. 2.]

ad Adam, vt videret, an inueniret, quod sibi esset simile. Et nullum ex omnibus inuenit, quoniam ex eius natura non erat. Tunc accepit Deus vnam è costis eius, & fecit ipsi vxorem, qm̃ sumpserat eam è viro suo. Mysterium hoc magnum est in illis, qui fiunt sponsę Christi. Quia sunt ex eius substãtia per regenerationem, & ex sancto illius sunt copore. Nam, vt Apostolus ait, Vnũ corpus sumus omnes in Christo.

1.Co.12 Singuli aũt alter alterius membra. Et rursum, Qm̃, inquit, mẽbra sumus corporis eius ex carnibus eius,

Eph.5. & ex ossibus eius. Vides, q̃uo velit hominem esse in omnibus, quemadmodũ Eua est ex Adam, & sicut est ipse in omnibus. Nam qui brutorũ instar sunt rationis expertes, aut sibi vicissim aliquid surripientes ferarum auaritiam imitantur, aut volucrum incõstantiam, aut venenum serpentium: horum animę sponsæ Christi esse non possunt: qm̃ illi sunt actione dissimiles. Vides, frater, quomodo velit hominem sibi esse similem, vt anima eius sit spõsa ipsius? Ex propriis igitur actionibus agnoscit anima cogitationes suas. Nã si rectè agit, Spiritus sanctus habitat in ea. Actiones bonæ reddunt animam à perturbationibus liberam. Porrò fieri non potest, vt in ea, quę talis est, nõ

Io.14. habitet Spiritus sanctus. Si me diligitis, inquit Dominus, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & & mittet vobis paracletũ Spiritum veritatis. Et Apostolus, Nónne inquit, cognoscitis, quòd Christus Iesus habitat in vobis? nisi fortè reprobi estis. Vides, q̃uo, nisi quis dñi Iesu actionem imitetur, reprobus

Mat.23. sit, & sponsa eius esse nequeat? Et virgines omnes parauerunt lampades suas, sed quæ non habebant opera

Matt.13 bona, reiectę sunt. Sagena missa in mare, cõgregauit & intulit bonos pisces in regnum cœlorum. Zizania

Matt.13 simul cum tritico creuerunt, sed cùm messis ad-

Io.15. uenisset, ligata sunt, & in ignem proiecta. Palmites, qui fructum non tulerunt, in ignem proiecti sunt.


Oues simul cum hœdis pascebãtur, sed oues tantùm à dextris constiterunt, hœdi autem à sinistris. Is, qui seminat, seminauit semen suũ: Sed illud solùm, quod cecidit in terram bonam, fructũ tulit. Dedit argentũ suum sine simulatione, sed eo tamen gauisus est duplicato. Vocati fuerant oẽs ad nuptias, sed qui nõ habebat vestem nuptiarũ, iussus est proiici in tenebras exteriores. Oẽs se credere profitentur, sed qui bona non habent opera, eiiciuntur foras. Quoniã multi sunt vocati, pauci verò electi. Exploramus nosmetipsos, fratres, & opera nostra perpendamus, anteq̃ illi sit obuiam à nobis prodeundum. Ne simus ex eorũ numero, qui carnis faciunt voluntatẽ. Operam demus, vt eas diuitias assequamur, quas in illas necessitatis hora sumus inuenturi. Eas, quæ nobis hìc necessariò sunt relinquendæ, contemnamus. Consideremus illos, qui summo studio caducis istis diuitiis cumulandis incubuerunt. Q̃uo, illis relictis, in gehennã inciderint. Quia Dñi Iesu vestigia sequi neglexerũt, vt dignæ fierent illius sponsæ. Lacrymis igitur corã Deo, & occulto cordis dolore ac gemitu laboremus, ne in dedecus ipsorum incidamus. Etenim si tempestas in mari oriatur, & multa nauigia submergantur, non dicimus, Quoniã illi perierunt, pereamus & nos. Quinetiam totis viribus contendimus, & Deo vota facimus, vt incolumes euadamus. Verè magna, fratres, in hoc vitæ pelago tempestas aborta est. Cohortemur nos ad laborem, & clamemus ad Dominum, ne fluctibus obruamur. Nisi deponamus onera peccatorum, exuamusq; nos ab omni sollicitudine, ex hac turbulenta tempestate non possumus euadere. Moyses non prius cecinit canticum Domino, quàm mare traiecisset, vidissetq; mortem eorum, qui volebant Dei populum in seruitute detinere: Tunc demum dixit, Cantemus Domino. Gloriosè enim magnificatus est: equum, & ascensorem proiecit in ma-

Mat. 25.
Mat. 13.
Mat. 22.
Exo. 15.

re, Si mens igitur, animæ sensus à carnis voluntate seruauerit, & contemplationis columna animam ab illa separauerit, tūc Deus perspiciens improbitatem perturbationum, quę in animam impetum faciētes, sensus ipsius in peccatis conantur continere, menti assiduè supplicanti fert auxilium, & inimicos eius oēs perdit ac delet. Quemadmodum dixit & Moysi:

Exo. 14. Quid clamas ad me? præcipe filiis Israel, vt prompti paratique sint. Tu autem virga, quę est in manu tua, percute mare, & arescet. Fidelis est Deus, qui nobis etiam opituletur, vt Moysi, eripiatq; nos è manibus inimicorū nostrorum, vt illi possimus canere canticum nouum, & dicere: Cātemus Dño. gloriosè enim magnificatus est. Cæterum quo poterimus hæc pronuntiare, si hostibus nostris parcamus, & volūtate in Aegyptū reuertamur, cōcupiscentes ea, quæ olim comedebamus, & clamātes ad Aarō: Fac nobis Deos, q̄ præcedant & in reducāt nos in Aegyptū. displicet. n. nobis iste cibus spiritualis. Potens est Deus mittere Moysem ad nos, qui conterat vitulum conflatilem, p̄ quem ad iram eum prouocauimus. Potens est Deus, qui nobis largitus est pœnitētiæ donum, nos iterum ad se conuertere, & Moysem confirmare, vt pro nobis precetur & dicat: Siquidem dimittis illis peccatum, dimitte. Sin minus dele me de libro viuentium. corroborabit & Iosue in tempore, quo delcātur septem gentes, vt in terram promissionis nos introducat. Et Israel accipiat hæreditatem, habitans in illa commodissimè in sæcula sæculorum Amen. Ipsius Domini nostri Iesu Christi est fortitudo, ipsius est auxilium, ipsius est protectio, ipsius est sapientia, ipsius est custodia. Ipse in nobis est ad gloriam, & honorem Dei Patris, & sancti Spiritus ante sæcula, & nunc, & in sæcula sæculorum. Amen. Si hæc intelligis, frater, operam da vt, ea perficias. Et Dominus proteget te in hora tentationis. Amen.

BEATI ESAIAE ABBATIS DICTA, Quæ Petrus Abbas Discipulus eius ex illo accepit, & literis cõmendauit. XXVI.



DICEBAT Pater meus: Fortis esto in iis corrigendis, quę indigent correctione. Animi puritas gratas Deo fundit præces. Dei timor & angustia facilè veniam impetrant peccatorum. Hominis, qui vltionis est cupidus, sacrificia sunt vana. Huius temporis noli consiliũ aut rationẽ requirere, nec requirenti tibi cõfide. Eos attende, qui intra te loquũtur, & Deũ ora, vt te doceat, quẽ ex illis debeas audire. Caue, ne aliud in lingua, aliud in corde prõptum habeas. Qui supplex se prosternit ante Deũ, & qui cũ humilitate mãdata audit, charitatẽ assequit. Charitas autẽ vitia & perturbationes expellit. Qui se quieti & silentio tradit, assiduè consideret, vtrum eos effugerit aduersarios, qui nos in aere oppugnãt, & ab eis liberatus sit. Quandiu.n.eorum seruituti subiectus est, non est liber. Affligat igitur sese, donec à Deo misericordiã impetret. Qui accusatur à corde suo, nondũ misericordiã impetrauit. Si vis seq Dñm nostrum Iesum Christũ, serua sermonẽ eius. Si veterem hoĩem vis cũ ipso suspẽdere, ab iis, qui à cruce te reuocãt, debes abhorrere, & teipsum assuefacere, vt æquo aĩo feras, si cõtemnaris, & q te afficiũt iniuria, diligas, & te illis humilẽ præbeas, & tuis cupiditatibus dñeris, atq; oris silentiũ custodias, & neminẽ iudices in corde tuo. Qui quietẽ & silentiũ colit, timorẽ habeat sibi occurrentis Dei. Dei timor non est in illo, q peccato obtemperat, & eget misericordia Dei. Hoc graue est, quòd probitatem in ore, iniquitatem & maliciam in corde gerimus. Nisi quis ad mortem vsq; contenderit, vt corpus suum tale reddat, quale fuit dilecti Iesu, non occurrit illi cum lætitia, nec ab

acerba seruitute liberatur. Dicebat: Miserere, miserere, miserere, quonã decidit aïa mea? In quali puritate creata fuit? in qua seruitute detinet? cui vanitati obstricta est? Hortor te, dũ es in corpore, ne cor tuũ liberes. Quẽadmodum.n. homo agri sui fructus incertos putat, donec eos ĩ horrea sua cõdiderit: Ita quos è corde tuo fructus sis pcepturus, incertus es, donec in naribus spiritum habes. Quẽadmodum hõ, à quo vitio sit oppugnandus ad extremũ vsq; spiritum scire nõ põt: ita liberare cor suum nequit, dum spirat, sed assiduè Dei auxilium & misericordiã debet implorare. Quæsiui ex eo, quid sit humilitas, & qũo cõparetur? Rñdit. Humilitas est obedientia, & propriæ volũtatis abnegatio. Humilitatis est, affligere se, cordis puritatem amplecti, proximi contumelias, & iniurias libenter ferre. Beatus, inquit, qui nouum induit

1. Cor. 31. hoĩem, antequàm Christo occurrat. Caro.n. & sanguis, vt ait Apostolus, regnum Dei possidere nõ possunt. Idem, Dum zelum, inquit, & contentioné habe-

1. Cor. 3. tis inter vos, nõnne carnales estis, & ẽm hominẽ ambulatis? Ideo, inquit sic affligimur ab inimicis nostris, quia nostras infirmitates ignoramus, nec consideratè luctum amplectimur. Aperiret.n. nobis peccata nostra, quæ quidem nobis si planè essent cognita, deteriores nos meretricibus existimaremus. Illæ.n. palàm peccant, quia ignorant Deum. Nos autem, qui Dei cognitioné profitemur, peccato tñ inseruimus. Qui sustinet reprehensioné, & proximo subiicit voluntatẽ suã, ne Deus inimicũ in mediũ prodire sinat, se mercenariũ ostendit. Si.n. ingenuè ad Dñi Iesu pedes sese subiiceret, studeret propriæ volũtati renunciare, ne ab amabili Dño sub seiungeretur. Qui propriam sequitur voluntatem, ne cum bonis quidẽ pacem habet. Contemptus enim & ira, & contentio in eius corde vigent. Qui se curare negat, quid aut loquatur, aut audiat, cæco similis est, qui tam intus, q̃

foris lumen non videt. Qui assiduè cogitat peccata sua, linguam non habet, qua vllo de homine verba faciat. Quæ mundi sunt, & ipsam etiam corporis quietem odio ꝓsequere, qm̄ auocant te ab amicitia Dei. Sicut qui habet inimicum, cum illo pugnat, ita nos cum corpore nostro debemus pugnare, neq; illi otiū aut quietem concedere. Qui Deum amat, cogitationes suas debet expendere, vtrum ex corpore sint, nécne. Quandiu.n. corporis curis distinetur, non est pura Dei sponsa. Interrogatus à me, quid sibi vellet ea præcatio · Sanctificetur nomen tuum. Perfectorū est, inquit: qm̄ Dei nomen in nobis sanctificari nō potest, dum cupiditatibus obtemperamus. Dicebat ex veterum patrum sententia. Recessum esse corporis fugā, & mortis meditationem. Vbi non est pax, inq̄t, ibi nec Deus. Qui cernit peccata sua, pacem intuet̄. Peccata non fugat locus, sed humilitas. Dauid cùm in adulterii & homicidii, crimen incidisset, vnum illud Deo gratum sacrificiū inuenit, & ideo dixit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatū Deus non despicies. Contéptus & indignatio menté perturbant, nec permittunt illi, Dei lumen aspicere. Hæc tria imprimis vitia totis viribus fuge, auaritiam, ambitionem, & ignauiam: quæ si animam occupent, euertunt illam, nec sinūt proficere. Si te in cellula tua confidentem cupiditas iudicandi fratris inuaserit, ex peccatis tuis illum iudica, tua, q̄ illius tum plura tum maiora esse considerans, & quę bona in te esse opera arbitraris, ea Deo placere ne putes. Firmiora.n. corporis mēbra pro infirmioribus sunt sollicita, eisq; donec conualescant, ꝓpter necessitudinem, qua cum illis cōiuncta sunt, seruiunt. Qui duro sunt corde, nunq̄ peccasse se existimant. Humiles verò proximi culpam in se transferunt. Superbus in animo suo sapientem se iudicat, & neminem vnq̄ offendisse. Is autem, in quo timor est Dei, solli-

Psal. 50.

citus eſt,nequa ſibi virt⁹ deſit.Si in cellula tua cõſe-
deris,& preces tuas ĩ ſilẽtio fuderis,& cor tuũ ad ali-
quid,quod Dei nõ ſit,inclinarit,idq; tecũ ipſe nõ eſ-
ſe peccatũ,ſed cogitationẽ reputaris,cõſidera preces
etiã tuas,quas in ſilẽtio fundis nõ eſſe veras.Quòd ſi
cordis tui ſacrificiũ Deo credis acceptũ eſſe, conclu-
de,ſimplicẽ itẽ cordis cogitationẽ cum malitia con-
iunctã tibi crimini verti apud Deũ. Qui belli tẽpore
auxiliũ nõ inuenit, pacẽ ſperare nõ poteſt. Is fruſtra
docet, cuius opera ſunt doctrinæ contraria.De com
munione dicebat:Hei mihi,hei mihi.Si cõmunico cũ
inimicis Dei : quæ mihi cũ Deo poteſt eſſe commu-
nio?Nonne in iudiciũ & condemnationẽ à me ſuſci-
pitur? Oĩa enim munda mundis. Coinquinatis autẽ,
& infidelibus,nihil eſt mundũ,ſed inquinatę ſunt eo-
rũ & mens & cõſcientia.Si enim ego ſanctus ſum,qui
ſunt iſti, qui operantur in me ? cũ ex illo quæſiſſem,
quid eſſet timor Dei,reſpondit:Timor Dei nõ eſt in
illo,qui paret inimicis eius.Rurſum quęſiui,quẽ du-
ceret eſſe ſeruum Dei. Ille Dei ſeruus, inquit,nõ eſt
exiſtimandus, qui propriis obtẽperat cupiditatibus.
Cui enim quis imperat,is eius eſt Dñs,Hei mihi,hei
mihi,dicebat,qui nõ ſtudui me purũ & ſanctũ redde-
re,vt miſericordiam conſequi poſſem.Heu me miſe-
rum, qui vt regnarẽ cum Chriſto,meos inimicos ſu-
perare non contendi. Heu me miſerum, qui ex noĩe
tuo appellor, Dñe,& ſeruio inimicis tuis. Hei mihi,
hei mihi,quia veſcor iis,quæ Rex meus deteſtatur,&
ideò non medetur mihi.Cùm eum ęgrotum,& mor-
bo valde laborantem inuiſerem,& incommoda eius
valetudine dolorem:Vix, inquit,ita morbo vexatus,
poſſum illius acerbi temporis recordari,tantũ abeſt,
vt eius memor eſſem futurus, ſi caro valeret . Cùm
enim valet,pronior eſt ad exercendas inimicitias cũ
Deo. Arbor, quę irrigatur, non areſcit, ſed fructum
affert. Calamitates nobis ſunt adiumento ad obſer-

uīda mādata Dei. Hei mihi, hei mihi, qui habeo ante me accusatores. Qūo potero occurre Dño meo, & Sanctis eius, cùm inimici mei mihi ne vnū quidē mēbrum integrum reliquerint. Quæsiui quid esset hoī solitario necessariū. Et respondēs, Tria sunt, inquit, illi necessaria, perpetuus timor, assidua precatio, & cōtinua cordis custodia. Cauere debet homo solitudini & quieti deditus, ne verba audiat inutilia. Hæc enim perdūt labores ipsius. Abbas, inquit, Serapio rogatus à quodā sene, qualis sibi ipse videretur: respōdit mihi: Similis videor homini super turre existēti, qui nutu significet accēdētibus, ne ad se veniāt. Et senex qui ipsum interrogauerat, dixit ei, Mihi aūt similis videor hoī, qui propugnaculū edificauit, & ferreis vectibus illud muniuit, vt siqs pulset, nō audiat, neq; intelligat, quis ille sit, aut vnde veniat, aut qd velit; neq; aperiat ei prius, q̄ discedat. Siquis Dñm quærit ex aīo, attenditq́; sibi, nec mundi vinculis illigatur, & cor suum custodit, vt sine offensione possit ante Dei tribunal consistere: is ab eo exauditur atq; diligitur.

IN DICTVM ILLVD: ATTENDE TIBI ORATIO. XXVII.



ATTENDE tibi diligenter, & magna cum fiducia considera: Dominum nostrum Iesum Christum cùm Deus esset, & ineffabilem haberet gloriam & maiestatem, hominem pro nobis esse factum, seq́; nobis exemplum proposuisse, vt sequamur vestigia eius. Formam enim serui accipiens, vehementer atq; incredibili modo humiliauit semetipsum, & pauper effectus est, multorumq́; ignominias & contumelias pertulit: & quemadmodum scriptum est, tanq̄ ouis ad occisionem ductus est, & tanq̄ agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum, in humilitate eius iudicium sublatum est, & mortem turpissimam pro nobis subiit. Quam- Esa. 53.

obrem & nos propter mandatũ eius, & pro peccatis nostris, patienti, atq; æquo animo ferre debemus, si quis nos vel iure vel iniuria lædit, aut afficit cõtumelia. Siquis ad mortẽ vsq; persequitur, tanq̃ oues nos geramus, nõ resistentes, nec contradicentes, sed potius cum silentio & humilitate pro inimicis orantes.

2 Attẽde tibi diligẽter, & magnũ lucrũ existima, salutemq; aīæ tuæ in eo sitã arbitrare, si cõtumelias, & ignominias, & oppugnationes ꝑpter Dñm patiẽter feras. Illud cogita, te multo grauiora mereri supplicia ꝑpter peccata tua. Et beneficii loco numera ꝙ dignus factus sis, q̃ propter Deũ plectaris, vt aliquo saltẽ modo ex multis afflictionibus & probris Dñi tui fœdissima ludibria & cruciat⁹ acerbissimos imiteris. Et quoties affligentiũ te atq; insectantium recordaris, noli conqueri, sed potius ex animo pro illis ora, vt qui tibi maximorum bonorum sint auctores.

3 Attende tibi diligenter, vt tanq̃ pestem, & mortẽ, atq; interitũ aīę, ęternumq; suppliciũ fugias imperii, & glorię, & honoris, & laudis cupiditatẽ. Et caue, ne te aliquid esse putes, aut virtute aliqua præditũ, aut te aliis vel præstantiorẽ, vel etiã parẽ. Et omne quantuis exiguũ carnis desideriũ & voluptatẽ penitus abscinde. Neq; cuiusq̃ hominis vtere, nisi necessitas vrgeat, familiaritate. neq; corpus alterius attinge, aut quippiã licet pauxillulum sit, comede pręter tẽpus, ne paulatim ex minimis ad deteriora prolabare.

4 Attẽde tibi diligenter, vt te verè atq; ex aīo Christianorũ oīum abiectissimum, & peccatorẽ maximũ arbitrere: & animus tu⁹ semꝑ humilis sit, & in mœrore tristitiaq; versẽt. Sẽper vt imperit⁹ indignusq; tace, neq; vnquam omninò, nisi necesse sit, loquere.

5 Attende tibi diligenter, vt ignis ille perpetuus, & sempiterna supplicia, & qui illic damnati excrucian tur, tibi semper ante oculos obuersentur, teq; ex eorum numero vnum potius, quàm viuentiũ existima.

6 Attende tibi diligenter, & conſidera, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, & ſurrexiſſe, noſq́; ſanguine ſuo redemiſſe, vt ipſi tibi non amplius viuas, ſed Domino, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Cogita igitur, te ſemper ante oculos eius verſari, & cor tuum obſerua.

7 Attende tibi diligenter, vt prompto ſemper animo pareas volũtati Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſiue in vita, ſiue in morte, ſiue in quauis afflictione. Et ſemper magnas aliquas & terribiles tentationes, & afflictiones, & calamitates, & mortem expecta, ne te imparatum offendant.

8 Attẽde tibi diligẽter, vt tanq̃ vbiq; p̃ſens ſit Deus, nihil facere cogites, quod eius ſit volũtati contrariũ. Oĩbus in rebus quãuis minimis, ſeu q̃d loqui vis, ſeu agere, ſeu cum aliquo negotii quippiam contrahere aut cibũ capere, aut bibere, aut cubitũ ire, aut quicquàm aggredi, prius conſidera, verũ id cum Dei voluntate conueniat, & eius cauſam conſitere, atq; ita rẽ aggredere, vt magna tibi fiducia ſit apud Deum.

9 Attẽde tibi diligẽter, vt, ſi quis te aliqua ĩ re offenderit, & te dolor extimulet aut indignatio, nequid prẽter decus loquaris, ſed taceas, donec quieſcat cor tuũ, ac tum demũ benignè fratrem admone, & cohortare. Quòd ſi neceſſe fuerit, fratrem reprehendere, & te ira commotũ videris, & non tui iuris: caue, nequid omnino loquaris, ne creſcat perturbatio, ſed cùm & te & illum quietos tranquilloſq́; animaduerteris, tum ſic eum alloquere, vt nõ arguere, ſed omnĩ cum humilitate commonere proximum videare.

10 Attẽde tibi diligenter, vt ſingulis horis aliquam tibi vel ex morte, vel ex calamitate, aut magno aliquo periculo tentationem inſtare non dubites. Et quæ aduenerint, forti ac ſtrenuo animo perfer omnia, conſiderans, eſſe neceſſarium, vt per multas afflictiones & ærumnas ingrediamur in regnũ cœlorum.

11 Attẽde tibi diligenter,vt nulla in actione,aut sermone,aut cogitatione, voluntati aut quieti tuæ seruias,sed voluntati Dei,etiamsi magnus propositus labor videatur. Sic enim tenditur ad regnum cœlorũ. Eam igitur omni humanæ prudentiæ antepone & reliquis omnibus hominum consiliis vtiliorem existima.Dei nanq; mandatum est æterna vita.Et qui ipsum exquirunt,non minuentur omni bono.

12 Attẽde tibi diligenter, vt in cõspectu Dei semp existens nihil ab vllo alio speres, sed ab vno illo oĩa cum fide.Siqua re tibi opus est,Deum precare, vt eã tibi,si velit,concedat.Quicquid habes,id nõ aliis,sed Deo acceptũ refer, & illi gratias age. Si qua tibi desunt,ea ab hoĩbus ne expectes, neq; de vllo conquerare, sed alacri animo & tranquillo cuncta sustineas, tecum ipse ita cogitans:Ego quidem propter peccata mea multis sum dignus afflictionibus : attamen Deus, si velit, potest mei misereri, & quæ sunt vsui necessaria,mihi subministrare. Hoc animo si fueris, Deus nihil tibi,quod expediat,deesse patietur.


13 Attende tibi diligẽter,vt nihil omnino suscipias, nisi quod tibi persuaseris,iustè partum, à Deo suppeditari. Quæ sunt eiusmodi, ea cum pace suscipito. Quæ verò ex iniquitate,aut bello,aut fraude, aut simulatione profecta perspexeris,ea reiicito, & repudiato. Melior enim exigua pars cum timore Dei, q̃ ingentes thesauri cum iniquitate.

14 Attende tibi diligenter, vt omni studio silentiũ colas,quo facilius, Deo adiuuante,ad virtutẽ contendas,atq; proficias.Quòd si tẽpus inciderit,vt necessariò loquendum sit,aut præstet loqui, q̃ tacere: tunc os tuũ aperiens cũ timore Dei, atq; tremore,& capite demisso, modestè, & summissa voce verba facito. Si cũ aliquo cõgressus fueris, charitatis gratia pauca loquere,& celeriter tace. Si fueris interrogatus, tũ rñde,quãtũ obediẽtiæ necessitas coget, & nõ ampli⁹.

15 Attende tibi diligenter, vt queadmodũ à libidine těperas, sic etiam oculorũ, & auriũ, & tactus cohibeas cupiditatě. Oculos manuum tuarũ operibus solùm intende, & non rebus aliis, nisi probabilis necessitas id postulabit. Fœminas verò, aut viros formosos, nisi magna vrgente necessitate, respicias, caue. Quæ de aliis dicuntur, ne cures audire: Os tuum, nisi necesse sit, nihil loquatur omnino. Si hęc vtilia esse animaduertis, frater, operam da, vt ea reipsa perficias, vt in hora tětationis te Deus protegat ac tueatur. Amen.

DE MALITIAE RAMIS.

ORATIO. XXVIII.



E malitiæ ramis dicendum est, vt homo, quid sit vitium, & quid se à Deo separet, intelligat, & eius auxiliũ imploret aduersus singula vitia, & diuina adiuuante clementia, ea ꝓfliget & expellat. Vitia sunt aïæ vulnera, quæ seiungunt illam à Deo. Beatus ille, q̃ à vitiis integer & purus est. Quia tanq̃ ouis rõne prædita gratum Deo sacrificiũ offeretur, & iucundã illam Dñi vocem exaudiet. Euge, serue bone, & fidelis, qa super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Dñi tui. Qui aũt volunt carnis suæ voluntates explere, neq; se sanctis pœnitentiæ medicamentis curare, vt mũdi sanctiq; fiant, in hora necessitatis virtutum stola reperientur nudi, & proiicientur in tenebras exteriores, vbi Diabolus est stola vitiorũ indutus, quæ sunt, fornicatio, cupiditas, auaritia, detractio, ira, æmulatio, inanis gloria, superbia. Hi sunt malitiæ rami, & alii similes multi, vt ebrietas, corporis ornatus, animi distractio, inertia, scurrilitas, sermones ridiculi, impudentia, cachinatio, cõscientiæ despectio, diuini iudicii negligentia, inuidia, mendacium, adulatio, falsum testimoniũ, falsa scientiæ professio, docendi ar-

rogãtia, lucri cupiditas desperatio, odiũ proximi, cũ seipsum qs non reprehendit, cũ hoĩum gloriam diligit, cùm delicatas epulas quærit, cùm corpori cupiditates amplectitur, cùm incõsideratè scandalizatur, cùm propter doctrinam sibi ipse plaudit, cùm contendit, & altercatur, cùm propriam defendit voluntatem, cùm se bonum & sapienté existimat, cùm fratrem suum improbum aut stultum putat ac despicit. Isti malitiæ rami crescunt & propagantur in anima misera atq; infelici, donec eam separent à Deo. Hæc sunt onera illa grauissima, qbus Adam ceruicé subdidit, cùm ex ligno vetito comedit. Hæc sunt, quamobrem dictũ est: Lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Hæc sunt, quæ Dñs noster Iesus Christus interfecit in cruce. Hi sunt vtres illi veteres, in quos non infunditur vinum nouum. Hæc sunt illa vincula, quibus Lazarus erat obligatus. Isti sunt illi Dæmones, quos Christus immisit in gregem porcorũ. Talis est vetus ille homo, quem Apostolus præcipit, vt exuamus. Propterea dixit: Caro & sanguis regnũ Dei nõ possidebunt. Et rursum: si secundum carnẽ vixeritis, moriemini. Istæ sunt illæ spinæ & tribuli, quos terra protulit Adam, postea quàm eiectus est è paradiso. At Christi iugum suaue est, & onus leue: nempè mansuetudo, castitas, lenitas, bonitas, gaudium spiritus, abstinentia ab omnibus vitiis, charitas erga omnes, sancta discretio, fides immobilis, affectionum toleratio, à mundo seiunctio, cupiditas à corpore discedendi, & occurrendi Domino Iesu Christo. Hæc sunt onera illa leuia, quæ nos iussit Dominus gestare. Hæc est illa via, ad quam Sancti vt peruenirent, tam multos labores pertulerunt. Hæc sunt, quæ nemo consequi potest, nisi veterem hominem exuerit, & liberatus fuerit, & & possederit charitatem, quæ quidem charitas hominem liberat ab omnibus curis & sollicitudini-

bus. Neq; verò fieri poteſt, vt charitas in nobis habitet, quãdiu aliquid mundi diligimus. Non poteſtis, inquit, menſę Dei participes eſſe, & menſę Dęmoniorũ. Et Eſaias: Quis annũtiabit, inquit, vobis, quod ignis vrat? Quis annuntiabit vobis locum ęternum? Qui ambulat in iuſtitia, & loquitur viam rectã, qui odit iniquitatem & iniuſtitiã, & excutit manus ſuas à muneribus. Qui aures obturat, ne audiat iudicium ſanguinis. Qui claudit oculos, vt non videat iniquitatẽ. Hic habitabit in excelſa ſpelunca petrę fortis. Panis ei dabĩ, & aqua eius fidelis. Vide, quibus honoribus & premiis eos Dñs ſit affecturus, qui ſtrenuè pugnant in hoc exiguo vitæ curriculo, & per patientiã atq; afflictionẽ, mundi ſarcinã excutiũt? Cernis, qũo Deus adiuuet labores eorũ, qui proprias amputant voluntates, & oẽs ab illis perturbationes expellat, q cupiditatibus ſuis diuinã voluntatem anteponunt? Qui aũt voluntatibus indulgent ſuis, quanuis ſpiritu incipiant, tñ quia volũt eas implere, hoſtibus reſiſtere nequeunt, & in carne deſinunt, ac perdunt labores ſuos. Itaq; deteſtaꝣ eos Ieremias propheta, Maledictus, inquiens, qui facit opera Dñi negligenter. Vides, qũo Deus eos, qui in ſeruitutem ipſius ſe dedicant, & tamen proprię voluntati deſeruiunt, nõ adiuuet, ſed deſerat, & tradat in manus inimicorum: ex quo fit, vt loco honoris, quem ab hominibus aucupantur, in dedecus & ignominiam incidãt, quia hoſtibus non reſtiterunt, donec Deus illis ad eos ſuperandos auxilium ferret? Porrò, ſicut oẽs ſcripturę teſtantur, homo non exauditur à Deo, niſi eum oret ac deprecetur. Quamobrẽ ad eius clementiam cum omni ſtudio, & lacrymis ſupplices accedamus, ſubiiciamusq; nos omnibus hominibus propter Dominum, & fratribus noſtris, vt prudentioribus nos ſubmittamus, nemini malum pro malo reddentes, neque male de aliquo cogitantes in corde noſtro, ſed cor vnum

simus oẽs atq; aĩa vna. Quod aũt ad ea pertinet, quæ sunt corpori necessaria, nunq̃ dicamus: hoc meũ est. Cor nostrũ assiduè custodiamus, obseruemusq́; quo sese vertat, ne immundũ aut impurum aliquid cogitet. Corpus à repletione coerceamus, ne à nobis proprias exigat cupiditates, sed aĩæ subiectum sit, & anima menti, vt fiat sponsa pura, & munda, ab omni macula, vocetq; sponsum suũ, Veniat, inquiens, dilectus meus in hortum suũ, & comedat fructum pomorum suorũ. In hoc studium & curã incumbamus, fratres, vt hac fiducia præditi, audiamus eum dicentem: Vbi ego sum, volo, vt & ipsi sint, qm̃ dilexi eos, quẽadmodum dilexisti me, Pater. Et tu in me, & ego in eis. Ostendat nobis sancta, & eiusdẽ essentię, ac sine principio Trinitas, misericordiam suã, vt veniã & remissionẽ inueniamus cum Sãctis eius in die iudicii. Qm̃ ipsi est gloria, & imperiũ, in sæcula sæculorũ. Amen.

EIVSDEM LAMENTATIONES.

ORATIO. XXIX.



AE nobis, qui in hoc exiguo vitæ spatio voluptati dediti sumus, quia, vt iniquæ & breui carnis cupiditati satisfaciamus, nos iucũdissimo diuinæ gloriæ spectaculo indignos cõstituimus. Væ nobis, quia corruptio incorruptionẽ nõ possidebit. Et nos, incorruptione contempta, corruptionis cupidine furimus & insanimus. Væ nobis qui carnem nostrã, quę in putredinem est resoluenda, & vermiũ esca futura, in peccatis fouemus & enutrimus, nec ignem, in quo sumus perpetuò excruciandi, nec vermem, qui nunquã dormit, extimescimus. Væ nobis, quorum corpus immũditiis coinquinatum hoĩes pii colunt & deosculantur, cùm tñ simus sepulchra dealbata, & mortiferum peccatũ redoleamus. Væ nobis, qui per intemperantiã & delicias epularum semẽ in

nobis adaugemus,& icircò ad nefarias corporũ mixtiones icitamur. Væ nobis,q mortalitatẽ cũ immortalitate nõ cõparamus,& diuinã ac formidandã rectitudinẽ negligimus. Væ nobis qui pigri tardiq; sum⁹ ad bona,prõpti aũt & alacres ad mala. Væ nobis, qui corp⁹ nrm capax æternæ lucis, tenebris addiximus sẽpiternis. Væ nobis qa Filius hominis, q est eiusdẽ essentię cũ Deo & Patre,ꝑ nobis factus homo nõ habet apud nos, vbi caput reclinet:cũ vulpes, hoc est, astuti atq; improbi spiritus suas in nobis struxerint. Væ nobis, qa recti corde animas puras & corpora sua sancta & sine macula sistent ante iudicẽ: nos aũt impuras aĩas & immunda corpora habẽtes,æterni supplicii sentẽtiã audiemus. Væ nobis,q cùm omniũ dedecorũ & flagitiorũ simus studiosi, honorẽ & gloriã Sãctorũ flagitamus. Vę nobis,qui cùm dãnati simus, & multis peccatis obnoxii,tãquàm liberi atq; insontes in medio Sanctorũ & innocẽtiũ versamur. Væ nobis, q cùm simus erroribus pleni,eos,qui nobis multo meliores præstantioresq; sunt, monemus & instituimus. Væ nobis, qui trabẽ habẽtes in oculo, quàm minimas fratrũ festucas acutè cernimus,& iracundè volumus excutere,tanquàm nihil in nobis sit, quod egeat reprehensione. Væ nobis,qui grauia fratribus onera atq; intolerabilia imponimus, cùm ea nos tanquàm corpore imbecilliores ne digito qdẽ velimus attingere. Vę nobis,qui cùm diuina & monastica ministeria recusemus, alios,quę sint excolendę virtutis officia,docere nõ erubescimus. Væ nobis, qui nõ solùm veterũ peccatorũ obliuiscimur,sed recentia depellere,& lacrymis diluere negligimus. Vę nobis, qui cùm Dei auxilio & gratia rectè viuẽdi fundamenta ieceri mus, nũc ea, quæ carnis sunt, superstruimus. Væ nobis,qui malis cogitationibus ita delectamur, vt peccata, quæ despeximus, memoria repetamus. Væ nobis, qui in edendo bibendoq; non

preuidemus, qđ nobis è crapula bellũ oriať: Væ nobis, quos Diabolus, dũ libidinis ſuggerit cogitata, im paratos, & cõſentiẽtes offendit. Væ nobis, qui neglecto diuinarũ precũ, & ſacræ lectionis ſtudio, in nugis, & rebus inutilibus dies noſtros conſumimus. Væ nobis, quorũ adeò cęca ſunt corda, vt dũ lugẽdis peccatis nr̃is debemus incũbere, inertia atq; otio torpeſcamus. Væ nobis, qui, cùm Deus dicat: Aĩa, quæ peccauerit, ipſa morietur: eius aſſiduè peccantis nullã curã gerimus. Væ nobis, qui corpus noſtrũ ad peccata procliue ciborũ copia & deliciis ad impuras cupiditates & immũdas cogitationes impellimus, & improbi hoſtis iacula per oculos in cor admittimus, & corporũ tactu equi furẽtes euadimus, neq; dignitatis noſtræ, neq; ęterni ſupplitii rationẽ vllã habem⁹. Væ nobis, qui corporis morbos & dolores tã facilè ſentimus, in aĩæ aũt ægritudinibus, & vulneribus grauiſſimis caremus oĩ ſenſu. Væ nobis, qa princeps aĩæ pars, carni, quæ ancilla eſt, ſeruit, & pars deterior imperat prę̃ſtantiori, neq; ambæ cõcordes atq; vnanimes procreatori ſuo ſeruiũt Deo. Vę nobis, in quos peccata malis & immũdis cogitationibus debacchãtur, neq; nos inter Dei diſceſſum, & impurorũ ſpiritũ acceſſum ſinunt diſcernere. Væ nobis, qui tã ſtulti ſumus atq; imprudẽtes, vt cùm laudes Sanctorũ au cupemur, opera tamẽ & actiones eorũ nolumus imitari. Væ nobis, qui neq; ſeruorũ metũ, neq; mercenariũ ſtudiũ, neq; amorẽ filiorũ in exequendis diuinis mãdatis exhibemus. Vę nobis, qui cũ pro ineunda hominũ gratia nihil aut loqui aut facere recuſemus, iuſtitiã negligimus & æquitatẽ. Væ nobis, quos ęternum dedec⁹ nihil mouet, & reſpectus hoĩum etiã ad peccãdum impellit. Væ nobis, qui cùm è pauperibus & obſcuris orti parẽtibus ſimus, noſmetipſos ignoramus, & paupertatis & ignominiæ ſtudiũ profeſſi, inter opulẽtos & claros viros numerari contendimus,

Væ nobis, qui paupertate coacti tẽperantiã in mundo cõplectamur, nunc autẽ ad abstinentiã vocati, saturitatẽ ventris, & carnis requiẽ summo studio cõsectamur. Væ nobis, qui cùm Angeli ad eos, qui Deum timẽt, se se adiungant, & Dæmones ad illos, qui Deũ spernũt, & mandata eius negligunt, accedãt, nos societati. Dęmonũ ascribimus. Væ nobis qui diuitibus & potẽtibus placere studemus, pauperes autẽ & supplices tanquã importunã turbã auersamur. Væ nobis, qui nõ ex virtute hoĩes, sed ex opinione pendimus. Væ nobis, qui, quę iusta bonaq; sint, definimus, & iudicamus, & docemus, à iustis autẽ & bonis operibus absumus quàm longissimè. Væ nobis, qui terrã à lappis & tribulis, & spinis ceterisq; frugũ pestibus diligẽter purgamus: aĩam aũt nostrã à prauis, & immundis cogitationibus, quæ sanctos virtutũ fructus excutiunt ac perdunt, Dei timore purgare contẽnimus. Væ nobis qui tanta sollicitudine tandiu torquemur, vt caducũ aliquid percipiam⁹ è terra, in qua sumus hospites ac peregrini: tẽporis aũt illius, quo nobis hinc in perpetuũ erit necessariò demigrandũ, nullam omnino curã suscipere dignamur. Væ nobis, qui cùm de oĩ actione, de oĩ verbo otioso, de oĩbus denique; improbis & impuris cogitationibus rationẽ redituri simus apud iudicẽ seuerissimũ: tamẽ, tanquã liberi simus futuri, nullis reddendis rationibus obnoxii, totũ vitæ nostræ tẽpus sine vlla huius rei sollicitudine transigimus. Væ nobis, qa nõ solũ impia multa nefariaq; patrauimus, verũ etiã per incredulitatẽ, Dei promissa spreuimus, atque contẽpsimus. Væ nobis, qui stulto corruptionis studio capti, cũ per Euãgeliũ vitæ possemus assequi incorruptionẽ, rerũ terrenarũ amore insanientes, æternis incorruptisq; bonis nos spoliauimus. Væ nobis, qui in hominũ cõspectu peccare metuimus: ante oculos autẽ occulta cernentis Dei impia agentes & peccãtes nõ cõtremisci-

mus. Vę nobis, qui sermones nr̃os nõ cõdimus sale diuino, sed verba inutilia, & ab oĩ religione aliena temerè fundimus. Væ nobis, quorũ animi cõpunctionẽ propter somnũ atque desidiã nr̃am Demones depredãtur. Væ nobis, qui cũ reliquerimus mundũ, hoĩes, qui in mũdo viuunt, peccatis & vitiis superamus. Væ nobis, qui cùm magnis reprehẽsionibus indigeamus, eos, qui minimis vrgentur vitiis, acerbissimè castigamus. Væ nobis, si Deus nos, antequã emẽdemur in iudiciũ adduxerit. Væ nobis, qui vetris nr̃i sordes non cõsiderantes, à libidine & superbia superamur. Væ nobis qui cùm assiduè corda nr̃a fœdis cogitationibus inquinemus, nos tamẽ & haberi sanctos uolumus & appellari. Væ nobis, qui vanitatibus incũbẽtes, pugnare cũ vitiis obliuiscimur. Væ nobis: qui hîc sine timore nos peccatis obstringimus, quoniam illic nos ignis æternus excipiet, & tenebræ exteriores, & vermis, qui nõ dormit, & luctus, & stridor dentiũ, & corã Angelis & creaturis oĩbus dedecus sempiternum. Væ nobis, quorũ aĩæ confusæ, & à penitẽtia alienę in resurrectione, & horrẽdo illo gentiũ omniũ iudicio, assumptis corporibus suis, cũ fletu & stridore dentiũ, in gemitus, & lutus, & cruciatus coniicientur acerbissimos ac sempiternos. Væ nobis, qui in isto peregrinationis exilio detestandas oblectationes consectamur, & paradisi deliciarũ obliti contemnimus regnũ cœlorum. Væ nobis qui propter crudelitatem stultis virginibus similes sumus, & oleũ, quo nostræ lampades illustrentur, beneficia in proximũ conferẽtes nõ emimus. Væ nobis, q diebus ac noctibus Christo preces ꝑsoluimus dicentes: Dñe, Dñe: & ea, q̃ nobis præcipit, nõ obseruamus. Væ mihi, qui lamentationes istas conscribo, neq; vllũ verę pœnitentiæ signũ ostendo. Væ illis qui aliis laborant, & sibi ipsi nõ prosunt. Væ nobis, qui cùm assiduos conscientiæ nos reprehendentis stimulos sentiamus, non eru-

sciscimus, nec rationẽ actionũ oĩum nostrarũ redditurí, Dei iudiciũ formidamus. Væ nobis, qui cùm turpibus operibus fœteamus, laudibus tamẽ hoĩum gaudeamus. Væ nobis qui rebus inanibus occupati, diuini timoris obliuiscimur. Vę nobis, quorũ mẽs studio vanitatis obtũditur, & hebetatur. Væ nobis, qui cùm Dei patientia nos toleret & expectet, nõ tamen resipiscimus, nec prauas actiones nostras emendamus. Væ nobis, qui peccatorũ nostrorũ in præsentia non meminimus. Quoniã paulò post, cùm anima erit corpore exuta, oĩa, quæ vel cogitatione, vel verbis, vel factis admisimus, magno cum dolore nobis in memoria conscripta perlegemus. Væ nobis, qui cũ Apostolus dicat; Qui manducat panẽ, vel bibit calicem Dñi indignè, iudiciũ sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Dñi: nostris immunditiis coinquinati, ad tremenda & formidanda Dei mysteria, veniam nobis ipsi, eorũ, quæ nocturnis imaginationibus cogitando fecimus, tribuentes, accedimus. Qui enim nec purã habet cogitationẽ, nec castos oculos, nec corpus incorruptum, nec animam mundã, & assidet Deo, is se multis tum carnis doloribus, tum animi ægritudinibus obnoxium reddit. Et mox in æternos cruciatus, & immensum dedecus incurret. Me miserum qui hæc acerbè lacrimans scribo, nec tamen ipsa pœnitentiã amplector. Hei mihi, qui vera dico, sed bona non facio. Hei mihi, qui bona doceo, sed mala committo. Væ illis, qui voluptatis suauitate deliniti peccant, quoniam ad extremum dolore afficiẽtur & ignominiã sempiterna. Væ illis, qui lugent, sed peccare non desinunt, quoniam vtili se luctu spoliant. Væ hominibus, qui proximum contumelia afficiũt & ignominia, quoniam à charitatis beatitudine sunt alieni. Væ inuidis, quoniam procul absunt à Dei benignitate. Væ illis, qui student hominibus placere, quia Deo placere non

possunt. Væ illis, qui personas hominum respiciunt, quoniam à Dei veritate deciderunt. Vę superbis, quia sunt ex parte Diaboli desertoris. Væ illis, qui Deum non timent, quia pluribus peccatis implicabuntur, & in hac atque in alia vita vapulabunt. Væ nobis, qui pulicum, & lendium, & pediculorum, & muscarum, & culicum, & apum morsus atque aculeos ferre non possumus, ab ingenti autem dracone, qui fauces horrendas aperit, vt nos deuoret, & absorbeat, omnibusq; pestiferis mortis aculeis vulneret, nec studemus aufugere, nec vllum aduersus eum imploramus auxilium. Væ nobis, quos Diabolus voluptatibus, & doloribus, & necessitatibus, & omnibus, quę in mundo sunt, fraudibus decipit. Et tamen nos à tot malis nolumus liberari. Væ nobis, qui cum multi tot iam annos ab Ecclesia defecerint, & orthodoxam fidem conentur labefactare, tamen nec lacrimas fundimus, neq; vllum animi dolorem ostendimus, nec mores ac vitam emendamus, vt peccata peccatis, & incredulitatem malis operibus cumulantes acerbissima nobis supplicia in gehenna paremus, ac sempiterna. Væ nobis, qui post conscriptas lamentationes, & fine mundi iam aduentante, nec resipiscimus, neq; eorum quæ à nobis in adolescentia commissa sunt pœnitentiam agimus, sed miseræ senectuti maiora & grauiora in dies imponimus onera peccatorum. Væ nobis, quos, cùm variis corporum morbis erubescamus, non pudet, miseras animas nostras & corporum flagitiis & peccatis fœdissimis ægrotare. Væ nobis, quibus per ignem super maris vndas ebullientis est transeundum, vt vnusquisque nostrum in suo corpore accipiat, prout gessit siue bona, siue mala. Væ nobis qui tenebrosum illud, & materiæ expers incendium, æternumq;, atque amarum fletum, & stridorem dentium non con-

sideramus. Ablato enim flammæ splendore Deus in illo igne relinquit vrendi vim & obscuritatem, quo magis impii & peccatores excruciētur. Hei mihi, misera anima mea, qm̄ assiduus dolor & cruciatus cor meum affligit: quia malitia prudētiam immutauit. corruptio vicit incorruptionem: mendacium texit veritatem: mors vita superior fuit: terrena, caduca, & breuia, cœlestibus, perpetuis, & sempiternis sunt commutata: abiecta & odio digna, vera Christi charitate & grauitate dulciora sunt habita ac iucundiora. Error ex animo meo depulit veritatē. Dedecus & ignominiam pro veris laudibus, & gloria sum amplexus. Amaritudinem pro dulcedine degustaui, terræ fuliginem, pro cœlorum regno dilexi. Inimicus ab omni vera pulchritudine abhorrens, cordi meo tenebras offudit, & cognitionis lumen deleuit è mente mea. Heu me miserum & infelicem, quem Diabolus suis implicitum retibus cepit, ac supplantauit, & è tanta sublimitate deiecit. In cursu confractus cecidi. Vani fuerunt sudores mei. Quis vicem meam non lugeat? Quis me inanibus consumptum laboribus non lamentetur? Quis me in portu naufragium facientē nō misericordia ꝓsequatur? Misеremini mei, miseremini mei, saltē vos amici mei. Et benignū, quique à nullis vincitur malis, Dn̄m meū Iesum Christū supplices deprecamini, si fortè misericordia adductus densissimam Diaboli ab omni pulchritudine abhorrentis caliginem excutiat è mente mea, vt quo in luto verser, nec surgere curem, tandem aspiciam. Ne fortè contractum vitę meæ tempus omnem mihi spem adimat. Non est dolor, supra dolorem meū. Non est plaga similis plagæ meæ. Non est cruciatus par cruciatui cordis mei. Quoniam inquitates meæ supergressę sunt caput meum. Vulnera mea nō sunt gladii vulnera, nec mortui mei sunt mortui in bello. Sed sagittæ inimici acutæ infixæ sunt mihi, & meum

interiorem hominem excæcarunt. Et infixus sum in limo profundi, & nō est substantia. Timor, quē timebam, euenit mihi: & vmbra mortis operuit me. Hei mihi, considera, anima mea, & vide, quæ præsentia sunt, quàm fugacia sint, & quanta cum acerbitate & dolore citò pertranseant, & quātò sint, quæ iam aduentant atque adsunt, acerbiora. Cogita, anima, è quantis bonis excidas & quanta spe: & quantis mox cruciatibus & suppliciis in perpetum afficieris. Antequam igitur super caput tuū lux extinguatur, supplex ad Dei clementiam accede, ęterni luminis largitorem obsecra & obtestare, vt liberet te à deuorante flamma, & tenebris obscurissimis. Quoniam benignitatis ipsius est, hominum peccatis ignoscere & nobis licèt misericordiā eius indignis, veniā dare. Cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.


FINIS.

REGISTRVM

A B C D E F G H I K L M N O P
Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.

VENETIIS,
Apud Bologninum Zalterium,
M D LXXIIII.



am si
time-
. Hi
fenti
tate &
m ad-
ima, i
s mu
. Ar-
, sup-
s lar
iora
bea
& m
. Cu
ea.


L. GOTTSCHER
1972